PETRI BEMBI, PATRICII VENETI

quæcunq; vsquam prodierunt opera in vnum corpus collecta, & nunc demum ab C. Augustino Curione, cum optimis exemplaribus collata, & diligentißimè castigata, quorum Catalogum versa pagina indicabit.

HIS ACCESSERVNT

Hac editione singulorum historiæ librorũ epitoma, cum tabula locorum prisca & noua nomina explicante.

ET

Rerum ac vocum memorabilium Indice.

BASILEAE PER THOMAM GVARINVM, M. D. LXVII.

OPERUM BEMBI CATALOGUS.

PRIMO TOMO *continentur:*

Historiæ Venetæ lib. XII.

De Guido Ubaldo & Elisabetha Ducibus Urbini.

SECUNDO.

Epistolarum Leonis X. nomine scriptarum lib. XVI.

Epistolarum familiarium lib. VI.

TERTIO.

De imitatione libellus: cui epistola Io. Francisci Pici eiusdem argumēti præmittitur.

De Aetna dialogus.

De Culice Virgilij, & Terentij fabulis.

Carminum libellus.

AD ILLVSTRISSIMVM AC SAPIENTISSIMVM VENETIARVM PRINCIPEM Franciſcum Donatum, in hiſtorias Petri Bembi præfatio.

MVLTAE ſunt artes, Illuſtriſsime Princeps, quod tu minimè ignoras, cùm ad vitam ſuſtentãdam inuentæ, tum ad cultum, aut etiam ad iucunditatem voluptatemq; ab hominibus excogitatæ: quarum in ſingulis qui excellenti quadam ſcientia aliquando præter cæteros præſtiterunt, magno apud omnes gentes in honore habiti ſunt. Nec verò iniuria id quidẽ: nihil eſt enim præſtantius, nihil omnino homini laudabilius, quàm de hominum genere bene, quoquo modo poſsis, mereri: eamq; cognationem, quam à natura habeamus, noſtra quoq; opera, hoc eſt, dandis beneficijs, arctius etiam aſtringere. Quòd ſi harum commoditatum vtilitatumque effectoribus tantus honos habendus eſt ſingulis, quibúsnam tandẽ aut literarum, aut operum monumentis eius gloriam dignè illuſtrabimus, ſi cuius ars ac diſciplina tanta ſit, vt vniuerſa illa contineat ac cõplectatur? aut ſi quis harum omnium artium moderator, & tanquam architectus, quatenus

quanque, quoq; modo progredi deceat, indicet, atq; pręscribat? est enim difficilis illa quidem & ardua in pręclaris nonnullorum hominum ingenijs, cæterarum omniũ princeps ac magistra, minimè tibi quidẽ incognita, facultas quædam, quæ ciuitatum procurationem sibi vindicet, & Reipublicæ regendæ muneri præposita sit. atq; eam artem, ciuilẽ rationem, eandemq; prudentiam licet appellare: cuius quidem disciplinæ qui cópotes sunt, non vnà modò aut altera re separatim hominib. cómodare ac prodesse, sed vniuersam eorum gubernationem suscipere volunt: nec illud efficere solùm conâtur, illi priuatim vt liberè, vt tutò, vt iucundè, sed vt bene etiam beateq; publicè viuant. Quamobrem tanti ac tam præclari operis artifices, nó vt reliquarum artium magistri laudibus solùm extollendi sunt, sed etiam (si modò dictu fas est) in Deorum immortalium numero, quibus cum humanarum rerũ procurationem propémodum cómunem habeañt, venerandi atq; colendi. Atq; horum artificum vestro in senatu maxima omnino facultas est, semperq; fuit, id quod res ipsa declarat: nec enim tanta, támq; opuléta ac beata ciuitas vel constitui initiò potuit, vel deinceps tantopere augeri & crescere: nec verò vno eodemq; statu, & tanquam habitu, tot secula, id quod nullis gentibus, vt totius vetustatis memoriam quã longissimè repetamus, vsu euenit,

nit,manere,sine eximia quadam prudentia,si-
neq; admirabili ac diuino cùm patrũ vestro-
rum, tum vestro, qui nunc eam talem tantãq;
tuemini ac regitis, consilio. Ac video equidẽ
pluribus,quã vos gentib.aliquot annos domi
natam olim esse ciuitatem vnam aut alteram:
veruntamen(liberè enim dicam quod sentio)
imperium bello partum sæpe feritatem, sæpe
violentiam atq; iniustitiam, fortunæ quidem
certè temeritatem semper habet: at bene do-
mi cõstituta res, sineq; vllo ciuitatis motu tot
seculorum diuturnitate firmata, vna eademq;
Reipublicæ ratio moderata & concors,ea ve-
rò tota virtutis est,ac prudentię.Itaq; in bello
illæ atq; inter arma cùm stetissent, in pace at-
que in otio conciderunt, quippe quæ non ra-
tione, sed viribus nixæ erant: nec enim quie-
tis,hoc est,parendi vicissim atq; imperãdi, ar-
tes didicerant:vos pacis,id est, iuris atq; æqui
tatis studia,quæ vincula sunt ciuitatis, cũ do-
mi coleretis,nihilominus foris belli gloria flo
ruistis.Etenim cũ ciuilis illa, quæ modò à me
appellata ratio est,duabus contineatur parti-
bus, bellicarum atq; vrbanarum rerum sciẽ-
tia & tractatione:illi, cùm bellicã laudem ni-
mio adamassent opere, alteram reipub. par-
tem incultam propémodum reliquerunt: vos
vtranque quidem, sed præcipuam,vt par fuit,
maximè adepti complexiq; estis. Ergo ex om
ni Italia,tanquam è turbulento ac formidolo-

ſo mari aliquo, tanta hominum vis ad vos cõfluit, veſtramq; in vrbem ſeſe, quaſi in portũ, refert, vix vt iam capere tantam multitudinẽ ſuis illa tectis poſsit: qui cùm è ſuis ciuitatib. in veſtram migrant, protectiores ab iniurijs fore domi ſeſe veſtræ aduenas, quã ſuæ ciues, certè confidunt. Maxima igitur laus veſtræ Reip. vobisq; magnis clarisq; in ea ciuib. debetur, quæ in eo munere, quod de humanis omnino muneribus longè præſtãtiſsimum ſit, vna excellat plurimùm. Præſtãt enim alij alijs virtutibus populi, vobis autem id vnum proprium perenneq; eſt, rem tueri publicam, hoc eſt, humanum genus animi ratione, nõ felicitate aliqua, quæ caſum habeat neceſſe eſt, & varietatem fortunę propriam, conſeruare: hęc enim & ſtabilis ipſa eſt, & diuturnitatẽ atque adeo, quoad res humanæ ferre poſſunt, perpetuitatem, quod veſtra eſt respub. conſecuta, párere conſueuit. Fortunati igitur ciues tui. Te verò equidẽ ſemper beatũ, ſemper gloriatiõe dignum exiſtimaui, cùm propter multas magnasq; virtutes tuas, animi magnitudinẽ, continentiã, ſuauiſsimos, eoſdemq; caſtitatis, religionis, pietatis pleniſsimos mores, dulcẽ illam tuã vberemq; dicendi copiam, tum verò propter diuinam iſtam animi trãquillitatem atq; æquitatem. Cùm enim tot annos in hac poſt hominum memoriam clariſsima repub. ſumma cũ gloria verſatus ſis, cũq; dignitatis præſtan-

præstantia quamplurimis semper anteieris, cõmunis iuris æquabilitatẽ transisti nunquã, ac ne cogitasti quidem. Quin etiã (memini enim me de hoc ipso Bembo sæpe audire) cùm tua te virtus multos iã abhinc annos ad summam amplitudinem perduceret, tuaq; præclarissima patria ad istum honoris gradũ, quẽ vnũ altissimũ habet, ipsa te tollere cuperet atq; adniteretur, deq; tua gloria solicita esset, liberasti tu eam omni cura, atq; alijs quibusdã, in istum locũ magna quadã properatiõe festinãtib. cùm anteuertere posses, vltrò cessisti. Magnifica verò laus, honorem, tantũ præsertim, cuius cupiditate cæteri inflãmentur, tam modicè concupiscere. Sed eadem tamen ipsa respub. simulac data facultas est, iandudum tibi debitam, tibiq; reseruatam dignitatem istã, ad te scilicet eundẽ cupidissimè detulit: neq; tamen, ne sic quidẽ, ęquabilitatẽ animi tui tu illam veterem amisisti: atq; hoc ipso in honore maximo gerendo, cùm grauitatem ac dignitatem sic adhibeas, quasi reipub. humanitatem facilitatemq; vt tuam retines, ita nec ciuitatis maximę clarissimęq; maiestas desiderãda est, nec optimi præstantissimiq; ciuis humanitas requirenda. Quid, quòd duarum maximè insigniũ virtutũ, integritatis ac prudentiæ tuæ, duos esse certissimos testes videmus, paupertatẽ alterius, summã alterius tuã apud omnes gratiam atque autoritatem? quo quidem ex

testimonio intelligere omnes necesse est, ita te in repub.administranda ad octuagesimum vsq; annum ætaté contriuisse, vt publicas res sic procurares,vt tuas: sic aũt ab ijs manus abstineres,vt ab alienis: ita factum esse vt cùm tu sic animũ induxisses tuum, vt bono ciui gratis reipub.seruiendum esse statueres,illa contrà egregiæ tuæ erga se volũtatis tibi præmiũ, quod habuerit pręclarissimũ,laudis & glorię, tribuere cupierit. Ac mihi quidem in te intuẽti verum omnino videri illud solet, quod à sapientibus traditum est:aiunt enim, homines ferreis alios,alios æreis, quosdã argenteis animis gigni:esse etiam paucos illos quidé,sed tamen nonnullos, quibus aurea animorum natura data est, ijsq; seorsum regendarum ciuitatũ munus à Deo assignatũ:illos alios, quò sua quenq; aut duritia aut vilitas impellat, ferri: at vos ex illo aureo genere natura ipsos per vos locupletes atq; honoratos, ad salutem ciuium, populorumq; incolumitatem, vitamq; omnium quietam & beatam ortos,nec honores concupiscere, & diuitias contemnere, & generosarũ volucrũ ritu,cœlum modò spectare, vbi vobis ciuitatum rectoribus ac cõseruatoribus certum locũ ac diffinitum esse teneatis.Quæ cùm ita sese habeât, tam præclari hominum maximorum cœtus atq; concilij instituta,tam diuturnæ reipub. moderationé,tam eximiæ ciuitatis magistratuum descriptioné,
opes,

opes, & copias, cum res veſtras domi belliq́; geſtas à populis gentibusq́; alijs audiri, mana req́; ad poſteros, non iam ad veſtrã modò gloriam pertinet, ſed etiam ad eandem ipſam in qua verſamini atq; exercemini, hominum ſalutis curã: habebunt enim exterę nationes nõ modò quod magnopere laudent, quodq́; admirentur plurimùm, ſed etiã quod imitari cupiant, vndeq; exemplum petere poſsint, qualem eſſe optimam firmiſsimamq́; rempub. ac ſtatũ ciuitatis maximè diuturnum maximeq́; expetendum, oporteat. Quare rerum veſtrarũ hiſtoria hæc, quam P. Bembus Cardinalis, vir idem clariſsimus, idem ſcriptor vnus omniũ politiſsimus, ſcripſit, meritò & flagitata iampridem à multis eſt, & expectata ſemper ab omnibus. quid enim aut ad delectationem iucundius, aut ad diſciplinam (eſt enim hiſtoria vitæ magiſtra) grauius, conſtantiúsue eſſe poſſit, quàm ciuitatis omnium prudentiſsimæ leges, mores, inſtituta, conſilia, magnarum variarumq́; rerum caſus atq; euenta, de omnium dulciſsimo elegantiſsimoque autore audire, eoq́; ipſo nec in mendacio gratiam quęrente, nec in veritate ſimultatem extimeſcente? fuit enim Bembi nõ ſtylus modò purus & elegãs, ſed animus etiam ſyncerus in primis ac ſimplex: qui cùm ſumma iam ſenectute, patriæ veſtræ rogatu, vel iuſſu potius, res veſtras geſtas ſcribere aggrederetur, neq; ad hanc ætatẽ me-

moriamq; noſtram peruenire ſeſe ſcribendo poſſe confideret, ſæpe mecum locutus eſt, & quidem crebrò te appellans, cùm permoleſtè ferret excludi ſeſe tempore à tuarum laudum, tuiq; ſimilium commemoratione: qua nos re commoti, faciendum nobis eſſe duximus, vt eius hiſtoriam ad te potiſsimum mitteremus, optimi ſcilicet ſenis viriq; clariſsimi, atq; hominis diſertiſsimi, plenas grauitatis, plenas autoritatis, plenas dignitatis lucubrationes, ad ſanctiſsimum itidem, è germanoq; illo Platonis auro ſenem, in clariſsima poſt homines natos rep. Principem, ciuemq; vnum omniũ facundiſsimum. Accipies igitur tu illam, non à nobis quidem, ſed à Bembo per nos tibi miſſam: patrięq; tuæ vtrunq; gratulabere: eadem enim res maximè ſcriptione ac memoria dignas ad hiſtoriã ſuppeditauit, eadem grauiſſimum luculentiſsimumq; ſuarũ rerum geſtarum ſcriptorem ac teſtem peperit.

INDEX

INDEX LOCORVM BEMBI HISTORIAE, IN QVO NOVIS AC *peruulgatis, prisca Latinaq́ue & vicissim priscis noua nomina quoad fieri potuit apposita sunt.*

A

Capra-

Couo-

Gallu-

Luna,

O

P

Pulinia-

S

Sollia-

T

Vale-

FINIS.

RICHARDVS DESTRESIVS Lectori.

SI claras Venetûm te res terráq; mariq;
  Scire iuuat, Bembum, candide lector, habes.
Si Latij te delectant sermonis amœnæ
  Deliciæ, Bembum, candide lector, habes.
Si cariem cedro metuente poemata digna
  Sectaris, Bembum, candide lector, habes.
Annales tibi, vel sit epistola docta paranda:
  Non alius Bembo dux imitandus erit.
Facundos genuit tellus Oenotria multos:
  Vix alium palmam Bembus habere sinat.
Aeterna nobis igitur sit laude colendus,
  Plura sed à grata posteritate feret.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. I.

C. Augustini Curionis Epitome.

BElli Rhetici causæ, initium & progressus. Roucreti expugnatio. Georgij Sonnembergij cum Antonio maria Seuerinate singulare certamen. Germanorum Rouereto discessus. Eorundē cum Venetis pugna, & Roberti Seuerinatis interitus. Eiusdem belli finis, & pacis leges. Sumptuariæ leges Venetijs, & item ad viarum angustias ac pontes spectantes latæ. Ioannis Bentiuoli, atq; Daciæ reginæ Venetias aduentus. Hieronymi Rhearij & Galeoti Manfredi interitus. Cypriū regnum in prouinciam redigitur, & Regina se ad vrbem cōfert. Vectigal nauibus imponitur Magistratus in Africam Tremezeni regis postulatu à Senatu mittuntur. Lex de suffragijs, & alia de Græcis equitibus lata. Roxolanorum regis ad Senatum legatio. Induciæ Senatus opera inter Federicum Cæsarem & Mathiam Pannoniæ regem dictæ. Cæsaris in Italiam aduentus. Lex pro infantibus vulgo quæsitis, & pleræq; aliæ leges latæ. Paros insula à Venetis contra Turcas defenditur. Georgij Cernochij cū Antonij Erici filia connubium. Lex in fures domesticos lata. Guidimariæ Rubei obitus. Scloporum descriptio, eorundemq; usus à Senatu in imperium suum introductus. Ingens in Italia frigus. Hermolaus Barbarus patriarcatum Aquileiensem adipiscitur, & quæ inde sint sequuta, ac eiusdē obitus. Venetus magistratus Bizantio pellitur. Ciues qui pro patria mortem oppetierunt ornātur. Quadraginta virale iudicium tertium additū. Suffragiorum ferendorum ratio. Quorundā malorum ciuiū amb-

tus reprimitur. Laurentij Medices & Innocentij Pont. obitus, atq; Alexandri Borgiæ creatio. Inter Pont. Mediolanensium ducem & Venetos fœdus. Giemis Sultani apud Pont. captiuitas. Leonoræ, Herculis Atestini coniugis cum duabus filiabus Venetias aduentus.

VRBIS Venetæ res annorū quatuor & quadraginta scribere aggredior, nō iudicio, aut quòd ita mihi libuerit, sed quodam quasi fato, uel certè casu. Nam cùm Andrea Naugerio, cui hæc publicè cura tradita fuerat, in legatione Gallica uita functo, Decemuiri à me collegij decreto petijssent, ut, quando is moriens sua scripta cōburi iußit, ipse ea in re atq; munere patriæ meã opem requirenti ne deessem: pudore uerecundiáq; recusandi ad uariam atque multiplicem, quodq; uerè possum dicere, multò maximè operosam scriptionem me contuli annos natus sexaginta, ut, nisi Reipub. extaret postulatio, meritò me homines reprehendant id ætatis ausum tantum onus sustinere: bella enim plurima propeq; continētia atq; maxima cùm ab Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ populis & regibus, tum à Turcarum imperatorib. excitata, uel terra uel mari gesta, sunt scribenda, quorum quódque iustum potius historiæ uolumen atque separatum posse conficere, quàm uno omnia comprehendi atque contineri, nemo non dixerit. Multa præterea domi uel senatusconsulta, uel leges, uel iudicia illustria, uel noui magistratus, multi hospitio reges liberaliter accepti, multi honores dijs immortalibus habiti, multæ prodigiorum domi forisq; prædictiones, tempestatum ac syderum miræ uicißitudines, huius temporis

temporis memoriã exemplis innumerabilibus referserunt, quæ colligere & mandare literis, nec amantis otium animi est, nec minimæ industriæ. Sed nihil est profectò tam arduum, quin id patriæ charitas exuperet, apud eos uiros præsertim, qui præclara in urbe geniti, atq; optima in repub. educati, suæ ciuitatis temperationẽ institutaq; adamauerunt. Ita qui rebus tot atq; tantis complectendis nunquam sponte curam & cogitationem adhibuissem: mihi enim post Romanos labores bonæ tãdem ualetudini, quam penitus amiseram, restituto, paterna in uilla fundi Patauini maiorem anni partem requiescenti, satis erat pascere lenioribus tractandis artibus animum: uoluntate meorum ciuium perspecta facilè adducor, ut nihil mihi refugiendum putem, dũ eorum studijs satisfaciam. Ab illorum igitur commẽtariorum fine, quos Marcus Antonius conscripsit, exorsus, quo ab fine Decemuiris placuit, ut initium scribendi facerem, continuato rerum filo, historiam ad hoc diei, si uita suppetet, perducam: tot enim, quot suprà dixi, anni inter illius scripta atque hoc tempus intercesserunt. Ac eo sanè tempore quo in statu esset, quam haberet faciem respublica, satis est ab illo demonstratum: quæ bello Ferrariensi confecto, fœderibusq; initis, plus biennium soluta oneribus ciuitate, & pacato imperio est usa. Idem autem post hæc & publicæ quietis, & Sabellici librorum finis fuit: pacemq; illam & tranquillitatem reipub. bellum statim Rheticum excepit: neq; ei profuit, quòd suo se in otij capto iam portu magna perseuerantia continuisset. Eius belli leuißima de causa initium hoc fuit. Erat nonnullarum cùm Rhetorum & Noricorum, tum earum terræ Germaniæ gentium, quæ sunt his finitimæ, Dux atq; prin-

ceps Sigismundus Federici Romanorum Imperatoris *frater, homo non malus, sed qui facilè malis hominibus crederet.* Ei *cum senatu* Veneto *iam inde à maioribus orta necessitudo intercedebat: itaq; uetusta cōsuetudine homines mercaturæ dediti omnibus ex reipublicæ municipiorum uicinitatibus eius ad oppida liberè commeabant, mercatumq; in primis celebrem apud* Beurenses *quotannis fieri solitum, stato tempore petebant.* Id *cùm anno post urbem conditam millesimo sexagesimosexto fecissent,* Sigismundi *iussu ipso in mercatu, ad quem fide publica uenerant, comprehensi suis cum rebus, custodiæque sunt traditi.* Et *iam antea* Sigismundi *operæ nostros homines, qui argentifodinas in* Alpibus *exercebant, fugatos, conductis iure gentium securis & cuniculis deturbauerant: eosq; cuniculos, quòd essent ipsorum uicis & municipijs uicini, ui atque armis paruo negotio possidebant.* Eius *rei causam quærentibus, dictitabant* Sigismundi *clientelas, quæ in imperio* Veneto *essent in* Benaci *lacus ripa, suis è finibus expelli: de qua tamen controuersia iactari pridem cœpta per interpretes ab utrisq; amicè disceptabatur.* Itaq; *cùm eos qui ex* Reipublicæ *municipijs ad ipsorum mercatum uere inito uenerant, in uincula coniecissent, omnibus ex eorum oppidis atque agris, tum ex* Lepontijs & Heluetijs *coacto iam milite apud* Tridētum Germani *hominum numero ad decē millia, id enim agere constituerant,* Gaudentio Amasiano *duce in* Veneronēsium *fines impetum faciūt.* Germanos *autem illos diximus, quando nunc quidem omnes eæ ab* Alpibus *nationes, compluresq; aliæ, uno nomine* Germani *appellantur.* Flumen *est* Athesis, *ex* Arbona *monte profluens, quod duobus auctum fluminibus* Tri-

dentum

dentum fertur, Alpesq; reliquas dirimens, uallem plerunq; angustam efficit Veronã usq;, quã etiam intersecat: eius flu minis læuam ingreßi ripam Germani, ac quindecim millibus paßuum confectis oppidi Roucreti *in Alpiũ angustijs laxiore paulo atq; apertiore loco positi, suburbanis ædificijs direptis, pugna etiam cum præsidiarijs militibus commissa, defenso municipio ad prædam & populationem sese conuertunt: eaq; facta, in uicinos oppido pagos tumultuose militem recipiũt.* Hac *re nunciata Senatus decreuit, ut et ueterani milites, qui in Carnis et* Taurisanis, *quiq; in Gallia hyemauerãt, omnes illico* Veronã *conuenirent, & dele ctu statim habito noui milites conscriberentur: creatisq; ad id confestim legatis* Petro Diedo Veronæ *præfecto*, Hiero *nymo* Marcello, *dat negotium, ut ex usu reipublicæ bellum administrent.* Iulium *etiam Cæsarẽ, qui regnum in Camertibus obtinebat, copiarũ reipublicæ imperatorem, accersi tum ex* Vmbria *eôdem contendere magnis itinerib. iubet.* Interea *Germani ad oppugnationem* Roucreti, *ijs quæ bello eßent usui celerrimè comparatis, & castris ad oppidum positis, tormentorum ui, quibus maximè abundat ea natio, muros quatere atque deijcere instituunt.* Id *cùm plures dies labore non intermisso fecißent, ac magnam murorum partem aperuißent, neque* Venetus *imperator, qui iam eò uenerat, propter Germanorum magnum numerũ repellere hostem poßet, sæpe oppugnare omni mißiliũ telorũ genere scalisq; ad murum positis adorti, sæpe cum clade repulsi, postremò oppidum capiunt.* Eis *in oppugnationibus unum eorum teli genus maximè oppidanos terruit, de quo propter nouitatem prætereundum non uidetur.* Pilas *ferreas non magnopere cohærentes, picis atq; bitumi-*

nis plenas, igne incluso tormentis muralibus impellebant: eæ pilæ muro impactæ infringebantur, ac plures in partes dispergebantur, quib. ex singulis ignis prosiliebat acri cũ flamma, sic, ut quæq; earum pars quantumuis parua homi nem corriperet: pice autem illisa retinebantur, ne excuti, néue reijci possent: ita fiebat, ut neq; in muro consistendi, neq; quæ opus essent administrandi, neq; se defendendi militibus facultas daretur. Quod ubi semel atque iterum est animaduersum, culcitras centonesq́;, quos habere poterãt, aquis immergebãt, eosq́; pinnis & fenestris, ex quibus pro pugnarent, interponebant, ijs neq; pix adhærescere, neq; ignis nocere propter humorem poterat. Ita se tandem, cõ pluribus suorum antè absumptis, præmunire ac tueri didicerunt. Sed capto oppido, ut diximus, Nicolaus Priolus prætor & milites, qui ad defendendum municipium per Alpium crepidines missi hostem circumfusum & sedentem fefellerant, suaq́; uirtute ac fortitudine eorum impetum ad eam diem sustinuerant, in arcem se recipiunt. Veneti, qui omnino in se longè maius, quàm initiò crediderant, excitatum bellum uiderent, neque in Camerte, quantum oportebat, industriæ uirtutisq; agnoscerent, à Roberto Seuerinate petunt, ut imperium totius belli unà cum Camerte administrandi magna opinione ciuitatis sibi delatum læto animo accipiat, & quo celerius fieri potest, suis cum militibus, & liberis, claris bello adolescentibus, uiæ se det, atque in Rheticum Alpesq́; contendat. Robertus, qui posteaquam Innocentius Pontifex maximus eum missum fecit, in agrum Patauinum se contulerat, atque ibi apud oppidum Citadellam, quod ei unà cum urbanis ædibus, cumq́; amœnißimo ac peramplo apud Veronam fundo

& uilla,

& uilla, in Ferrarienſis belli exitu Senatus dono dedit, ſine imperio, ſine ſtipendio complures menſes commoratus, ægre ſe ſuoſq; milites aluerat, illam ipſam ſibi occaſionem ſuæ uel amplificandæ, uel omnino retinendæ dignitatis dari uotis omnibus cupiebat: itaque accepto peropportunè imperio, ad bellum proficiſcitur. Eò cùm uenit, modò in ſpe, modò in metu Veneti ſæpe fuerunt: ſæpe marte ambiguo leuibus prælijs eſt certatum: ponte etiam nauibus impoſito, ut & copiæ tranſmitti, & commeatus ex altera fluminis regione ſupportari facilè poſſent, utranq; ripam coniunxit. Eodem quoq; tempore Germanorum militum centuriæ aliquot in Vicetinos et Feltrinos ſaltus, atque in Carnorum fines repentè immiſſæ, plus terroris quàm periculi intulerunt, propterea quòd Hieronymus Saornianus, ſummo in Foroiulienſibus natus loco, cuius proauus Federicus ob ſingulare atq; præclarũ in rempublicam ſtudium, & ciuitate ab ea, & iure comitiorum donatus fuerat, cum ſuis clientibus, & agreſtium manu, quam celeriter coegerat, atque armauerat, ſuperatis Alpium, quæ adiri non conſueuerant, iugis, illos omnia uaſtantes ac depopulantes à tergo aggreſſus ita fregit atq; cõcidit, ut nonnulli timore incitati è montium, in quibus erant, cacuminibus rupibusq; fugientes ſe præcipitauerint, qua de re gratiæ illi à Senatu actæ, militesq; tercentum attributi, quos Hieronymus Iacobo fratri habẽdos permiſit, cùm ipſe pacatæ ac ciuili ſeſe uitæ, quã militari, mallet tradere. Sed dum reliqua ſicut dixi, agerentur, Rouereti arce muralibus tormentis propè diruta, Prætor, quiq; cum eo erant milites, deditionem faciunt. Et iam ſumma æſtas præterierat, cùm ueteris exẽpli res utrinq; exercitum ſpecta-

culo haud magnopere cruento tenuit. Erat Germanorum numero iuuenis acer & fortis Georgius Sonnembergius, claro loco natus, qui turmæ equitum præerat: ad hunc cùm esset allatum, Antonium Mariam Seuerinatem, imperatoris filium, inter suos iactauisse, si ex hostium copia egregius uir quispiam equestri pugna congredi uelit, se cum illo decertaturum, proq; sua parte ostensurum quantum belli gloria Itali Germanos antecellant: mittit ad Venetos tubicinem, qui Antonio denunciet, se paratum esse certaminis fortunam experiri. Remissus ad Georgium tubicen refert, expectari cupidè illud ab Antonio: itaque die dicta clausum in campum, atque ad id comparatum, æquo inter bina castra spatio diuersa ex parte uterque armatus atque adornatus sese intulit: & parua interiecta mora, citatis equis concurrunt. Antonius hastam in Germani pectus infringit: thorax ægrè hastæ impetum sustinet: tum uerò equus Antonij iam incitatior, neque sat habilis contineri, in trabales campi munitiões ita impegit, ut ijs perfractis atq; disiectis, ipso humi prolapso Antonius se eijceret. Itaque pedes ex equite factus, ubi hostem in equo iam conuersum districto in se gladio uenientẽ uidet, post tignũ trabibus repagulisq; sustinendis solo fixum sese continet: ita Germanum assultantem, atque ictus de superiore loco adigentem, districto item gladio repellebat, quaq; ipsum poterat, appetebat: nam equum lege prius dicta ferire Antonius non poterat. Sed dum crebris ictibus acriter uterque rem gerit, neque quantum uult proficit, propterea quòd galea, thorace, cæterisq; ferreis indumentis totum penè corpus protegebatur: Antonius iracundiæ plenus, quòd iniquam subire dimicationẽ cogeretur, seq; ipse tacitè incendens,

cendens, hosti cupidius ferienti impetu facto gladium aufert: ille ab ephippijs ferrea, quam gerebat, abrepta claua pro gladio utitur. Tum uerò clara ad Germanum uoce: Quid tu autem, inquit Antonius, me cogis unum cum duobus depugnare, quorum alteri lex, alteri aliena arma sunt præsidio? si uir es, æquo marte manum consere. Ita Germanus existimationem hominum ueritus, & magno præterea animo, equo & ipse desilit: comprehensiq; statim inter sese, atque arctè diu luctati, ambo concidunt. Erant utrisque magna & procera corpora, & uires corporib. pares. Germano tamen cadenti paulùm superincubuit Antonius: sed eius dextrũ brachium à sinistro Germani humero, atque adeo armorum corporisq; pondere sic premebatur, ut eo uti non posset: tum Germanus impedito atq; implicito Antonio, ipse manu dextra liber, abrepta sica, quæ femori Antonij erat alligata, nates ei conuulnerat: ea tantum corporis parte sua illum tegumenta non munierant. Vulnere Antonius accepto, cùm omnino nullam defendendi sese uiam sibi reliquam, & facultatem uideret, sicæq; aciem Germanus ictu altero atq; tertio adegisset, uince, inquiens, quando ita uoluit fortuna, casu enim, non uirtute uincis, gloriam certaminis hosti dedit: quem quidem uictor magno apud se honore plures dies ad exercitum habuit, curatoq; uulnere, donis etiam additis ad patrem remisit. Post hæc paucis interiectis diebus, cùm Germani insolentius atque laxius uagarentur, Venetiq; eos adoriri ex insidijs statuissent, re ab hostibus per exploratores cognita, ipsi in hostium insidias inciderunt: ita excepti à pluribus pauciores, conglobati uirtute atque armis se tuebantur, fortiterq; præliabantur: ex quibus Robertus modo uoce impe-

ratoris curam, modò manu militis operam præstabat: uerùm crescēte hostium multitudine circumseptus iamiamq; tenebatur, cùm Antonius filius id conspicatus (non enim longè aberat) in confertißimam hostium aciem se iniecit, fortißimeq; pugnans, aciemq; submouens, patri se recipiendi facultatem præbuit: ipse in hostium potestatem uenit, reliqui fugati, paucis captis atque interfectis, se in castra receperunt. Neque multò pòst Camers in febriculam incidit, eoq; Veronam delato, rerum & totius belli administratio in Robertum incubuit. Germani autem cùm inopia commeatus adducti, qui segniter subministrabatur, tum stipendij fide non seruata, indignabundi palàm ad seditionem incitabantur: cuius rei periculum eorum præfecti ueriti, inducias ab imperatore Veneto petierunt. Sæpius re iactata, non impetratis inducijs, nocte intempesta Rouereti arcem incendunt, & prima luce conclamatis uasis omni cum exercitu abeunt. Mirum id Venetis uideri, neque satis credere hostem abeundi consilio discessisse: itaque timere insidias, quas etiam essent experti: sed ubi illos longius profectos ab exploratoribus cognouerunt, Rouereti oppidum recipiunt. Interim Robertus certior factus omnes hostium copias domū discessisse: auxerat enim eam rem atq; affinxerat multa rumor: sibi autem miles ex Rauennati & Piceno & Vmbria per eos dies accersitus animum addiderat: statuit ulterius progredi, Tridentumq; ipsum, si res processerit, obsidere, ut qui ultrò ac sine causa bellū Venetis intulissent, scirent atq; cognoscerēt, bellū gerere in eorum finibus & posse Venetos, & audere. Eo cōsilio cū Legatis cōmunicato, Lucas Pisanus ætate iam grauior, quem Senatus Petro Diedo summiserat, atq; illum ad

præfectu-

præfecturam Veronensem *reuerti iusserat, existimare sese inquit, è repub. non esse tantam rem eo tempore aggredi.* Primũ, *quòd credibile nõ esset* Germanũ *exercitũ, quem ipsi florentißimum paulò antè uidissent, ita iam in ultimas* Germaniæ *terræ latebras se abdidisse, ut nõ modò reuocari atq; restitui, sed etiam adaugeri paucis diebus non poßit in tam promptis ad arma capienda populis, tantoq; in periculo municipiũ ad gentes* Italas *continẽdas oportunißimum amittendi.* Deinde, *quòd si tum reipub. ad hostem re pellendum copiarum satis fuit: quanquam quis eum repulit? sua ipse spõte se recepit. Sed sit omnino repulsus, ad inferendũ tamen bellũ, atq; in hostiũ fines irrumpendũ, obsidionesq; ducendas, id ipsum non suffecturum, præsertim cùm existimandũ sit omnem Germaniam, ne tantum dedecus admittatur, eò conuenturam, uiresq; suas in cõmunem utilitatẽ explicaturam.* Postremò, *quòd si offensum in aliquo sit, non esset receptui locus circumuentis ab hoste undiq; medijs in* Alpiũ *iugis: tum itinerũ angustias esse pertimescendas, quas euadere uix pacati possent.* Præstare aũt *reipub. bellũ quoquo modo confecisse, dum onerib. extraordinarijs finis imponatur, quàm spe melioris uictoriæ ipsam periclitari, ciuesq; conflictari tributorũ cõferendorum quotidie causa.* Defessam *ciuitatẽ bello* Ferrariensi, *ocium inglorium laboribus paulo etiam honestioribus, certoq; cum fructu præponere, nedum ambiguis & periculosis præferat.* Hæc *mea quidem, inquit, est sententia, qui fortasse uel meo uitio, uel etiã senectutis, omnia timeo: uos cõsulite, &, quod optimum factu est, id sequamur.* Tum Marcellus *facto à collega silentio, in hunc est modũ loquutus:* Nihil *sibi dubitationis dari, si ea ita essent, quemadmodum*

Pisanus dixisset, quin sit ab inuadendis hostium finib. Tridentiq; oppugnatione abstinendum. quæ enim eius regionis pars, quod municipiũ tanti esset, ut cum eiusmodi cõflatione belli, totiusq; Germaniæ irritatione, consensuq; compararetur? Verùm habere se rem suò quidem iudicio lõge secus. Nam neq; Germanorum copias sua se sponte dißipauisse: sed cùm rei frumentariæ inopia coactas, tum stipendio non persoluto egentes, desperantesq;, domum quenq; suam reuertisse: neq; qui collectam iam manũ, prosperéq; agentem cõmeatu supportãdo alere, stipendijsq; repræsentandis retinere, ne diffugeret, non potuerit, eum nouo cõficiendo exercitui stipẽ alimentaq; subministraturũ: multò enim facilius cõtineri stantia, quàm lapsa prostrataq; subleuari. Neq; uerò esse uerẽdum, conuenturã cõtra Venetos Germaniã, quos amicos semper habuerit, ut Sigismundi rebus auxilio sit, qui nullo reliquorũ principum consilio, nulla ipse lacessitus iniuria, bellũ reipub. intulerit: præsertim cũ Federicus Imperator eius frater, neq; pecunia, neq; milite, neq; ulla eum re omnino iuuerit, præ seq; potius tulerit, id se nunquam bellum probauisse. Qui à suis negligatur, eum ab alienis exterisq; hominibus auxilia impetraturum credere, cuius tandẽ esset timoris? Quòd si dicatur, nõ iam quidem Sigismũdi, aut alicuius priuatim causa Germanos principes ad arma capienda conspiraturos, sed planè sua, ne Tridento capto Venetis aditus pateat ad sese: respondere posse, cõplura esse in Alpib. reipub. oppida, diuersis acquisita adiectaq; imperio tẽpestatibus, quibus ex oppidis Germaniæ populi adeãtur: ab his ipsis nõ longinquã locis Feltriam, Belunium, quamq; in Carnis Ciuidale appellant: cõplura præterea itinera uicis & castellis munita, cùm hoc

in

in Alpium ad orientem solem tractu, tũ uerò etiam in Brixianorum finibus ad Moernam atq; Licates:in Bergomatium Sebini lacus fauces,uallemq; uniuersam Triumpilinorum,quiq; ad Lepõtios,Lariumq; lacum saltus,atq; angustiæ pertinent. Neq; tamen ullo tempore Germanos principes cõspirauisse eis ab oppidis atq; finibus repellendi Venetos causa:neq; nunc, si Tridentũ capiatur,cõspiraturos: fassuros potius atq; affirmaturos,iure id,meritoq; Sigismũdo accidisse,qui amicæ ciuitati bellum temerè intulerit. Nã quod ad uiarum angustias attinet,quantulum esset iter Tridentũ usq;? id tamen ipsum patefieri antè oportere,quæq; sint castella Germanorum ipsa in uia, ea esse capienda, ne quid hostile post tergũ relinquatur. Extremum aũt quod fuerit in collegæ rationibus, defessam ciuitatẽ belli onerib. malle quiescere:ad id respicere ipsos non oportere. Tridento enim capto,nõ eam modò pecuniam, quam hãc in belli partem, paucorumq; dierum moram erogari oportuerit, sed illam etiã quæ toto in bello per tot menses esset insumpta,cumulatè sarcitũ iri,uel magno potius cũ fœnore,magnisq; utilitatib. repensum & restitutum:uindicatũ præterea iniurias ab iniquo acceptas hoste: auctũ imperij fines: auctũ etiam gloriam,nomenq; reipub. clarius factum. quæ quidem omnia nisi tanti esse, quanti æstimanda iure sunt, maiores nostri duxissent, nunquã ipsos tot labores atq; tãtos perlaturos: nunquã ullum bellum suscepturos fuisse,ut suam & reipub. gloriam unà cum imperij finibus protenderent. Postremò,occasionis esse rem, ut Tridentum capiatur, uel militibus sua celeritate atq; uirtute in oppidũ non præmunitũ irrumpentib. uel quòd repentino nostri exercitus aduentu oppidani perterriti,ne diripiantur,deditio-

nem faciant. Itaq; ad eos casus euentusque tentandos, in ijs quas haberet ipsi copijs satis uirium atq; præsidij fore. Id si rectè cesserit, ipsum illum suum collegam in primis imperatorem summis laudibus laturũ, qui eius rei consiliũ inierit: sin se oppidum tuebitur, uastatis finibus, incensis eius regionis castellis uicisq;, incusso magno terrore hostibus, exercitum ultorem reduci oportere. Id autem procliuiore omnium hominum uenia posse tum fieri, quàm si iam nunc inulti domum redeant. Porrò non horis omnibus rei bene gerendæ facultatem exercitibus dari: quare cùm datur, ab ijs qui præsunt, ea esse magnopere utendum, ne lapsæ temerè atq; præteritæ recordatione pœnitentiaq; diu atq; incassum torqueantur. Hac habita oratione à Marcello, Pisanus in collegæ sententiam se traduci facilè passus est: itaq; ambo imperatori permiserunt, uti de eo, quemadmodum sibi agendum uideretur, ita statueret. Ille diuisis legatis, ad rem explicãdam maturandamq; se dedit. Sed quod erat in ipsa læua fluminis ripa, quà Tridentum, quaq; Roueretum est, inter utrunq; oppidũ, ter mille ab Rouereto passus, castellum Petra loco alto atq; edito, uiæ imminẽs sic, ut Petrensibus inuitis eà commeari tutò non posset, Petrã in potestatem suam redigere, & itineris & cõmeatus causa, & quòd ita Marcellus censuerat, ne quid inimicũ post se relinquerent, primùm omnium decreuit. Iis constitutis rebus propterea quòd à Rouereto uenientibus ob præcipitẽ montis & crepidinũ decliuitatẽ aditus ad Petrã omnino nullus erat, ab altera eius montis parte, qua adiri facilè poterat, castellum oppugnare instituit. Transmisso itaq; Athesim per eum pontẽ, quẽ initio fecerat, exercitu, atq; aduerso flumine sesquihoræ itinere confecto, ad Callianũ uicum

quod

quod ultra Petrā est passus circiter mille, ponte altero nauibus imposito iterum Athesim exercitum traducit, atq; in planitie sexcētorum fermè passuum, quæ à montis radicibus ad flumen pertinet, consedit, præmißis equitibus leuis armaturæ, qui præcurrerent, atq; an manus aliqua hostium cogeretur, cognoscerēt sibiq; renunciarent. Equites spretis imperijs prædæ spe uagari, & populatione facere cœperunt. Interim cùm Tridentini pontē esse factū cognouissent, non Petrensibus modò, sed sibi etiā suisq; rebus ueriti, soluto exercitu, oppido nō cōmunito, imparati ab rebus omnib. à Georgio Petræplanæ principe, quod est castellum ultra Tridentum, impetrant, uti cū ijs, qui eò se receperant, militibus, coacta celeriter agrestium & montanorum hominum manu, ire obuiam properet, hostemq;, si potest, moretur, dum à Sigismundo auxilia conueniāt. Ille collectis, quos ei casus obtulit, militibus, & tum suorū, tū eorum qui Besinum uicum in summis Alpium Calliano imminentium culminibus incolebant, rapto agmine ad mille hominum numero, magno cum tympanorum et cornuum strepitu eo de monte se demittere incipit: atq;, ut se iugum implicabat, agmenq; partim se ostendebat, partim latebat, magnæ ad speciem esse copiæ ijs equitibus, qui prædatū irant, uidebantur: magnæ succedere, & priores cōsequi exi stimabantur: itaq; cùm propius, maioreq; cum strepitu descenderet, illi in fugam uertuntur, atque in alios incurrentes, eos in fugā uertunt: iamq; permixti paßim equites peditesque tumultuose reuertebantur. Id cùm fieret adessentq; Germani, fuga magis hostium, quàm sua uirtute incitati, manus Venetæ, quas ea planitiei pars exceperat, retrocedere, ac fugere cōtendunt, atq; in aciem imperatoris,

qui

qui acceptis de suorum fuga nuncijs eò properabat, impli cantur: tum imperator, quantum temporis exiguitas patie batur, suos perterritos fœdeq; fugientes increpitare atque cõuertere, hostẽ sustinere ac reprimere, adnixus, fortiterq; diu pugnans, ingenti cæde utrinq; facta, urgẽtibus Germa nis cũ suorũ globo in flumen deijcitur, ibiq; perijt: reliqua multitudo magis magisq; perterrita pontẽ fuga petere cõtendit. Id cõspicatus Andreas Burgius præfectus militũ, sperans, si pons rescindatur, fore ut milites equitesq; ablata fluminis transeundi facultate continerentur, seq; in hostes necessariò conuerterent, accurrens solutis retinaculis pontẽ propulit: quæ res in cõtrarium, atq; ipse existimaue rat, uertit, propterea quòd timor cõsilium plerunq; nõ recipit: qui enim semel fugæ se mandauerãt, ea spe, ut si flumẽ transire possent, in tuto sese crederent futuros, ubi pontem sublatũ uiderunt, pleriq; omnes se in flumen præcipitauerunt, & armis equisq; depreßi atq; impliciti perierũt: pau ci ripam tenere potuerũt, quòd flumine maxĩmo, rapido, et uorticoso impediebãtur: ut essent omnes, qui ab hostib. pugnãtes interfecti sunt, quiq; ui fluminis rapiente interie runt, circiter mille. Vnus Guidus Maria Rubeus cum sua equitum turma pugnæ initio per medios hostiũ cuneos uiã sibi armis & uirtute cùm fecisset, atq; in campum euasisset, Germanos exultantes in se conuertit: quibus cum dimicãs, quid in bello animus constantiaq; possent, palàm fecit: eorũ enim partem cæcidit, reliquos disiecit, fugauit: atq; ita clariorẽ sibi uictoriã ex hostibus uictoribus, quod rarò fie ri assolet, comparauit. Reliqui centuriones, equitumq; præ fecti, cæteriq; qui fuga se abstinuerãt, per montium inuia, superatis iugis, nõnulli nauiculis excepti ad Roueretũ redierunt:

dierũt, ex quibus fuit Rubeus, *qui se atq; suos magno labo re noctu flumen traiecit. Interfecti ex Germanis permulti, non incruentã suis eam Venetorum cladẽ fecerunt. Veneti complures dies reintegrandis copijs consumpserunt: neq; interea Germani ijs in locis quicquam mouerunt, quando clade non multo leuiore accepta quàm illata, exercitu & ipsis reparando opus fuit. In Vicetinis tamen & Feltrinis Alpium iugis, atque in Benaci lacus regione, ea manu quam conficere per occasiones poterant, utriq; sæpe congreßi, cæde facta, castellisq; aliquot uel captis uel incensis, sese inuicẽ inferẽdis cladibus intentos paratosq; tenuerũt. Arcum autem municipium, quod quidem abest tria millia passuũ à Benaci littore, magnis & obsessum antea et expugnatum uiribus, cũ propterea, quòd ei bello causam dederat, inita de finibus altercatione cum uicinis sibi in ora lacus populis, Sigismundoq; ad arma capienda incitato, tũ quòd eius oppidi principes Veneti hostes nominis existimabantur, senatus incendendum & diruendum censuit. Burgius interea proditionis apud Decẽuiros accusatus, quòd pontem ad Callianum, ut exercitum in fraudem cõijceret, dolo malo propulisset, atq; in uincula cõiectus, Marci Beatiani senatusscribæ, qui ei bello cũ legatis interfuerat, testimonio absolutus est, ordinibusq; redditus. Miserat ante eos dies ad Sigismundum Innocentius Roma Paridem Episcopum Auximi, qui eum hortaretur, uti bello finem imponeret: non esse tempus, imminente regno Italiæ & Romanis rebus Turca, ut duo potentißimi ad illum repellendum populi leuissimis de causis armis inter se decertarent, odijsq; mutuis contererentur: ipso arbitro suarum cum Senatu Veneto discordiarum, si uellet, uteretur: se ei pro rerum*

æquitate non defuturum. Is apud illum Legatus dies aliquot tractandis pacis conditionibus fuit. Venetias deinde cũ mandatis est profectus: quibus à Senatu nõ probatis, re infecta Romam rediit de mense Septembri, cum ante Idus Sextiles Seuerinas imperator interijsset. Egerat illud idem etiam cũ Senatu Veneto Pontifex per suum apud ipsos internuncium Nicolaum Frãcum Episcopum Taurisanorũ, qui ciuitatem & hortari & monere non destiterat: sed nihilo minus irritus omnis eius conatus fuit, quoad fessus belli dispendio Sigismundus (alere enim exercitum non poterat) missis sæpe inter eos legatis fœdus cum Venetis percussit Idibus Nouembris. Fœderis conditiones fuerunt, uti bello ablata, quæ antiquitus eorũ, qui amisissent, fuerint, restituerentur: & negotiatoribus Venetis dãna illata sarcirentur: quæ superessent inter eos res, quibus de rebus non conuenerat, de ijs Innocentij iudicium esset. Is finis bello Rhetico fuit. Milites deinde in hyberna sunt deducti, dimissusq; ob remp. segniter gestã Iulius Camers. Roberti uerò duo liberi, Gaspar atq; Antonius, in reip. militiã conscripti, sexcentis equitibus præficiuntur: centurionesq; aliquot, qui egregiã operam nauauerant, donis militaribus aucti: quorũ uni etiã dos filiæ numerata, auri ternæ libræ. Erantq; iam Sebastianus Baduarius, Bernardus Bẽbus pater meus legati ad Innocentiũ profecti cùm alijs de causis, tum ut apud illũ de castellis Nomio et Iuano captis à Veneto exercitu, de quibus erat lis, disceptarent. His ita cõstitutis rebus, quòd exhilarata pacis nominè ciuitas iam etiam ante hoc bellum in omnem luxum domesticum sese effuderat, insequentis anni initio leges sumptuariæ reuocantur. Itaq; cœnis pauões, phasianæ aues, lautioresq; epulæ, cubiculis

culis

culis stragulæ uestes ex auro, argento, purpura interdicun tur: omnis ornatus muliebris decem auri libras excedere nõ permittitur: ampla delatoribus præmia, seruis insuper libertas decreta .quanquã cauerunt etiã Patres in Rhetici feruore belli, ne alea, néue ullo alio præter ludũ latrunculorũ cùm in urbe, tũ per XXV. millia passuum extra urbis fines in pecunia luderetur, exceptis nuptiarũ celebritatibus, & cauponis, & ea fori parte, quæ ad colũnas est, atq; ipsa fori porticu: edictũq;, ne ijs in locis lusio auri unciæ partẽ quintã excederet. Viarũ etiam urbanarũ angustijs prospectũ est, sublatis tabernarũ pluteis, qui in uias prominebant: pontesq; lignei, quibus uniuersæ propè urbis insulæ aquis interfluentib . discretæ coniungebantur, ex lateribus, & lapide Istrico publicè tota urbe fieri cœpti. Atq; inter hæc Ioannes Bẽtiuolus Bononiensis, eius oppidi princeps, uisendæ urbis & salutandorũ patrũ causa Venetias uenit: atq; à Senatu liberaliter acceptus, cũ plures dies ea in re atq; studio consumpsisset, donatus ciuitate, ac iure comitiorũ, domũ redijt. Quo quidem tempore infans biceps Patauij natus est, uixitq; horas aliquot. Eũ nos pueri ad urbẽ uidimus, cùm pro miraculo circũferretur. Eorũ duorũ capitum utrunq; suo cum collo atq; ceruicibus à summo ita pectore suspendebatur, ut toti corpori esse par atq; propriũ posset: utriq; ori eadem species inerat. Post eos dies regina Daciæ Roma domũ rediens, Venetias & ipsa se contulit: acceptaq; regio apparatu, urbe inspecta, suburbijsq; perlustratis, uiæ se reddidit. Eo tẽpore Hyeronymus Rhearius, qui Sixti Pont. Max. beneficio duorũ in Flaminia oppidorũ, Fori Liuij, & Fori Cornelij, regnum obtinebat, suo in cubiculo à suis ciuibus trucidatus, atq; in

forũ de fenestra proiectus, fœdum spectaculũ populo præbuit, implicuitq; intestinis exterisq; bellis atq; incendijs ciuitatẽ: quæ quidem incendia uix ægreq; nobilitatis interitus, & multorũ hominum consecutæ cædes restinxerunt. Neq; *multò pòst* Galeotus Manfredus, Fauentiam *item obtinẽs, admißis noctu ab uxore sicarijs, suo et ipse in lectulo cõfossus, oppidũ tumultu et seditionibus impleuit.* Hæc *senatui nunciata, eum à rei maritimæ cura non auerterũt.* Erat *iã antea sanè rumor, classem ingentẽ à* Baiasete Tur*carum* Rege *comparatã, in mare Aegæum uela facturum.* Itaq; Francisco Priolo *claßis præfecto designato mandarunt* Patres, *maturaret proficisci: & quoniã existimabant* Baiasetem *eo maximè tempore mentem atq; animum ad* Cyprum *insulam adiecisse, eò quo celerius posset contendere iusserunt.* Is *mense* Aprili *cõscendens,* Corcyram, *deinde unà cum* Cosmo Pascalico *legato* Methonẽ *adnauigauit: quẽ subsecutus* Nicolaus *Capellus item legatus, auxit earum, quæ* Methone *erant, longarum nauium numerum: quibus cum nauibus præfectus (erant aũt triremes uigintiquinq;, minora nauigia longa plus minus decẽ) die quinto* Cyprum *attigit.* Ea *intellecta re,* Turcarum *claßis omnis generis longarũ nauium, cùm à* Cypro *nõ longè abesset, mare* Ißicũ *præteruecta, sine ullo usu in* Hellespontum *redijt.* Auxerat Cypriam Patribus *curam, quòd intelligebãt* Ferdinandũ *regem* Neapolis *in* Federici *filij sui nuptias regina pellecta, occupandæ insulæ occasionẽ quærere.* Ea *erat* Catharina Venetijs *oriunda è gente* Corneliorum *clara atq; illustri, q̃* Marcus Cornelius *pater* Iacobo Lusi*niano regi* Cyprio *in matrimoniũ collocauerat, numerata regi pecunia dotis nomine auri ad libras mille.* Eã *rex breui tem-*

ui tẽpore profluuio uentris sublatus prægnantẽ reliquit, scriptis tabulis, quibus illam regni hæredem nascitura cũ sobole instituerat sub Veneti Senatus tutela: quo à Senatu Corneliã, tanquã reip. filiam, publica interposita fide acce ptã, uxorẽ duxerat. Itaq; post mortem patris natus filius anno uertente natali suo diẽ cùm obijsset, nouasq; res nonnulli eo in regno principes molirentur, classe ad insulam celeriter missa cum legatis, & Cornelio patre, qui reginæ assiderent, eos Senatus facilè tumultus cõpressit. Tranquil litate insulæ restituta, mulier uidua autoritate reip. quindecim iam annos post uiri mortẽ pacatè regnum obtinuerat, cùm per internũcios Ritium Marinũ Neapolitanum, qui regi Cyprio perfamiliaris fuerat, & Tristanũ Cibeletum Cypriũ, cui erat soror è reginæ famulis, Ferdinandus rex clàm eas, quas dixi, nuptias procurabat. Ii cùm à Rege missi in insulã descendissent, à præfecto classis capti, atque in uincula coniecti sunt, Venetiasq; transmissi: tametsi Tristanus, qui propterea quòd post regis Cyprij mortẽ tumul tu excitato Andreã Corneliũ reginæ patruũ interfecerat, exulq; factus fuerat, sui pœnas sceleris se persoluturũ sciebat, Adamante, quẽ in annulo gestabat, per os in stomachũ recepto, aqua insuper, quæ metalla diuidit, epota, dũ portaretur, interijt. Iis permoti rebus Decẽuiri (quanquã quidẽ non Ferdinandi modò artes, sed Turcarũ quoq; insidias, incœptaq; timuerãt: neq; nihil etiã ab rege Syriæ propter uicinitatem metuebãt) Georgio Cornelio reginæ fra tri dant negotium, uti se ad sororem conferat, eiq; persuadeat, ut relicta regni procuratione reipub. ad urbẽ reuertatur, atq; in patria malit, interq; suos, quod reliquũ est ui tæ, securè atq; trãquillè degere, quàm in remota suspectaq;

insula alienigenis hominibus sese, uitamq; suam credere. Cornelius paruulo nauigio, ut celerius iter faceret, parte itineris confecta, brumalibus diebus in Cyprum transmisit, & sorori, quã ob causam uenisset, exposuit. Nouitate rei permota, recusare illa, neq; sibi persuaderi uelle, uti regnum opulentũ relinqueret, mulier regio uictu, regijs honorib. assueta, quæq; sciret quã nullo præcipuo iure, quãq; parcè in rep. uiueretur: satis esse dicere, si se mortua, ea insula in reip. potestatẽ redigatur. Contrà Cornelius niti, rogareq;, ne pluris terrã Cypriã, quã natale solum, quamq; remp. faceret: casus humanarum rerum esse incertos: fieri momento horæ posse, ut regno expellatur, tam potentib. regibus quasi obsessa atq; præcincta, eius insulæ dominationẽ affectantibus, quãplurimis etiã Cyprijs principibus à fœmina sese regi non obscurè indignantibus. His eã casibus & periculis una modò re atq, cõsilio pulcherrimè ire obuiã posse, suum si regnum, quoniam liberis careat, reip. fidei iam nunc uiuens florensq; commiserit. Dum insidiarum & suspicionum tempora nõ plenissima fuerunt, eã regno suo frui, nõ permisisse solum remp. sed etiam uti frueretur adiuuisse: idq; ipsi iucundissimũ accidisse. Nunc autẽ, cùm nihil à quoquam tuti sit, cũ omnibus à uicinis regibus, atque etiã à longinquis & magno sciunctis atque separatis mari omnes artes adhibeantur, & tanquã retia ei insulæ tendantur, quibus capi & teneri posit: Senatũ ad id descendisse, quod unum sibi uisum esset omniũ impendẽtium malorum et periculorum remedium: quorũ si reliqua ipsa nihil timeret, num illud non perhorresceret, quòd, nisi præsidio celerrimè cõparato insulã Senatus firmauisset, æstate illam proxima Turcarũ classis occupauisset, atque

ipsam

ipſam uel fugæ ſeſe dare coegiſſet, uel captam Byzantium duxiſſet? quod eam caſus aut offenſio aliquà compellere, turpiter uti faciat, poteſt: præſtare, id incredibili reip. gratia ſuiq; facti ſumma cũ gloria celebritateq; anteuertiſſe. Occaſionẽ eſſe uariam, multiplicẽ, ſubitam: nõ ſingula hoſtium conſilia prouideri ſemper poſſe; nõ ſemper homines in tempore adeſſe: intimum Adriaci maris ſinnm, Cypriaq; littora multũ terrarum, multa maria intereſſe. hæc illi cogitanda, hæc in primis penſitãda eſſe. Quòd ſi nulla neceſsitas urgeat, quid eſſe tandem aptius atq; commodius ad eius famam nominis ſempiternã, quàm ſuæ illã patriæ regnum nobiliſsimũ tradere, ut in annalibus referatur, Venetã remp. à ſua ciue Cypri inſulæ opulentiſsimæ imperio auctam, atq; condecoratam fuiſſe? omni eam in regione nomen regiũ obtenturã. Si optio ipſius ſit, cũ tot annos apud Cyprios uixerit, debere eam cupere ſuis etiã à ciuibus aliquando, ſuaq; in patria ſe ſalutari atq; conſpici: ſplendorẽ ſuũ fratri, ſororib. propinquis, familiæ, demum ei urbi, in qua nata alitaq; ſit, cõmunicare. Nullius unquã fœminæ, neq; etiam uiri, tam gratum aduentum reipub. fuiſſe, quã ipſius futurum. Quòd ſi Venetiæ abiectum aliquod oppidulum eſſet, locoq; aſpero atq; ignobili ſitum, eſſe tamẽ eius pietatis, atque humani planè animi, qua in terra naſcẽs cœlum hauſerit, reuiſere eam uelle, ſeſeq; ſuis omnibus tanto pòſt tẽpore oſtendere: at cùm ea omnino urbs, omnes alias urbes, quas ſol aſpicit, propè excellere omniũ hominũ conſenſu prædicetur, atq; ipſa in Italia omniũ ſit eius terræ urbium oportuniſsima, quidnã eſſe cauſæ poſſe, quamobrem à Senatu atque à rep. tanto pòſt tempore inuitata, non ſe eò libentiſsimè conferat? Quòd regina ſit, quòd

multos annos securè atq; feliciter regnarit, gratiā esse Senatui, à quo id acceperit, referendam: eam gratiam pessimè relatum iri, si Senatum, se uocantem, omnibusq; honorib. prosequi cupientem, despexerit. Postremò, cū ipse ei frater sit, atq; is frater, cui multū illa semper tribuerit: si hoc non impetret, non tam eam adduci nō potuisse, ut reipub. satisfaceret, quàm se noluisse, omnes homines existimaturos: eoq; se nomine magnā totius ciuitatis inuidiā subiturum, liberisq; relicturum. Itaq; *flecti se fineret, & cùm sibi ipsa in præsentia consuleret, tum in posterum respiceret ad suos.* Nihil *esse laudabilius, quàm secunda fortuna moderatè uti, neq; in summo semper gradu uelle cōsistere.* Deos *etiam immortales cōsueuisse, quibus se diu beneuolos præstiterunt, eos aliqua non iucunda re interdum probare, an se homines esse natos reminiscātur: nullas eā preces posse illis gratiores adhibere, nullam potiorem uictimā cædere, quàm eorum uoluntati atq; numini sese præstò esse profiteri.* Deorum *autem uoluntatem eam esse existimare nos oportere, quæ patriæ sit, optimeq; cōstitutæ reipub.* Hæc Cornelius *cū dixisset, homo apprimè eloquens, nō doctrina ille quidem, aut sapientiæ studijs, sed naturæ quadā ui liberali atq; munere, regina obortis iam lachrymis, ubi primū fari potuit,* Si *tibi hoc ita frater uidetur, & mihi (inquit) uidetur: aut, ut uideatur, meo animo imperabo: sed magis à te patria regnum meū acceperit, quā à me.* His *dictis, cōstitutoq; quid facto opus esset, anno insequēte iam inito, classis præfectus legatiq; re diuina facta, in* Famagustæ *oppidi foro, regina inspectāte atq; iubente, reip. uexilla erexerunt,* Cypriumq; *regnū in prouinciā est redactum.* Regina *post hæc supellectili regia imposita,* Cornelio *cū*

fratre

fratre naues longas conscendit,atq; ad portus Veneti angu stias æstate media appulit:exceptaq; ab Augustino Barba dico ciuitatis principe,& Patribus, qui ei obuiam ierant, ad Nicolai fanũ, quod est in portus littore, magna omniũ ordinum,atqueadeo omnium hominum in cymbis impositorum prosequentiumq; lætitia, ipsa uecta Bucentauro naui,media inter patres,matronasq; nobilißimas ciuitatis,urbem est ingressa,quod ante id tempus Venetarũ fœminarũ contigerat nulli: lætißimusq; is profectò dies ciuitati fuit. Asulum subinde oppidum in Taurisanis collibus ei à Decemuiris dono datum, atq; auri quinquaginta libræ in annos singulos constitutæ pensionis nomine:tum muneris in præsentia decem libræ. Superiore anno aũt (ut ad eas res, quibus de rebus antè dicendum fuerat,reuertamur)ne ciuitatem onerariarum nauium numerus, prouentusq; deficeret,Senatusconsultũ factũ est, quæ in nauibus exterarũ nationum mercaturæ causa imponerentur, ea fisco deberi,uino Cretico excepto:pro quo tamen portorij nomine Venetis magistratib. pares amphorarum numero auri semuncias mercatores soluerent. tum quicunq; nauem magnã onerariã fabricandã instituerent, uti ei quæstores de triginta auri libris cõmodarent,eodem Senatuscõsulto continebatur. Post hæc cũ Tremezeni rex, quod est oppidũ Aphricæ,non longißimè à freti angustijs contra Hispaniã sitũ, à Senatu per legatos petijsset, uti ciuem Venetũ eò mitteret, qui suis in oppidis tribus ius reip. hominibus diceret, Senatus censuit,quò regiæ postulationi satisfieret,uti magistratus crearetur,eoq; mitteretur, ad quẽ centesima mercium omnium,quæ merces eis in oppidis uenderentur,perueniret:estq; ad ea oppida omnium primus Aloisius Pizama-

nus missus. Eodem tēpore Senatus iussu in Idri lacus ripa, loco alto atq; edito, quo in loco Anso Brixiani agri uicus est, magni arx operis, crebræq; munitiões institutæ, ac tertio confectæ anno, omnem illam oram tutiorē, ac celebratiorem reddiderunt. Eodem quoq; anno Decemuiri legem tulerunt, ne apertè suffragia inirētur: qui secus fecisset, suffragiorum iure, magistratibusq; annos duos careret. De Græcis itē equitib. qui reip. militiam faciebant, lex est lata: qui eorum coloniæ nomine ad insulam Zacynthum ire uellent, uti ijs agri publicè darentur, in primisq; Theodoro Palæologo, si eò mittere aliquē suorum uellet, propter eius summū in remp. studium, summā fidem, singularemq; constantiā. Regis etiā Roxolanorū legatio cū preciosariū pelliū muneribus ad Senatum uenit, petijtq;, ut ad ipsorū littora reip. onerariæ naues longæ ad mercaturā exercendam mitterentur. Ea de re, propter longinquitatē itineris, nauigationisq; tædium atq; pericula, quòd Mœotis erat palus emetienda, nihil est impetratum. Legati, qui duo erant fratres, honorificè accepti, ueste uterq; aurea, & auri libra publicè donati, Romā profecti sunt. Insequēte uerò anno, de quo paulò ante dicere incepimus, Franciscus Gonzaga, qui Mantuæ regnum à maiorib. traditū obtinebat, in reip. militiam conscriptus est: eiq; Senatusconsultū est missum, quo ex Senatusconsulto equitibus cataphractis trecentis, sagittarijs qui equo uterentur, quadringentis, militibus ducentis & quinquaginta præesset. Cùm autem Matthias Pānoniæ rex, homo rei militaris scientia atq; gloria clarus, bellum Federico Imperatori duobus exercitibus intulisset, uno in Carnos, altero in Liburnorum fines immisso: Senatus uicinitate belli adductus, per Antonium Bolduum,

Domini-

Dominicum Bolanum legatos, *illum ad Federicum, hunc ad Matthiã missos, eorum regum animos iam exulceratos lenijt:itaq; induciæ inter eos dictæ.* Earum induciarum tẽpore, *solutus belli occupationib.* Federicus Tridentum *uenit, omnem illum* Italiæ *tractum, qui à lacu* Benaco *ad* A-*quileiam secundum* Alpes *est, si per* Venetos *liceat, animi causa perlustraturus.* Ea *intellecta re* Senatus Hieronymũ Barbarũ, Dominicum Grimanum, *qui postea Cardinalis fuit,* Paulum Triuisanum, Hieronymum Leonẽ *legatos ad eum misit, qui ei uenienti obuiam* Roueretũ *profecti sunt, reiq; pub. nomine illum salutatum exceperunt. eaq; postea legatio, quoad is in* Italia *fuit, ei præstò omnibus in reip. locis fuit, atq; uti pro copia locorum quammaximi ei honores haberentur, studium & diligentiam adhibuit.* Federicus Benacũ *primũ inuisens, omniaq; littora biremi circũuectus, eius præsertim oræ quæ ad meridiẽ uergit, aspectu atq; fragrantia, quod est pomi* Medici *plena, mirificè exhilaratus, tum aquæ perlucidissimæ amœnitate oblectatus, piscationibusq; delectatus est. Capitur eo in lacu propè medio, quaq; altissima est aqua, piscis clarus* Carpio *ab incolis dictus, pedis plerunq; lõgitudine: qui omnino piscis alibi non capitur: cum piscem capere atq; cognoscere* Federico *uoluptati fuit.* Veronam *deinde, tum* Vicentiam, Bassianum, Taurisum, Cornelianum, Forum Iulij, Aquileiam, *portumq;* Naonis, *qui locus in ipsius ditione est, lento itinere peruenit.* E Naonis *uerò portu tres legatos ad* Senatũ *misit actũ gratias, quòd per eius loca tam liberaliter, tantisq; honorib. susceptus fuisset, tamq; beneuolã in sese ciuitatis uoluntatẽ cognouisset.* Ab Aquileiæ *finibus suũ in regnum cõcessit.* Eodem *tempore ut infantibus uulgò quæsi-*

tis, qui publicè alebātur, quorumq; magnopere numerus excreuerat, largius uberiusq; esset, in Senatu lex est perlata, ut naualium urbanorum magistratus in annos singulos tritici molita sestaria, quæ appellāt, ducēta, uini amphoras duodecim eorū curatorib. darent: iisq; rebus ex reip. horreis syluæ cæsæ ad ignem domesticū carros ducentos eorum præfecti adderent. Terruit nō multò pòst ciuitatē, quòd ad diem tertium Iduum Sextilis duæ turres omnium, quæ in urbe essent, maximæ atq; altissimæ noctu de cœlo tactæ cōflagrauerunt, culminib. incendio latè spectabili absumptis: una, quæ in foro est, cuius erat culmen inauratum, altera quæ est media in urbe ad Frācisci. Senatus post hæc legibus aliquot promulgandis operam dedit, quæ leges ad portoria urbis conseruanda pertinerent. Etiam in Mariæ clarum miraculis, unde ei nomen est, fanū exædificatū iam eo luculentiore opere, quo ipsum angustius est, ut eius artificij elegantia & sumptus aliorū templorum magnitudinem exæquarent, extremo anni die uirgines inductæ sunt. Anno insequēte, quod in urbe sæuire pestilentia cœperat, triūuiros sananda ciuitate Senatus creauit: isq; postea magistratus nunquam est creari desitus. Eo anno cùm increbuisset rumor, Baiasetis regis classem nō multarum nauiū in Aegæum prouehi, ut Nicolaum Sumaripam è Paro insula, quam obtinebat, expelleret, eaq; potiretur: Nicolaus Capellus legatus cum triremibus quatuor Zacynthum cōtēdit ei præsidio, si opus esset, futurus. Sumaripa ubi adesse legatum cognouit, insigne Venetum sustulit, seseq; reipub. addixit. Neq; multò pòst Ioannes Cernoichius, cuius erat magnum in Illyrico nomen, magna autoritas, legatos ad Senatum misit, cupere sese, ut Georgius filius suus Antonij

Erici

Erici senatoris filiam in matrimonium duceret: petere, ut sibi id facere Senatus uoluntate liceret. Ea de re consultus Senatus censuit, uti nuptiæ fierent. Erat eo tempore Antonius reip. nomine Ferrariæ magistratus, qui Prodominus appellabatur: itaq; facta potestate ad urbem uenit, Georgio filiã spondet. Ea dum per legatos in Illyricum traducitur, pater moriẽs filio regnũ tradit: ita nuptiæ inter lachrymas & gratulationem concelebratæ, clariorem exitũ habuerũt. Guidus Mariæ Rubeus paulò pòst Venetijs moritur magno totius ciuitatis dolore: funus ei publicè atq; magnificè factum, laudatusq; à Sabellico est. Eius stipendium, equitumq; numerus, duobus eius liberis æquis partibus distributus. Eodẽ anno tametsi pacata neq; ullo bello implicata esset ciuitas, rei militaris tamen studium nõ neglexit. Inualuerat iam in bellis cõsuetudo, inuento Germanorum nobis tradita, ut milites fistulis ferreis uterentur: quib. fistulis glandes plũbeas magna ui ignis impetu mitterent, atq; hostẽ è longinquo uulnerarent. Eæ erant fistulæ ad formã atque imaginẽ eorum tormentorũ, quibus muri oppidorũ deijciuntur, nisi quòd illa ex ære fusili fiũt, maximiq; sæpè sunt ponderis, ut carris solidissimis ferratisq;, ac magno iumentorũ numero egeant, quib. sustineri atq; regi possint. Fistulæ è ferro sunt, gestanturq; singulis ab militib. singulæ ligneis alligatæ armamentis, per quæ capiuntur, & puluere ad ignem celeriter cõprehendendum idoneo infarciũtur, & glande immissa humeris sublatæ in hostem conuertuntur. Eo telo qui uti scirent, ut reip. suppeterẽt, peritissimos eius rei homines undiq; conquisitos accersitosq;, Decemuiri suas ad urbes miserunt, qui iuuentutẽ instituerẽt: atq; ut agrestes maximè homines id armorũ genus doce-

rentur, singulis in uicis pagisq; uti duo puberes ei artificio assuefierent, edixerunt: atque ijs omnium onerum immunitatem concesserunt, quò studiosiores & diligentiores unum ad id munus obeundum reliquis liberati oneribus ac tributis fierent: eosq; puberes die dicta ad suũ quosque oppidum quotannis signo glande feriendo conuenire uoluerunt: qui uicisset, eius toti pago aut castello uacationẽ esse munerum annuã, eo excepto munere, quo ad Medoaci fluminis deriuationẽ tenebantur, imperauerũt. Inter hæc cũ antea fures domestici lege antiquitus instituta pœna multo leuiore plecterentur, quã ij, qui eandem domũ non incolerent: qua ex re fiebat, uti aucta seruorum & inquilinorũ audacia, omnibus penè in domibus furta exercerentur, maioribus in comitijs mẽse Sextili lex est perlata, qua lege eadẽ esset in seruos reliquosq; fures cõtubernales pœna cõstituta, idẽ ius, qua pœna, quoq; iure in alienos exterosq; fures animaduertere ciuitatis magistratus cõsueuerãt. At ea quæ subsecuta est hyeme, tantus tamq; perpetuus niuiũ rigor fuit, ut omnia urbis æstuaria cõgelauerint: neque pedibus modò, sed in equis etiam homines ex agris ad extremũ urbis marginẽ cõmeatib. importandis sine periculo uentitarint: magistratusq; Mestrinus ad Secundi fanũ, quod est in medijs ad urbem uadis, curru peruenerit. quibus quidẽ diebus etiam in media latißimaq; urbis uia, per quam unam naues onerariæ magnæ permeant, constricto glacie mari, niueq; superaddita, admißis per ludi speciem equis, Græci hastati equites concurrerunt. Vini, ficus, oleæ anni aliquot intra Alpes, Athesimq; atque Padũ flumina exustis super terrã arboribus, prouentũ angustiorem habuerunt. Vere insequẽte Innocẽtius Põt. Max. per suos internũcios

eiusmodi

eiusmodi sententiam Tridenti pronunciauit: Quòd Veneti à Sigismundo lacessiti bello Rhetico se defendissent, impẽsasq́; magnas eo in bello fecissent, Nomium & Iuanum *castella iure ab ijs capta atque retenta sibi uideri. à Senatu tamẽ petijt, uellet ea ipsa Sigismũdo ultrò reddere: id se propterea cupere ostendẽs, ne pax inter ipsos inita, ea de causa uiolaretur. Cuius autoritate moti patres, præsidijs abductis* Nomium et Iuanum *Sigismundo restituerũt. Obijt per eos dies mortẽ* Romæ Marcus *Barbus* Pauli *Secũdi Pont. Max. fratris filius è Cardinalium collegio, uir & doctrina, & probitate, & sanctitate uitæ, &* Romanorũ *ciuiũ gratia egregiè insignis: quiq́; comitijs Põtificalibus Sixti morte habitis, parum abfuit quin à collegio summũ locum adipisceretur.* Eo mortuo Innocentius *Patriarcatũ (sic enim appellant) Aquileiensium, quem is multos annos obtinuerat,* Hermolao Barbaro *legato apud se* Veneto *attribuit. quod ubi ciuitas intellexit, tametsi Hermolaus ad Senatum scripserat, coactum se à Pontifice uestem senatoriam mutauisse: quoniam tamẽ sacerdotijs cooptari ciues Veneti, qui legati* Romæ *essent, lege prohibebantur, grauiter tulit ausum illũ cõtra leges patrias facere. Auxit eius rei magnopere inuidiam, quòd antea ex* Hermolai *literis, quas ad Senatum de Barbi morte dederat, more institutoq́; maiorũ comitijs senatorijs præiudiciũ patres fecerant, cuius ipsi ciuis nomen ad id adipiscendum sacerdotium Innocẽtio cõmendarẽt: itaque deceptos in eo sese ac propè delusos querebantur. Erat omnino Hermolai, propter eius summã in literarum atque optimarum artium studijs præstantiã magnum apud exteras nationes nomen, apud suos quidẽ certè maximum: nam ad doctrinæ singularẽ opinionem etiam*

uitæ perpetuam innocentiam adiunxerat:simul is multùm patris opibus,& gratia,qui summo proximum in ciuitate magistratū gerebat,multum cliētelis,necessitudinib. propinquitatibusq; pollebat:quibus tamen in rebus omnib.satis sibi præsidij nō habuit, cū pluris à patribus una legum charitas maiestasq;, quàm ullorum ciuium omnibus aucta nominibus dignitas atq; claritas,fieret. Decemuiri enim literas ad eum seuerè scriptas dederunt,mora omni excusationeq; sublata,sacerdotium repudiaret: id si non faceret, patrem magistratu remoturos, & bona eius publicaturos præ se tulerunt. At pater, perspecta ciuitatis uoluntate,omnib.tentatis rebus, cū iam eam flecti & leniri posse diffideret,ægritudine animi est mortuus. Filius nō multò pòst Romæ,editis Plinianis castigationib. immensi propè labo ris opere, priuatus plebeio morbo perijt. cum uitæ finem Hermolaus habuit,omniū ex sua ciuitate,qui ante illū nati essent,Latinorū & Græcorū literis planè doctißimus. Eo tēpore ab Hieronymo Marcello literæ Byzantio uenerūt: erat is Venetus eo in oppido uetere cōsuetudine magistra tus:quibus literis Marcellus Senatū certiorē faciebat, sibi ab rege imperatū statim Byzantio discederet:eius rei causam fuisse,quòd rex diceret Marcellū suis de rebus & cōsilijs ad Senatū scripsisse:uelle se,atq;decreuisse,posthac suo in oppido ei magistratui locū non esse:fœdere tamē, quod cū Venetis haberet,uti antea tenebatur, sese teneri. His de causis Senatus ad regē Dominicū Triuisanum legauit,qui prima ad nauigandum idonea tempestate proficisceretur. neq; multò pòst,anno insequēte uix inito, regis legatus ad Senatū uenit,exposuitq; Patribus, quas ob causas Baiasetes magistratū eorum Byzantio remouisset: erant autē ferè

rè

rè illæ ipsæ, de quibus ad Senatũ Marcellus perscripserat: adiunxitq;, illud idem etiam omnibus aliarum nationũ magistratibus fuisse denũciatum, quod Rex Marcello imperauisset. Iisdẽ diebus antequã mensis Ianuarius desineret, ornãdi eos ciues causa, qui pro patria mortẽ oppetijssent, Senatus decreuit, vti Damiani Mauri eius clasßis præfecti, quæ prior bello Ferrariensi Padũ flumẽ est ingressa, hostiũ castellis aliquot in ripa fluminis ui captis, bellicis ex laboribus mortui, duabus filijs dotis nomine quadraginta auri libræ ex publica pecunia darẽtur: sacerdotij autẽ nomine, si ci uitæ se dederẽt, sen.e libræ. Post dies paucos, cũ esset nunciatũ Baiasetẽ regem classem et exercitũ parare, Senatusc cõsultum est factum, vti sexdecim triremes naues, alteraq; nauis oneraria magna reip. quæ ad anchoras erat deligata, confestim ornarentur: altera quæ aquam non tetigerat, deduceretur, atq; instrueretur. Sed eo tamen anno eis nauibus resp. non est usa, clasßis exercitusq; cõparatione à Baiasete penitus intermissa. Neque multò pòst maiorum comitiorum lege, quã Lucas Pisanus consiliarius tulit, quadragintauirale iudicium tertium duobus prioribus est additũ. nam sunt in urbe magistratus duo, quos appellare in ciuilibus actionibus licet: vnũ ab iudicibus vrbanis, alterum ab ijs qui publicè in oppida atq; prouincias ad ius dicendum mittuntur. Ii tamen ipsi per se magistratus nihil statuunt, nisi de minimis quibusdam rebus. sed ante eum diẽ ad alterum tantummodo eorum duorum iudiciorum quadragintauiralũ, quæ antiquitus sunt instituta, res ab alijs iudicatas deducebant: illi sententias ferebant, quibus aut probarent, quæ deducebantur, aut rescinderent: eas ratas haberi oportebat. Alterum iudiciũ uitæ necisq; habet potestatẽ:

aliusq; ad eos iudices magistratus causas defert. Illud igitur iudiciũ quadraginta virũm ex duobus, apud quos ex prouocationibus, quæ ad duos illos magistratus fiebant, disceptabatur, cùm actionum & causarũ multitudini nõn sufficeret, tertiũ simile ita est institutũ, vt veteri illi alteri ab urbanis iudicibus, huic recẽti & nouo ab exteris interpositæ iudicibus appellationes proponerẽtur. ea re prouocantiũ querelis aditus, & iuris persecutio duplo facilior et explicatior est facta. Aliam etiã magnopere vtilem ciuitati legẽ maioribus comitijs Antonius Tronus consiliarius paucis pòst mensibus tulit: qua lege ferendorũ suffragiorũ nimiã creandis magistratibus licentiam, quæ ferri iam non poterat, facilè sustulit. Porrò ante id tempus suffragiorum ferẽdorum ratio erat eiusmodi. Loculi lignei tornatiles pedis altitudine bini ciuibus per subsellia consedẽtibus, alter prasinus, albus alter afferebantur. Eorum locorum superiore parte detecta, patulaq;, vti manus inferri posset, media in angustum atq; arctum pars contrahebatur eousq;, vt vni modò suffragio viam interius daret, extrinsecus ad circumferendum captu multo esset etiam habilior. Infima erat pars plurimorũ suffragiorũ capax: eaq; detrahi, atq; reponi poterat. detrahebatur autem numerãdorum suffragiorũ causa. In eorum loculorũ vtrum quisq; vellet suffragium inferebat. Id erat glandula parui pomi cerasi magnitudine, ex tela facta, non quidem solidè compacta atq; firmiter, sed consuta leuiter, quòd, in quem cecidisset loculum glans, sentiri posse nolebãt. Itaq; pugno etiam clauso manum lege in vtrunq; loculũ demittebant, vt ea quoq; re cognosci non posset, quo in loculo suffragiũ esset relictũ. Nã quæ album in loculum glandulæ cecidissent, eæ candidato

fauebant:

fauebant: quæ in prasinum essent coniectæ, ijs glandulis cādidati repllebātur. Hæc cū ita essent antiquitus constituta, ambitio, cui planè locus omnibus in rebusꝗ. semper fuit, eò licentiæ creuerat, vt qui suorum aliquē creari magistratum volebat, & ipse summis prehensam digitis glādulam albū in loculum palàm proijceret, et qui ei proximi erāt, idem vti facerent, postularet, illi candidatorū veriti inuidiam, non suo plerunq; iudicio, sed ad gratiam suffragium apertè ferebant: ea re fiebat, vt indigni sæpe homines, propterea quòd plus aut opibus, aut propinquitatib. aut omnino clientelis valuissent, bene de rep: meritis optimisq; ciuibus anteferrentur, magistratusq; adipiscerentur, boni re iecti ac repulsi iacerent. Eam ad perniciem atq; malum cū plures latæ leges nihil profuissent, vti è ciuitate tolleretur, vna omnino Antonij legislatio saluti atq; decori ciuib. fuit. Nam qui bini ad eam diem loculi patuli atq; aperti, binos erant per ministros publicè circunferri soliti, eos & à superiore tectos parte, & vnà coniunctos, inter seq; cōtinentes fieri statuit oportere: ijsq; ambob. sic cōnexis & conglutinatis, vnū tantūmodo in superiori parte laterorsum os dedit, eiq; ori tubum prominentē circūduxit semipalmæ spatio, ad interiores loculorū aditus obtegendos: quem per tubū rectū vtrunq; ad loculū manus inferri aptè posset. rursus eorū loculorū prior, tuboq; proximus is collocabatur, cuius loculi glādulæ cādidatos reijciebant. Id ea causa excogitauerat Antonius, vt si quis aliter atq; ipsi liberet, suffragio ferendo cuipiā fauere cogeretur, is, dum manū per tubi os ad posteriorem loculum protenderet, quòd is esset loculus cuius suffragia magistratū crearent, apertis clā digitis in anteriore sineret loculo glādulā decidere. Ita ciues

vnum simulando, alterum dissimulãdo, illud re, quod cuiq; esset prius, audacter efficerent, neq; deprehendi aut cognosci posset quid fecissent. Ea lege post id tempus ciuitas maioribus in comitijs, atque in senatu, & Decemuirûm collegio creandis magistratibus semper est usa: liberumq; illi iudicium à gratia atq; inuidia semper fuit. tametsi capitalibus, cæterisq; omnibus in iudicijs, vti, si cui non liqueret, is eò deferri posset, tertiũ etiam loculum adhibuerũt, cumq; seiunctum à duobus atq; separatum esse voluerunt. Neque verò minus Decemuiri ante anni exitum alia ex parte surgentem malorũ ciuiũ ambitum seuero iudicio repressérũt. Erat in quadraginta viris rerum capitalium iudicibus, qui omnes in Se. atu adhibentur, Gabriel Bonus, eorũq; magistrum gerebat. creãtur autem semel à collegio magistri numero omnes duodecim. Eorum magistrorum tres bimestre tempus apud Principem omnibus rebus præsunt: habentq; cùm in senatu, tum verò etiam maioribus in comitijs ferendi leges potestatẽ. Post eos tres, item alij ex eodem numero tres eodem loci tantundem temporis præficiuntur, usq; eò, quoad octo menses abeunt, quod est eius collegij temporis vniuersum spatiũ. Eo cùm esset in magistratu Gabriel Frãcisco Falerio autore, Principi & reliquis ex eius collegio patribus legem à se scriptã proposuit, qua lege ciuibus omnibus, qui re familiari angusta vterentur, quadraginta annos natis, auri libra singulatim ex publica pecunia quotãnis daretur, qua se stipe honestius, liberosq; suos alerẽt: qui intra eos annos nati essent, annum autem vigesimum quintum excederent, ij semilibram eodem nomine acciperent. Eam ipse legem ferre ad Senatum maioraq; comitia statuerat: itaq; vt consultis Patribus ferretur (id enim fieri aliter

non

nō poterat) eis tradiderat legendā. Patres vbi legem inspe xerunt, quæ morē improbi exempli in remp. induceret, vt vnus temerè ciuis tantum pecuniæ publicæ cæteris ciuibus elargiretur: idq; nulla alia de causa cū et Falerium esse aggressos animaduerterent, nisi vti ciuium gratiam ad magistratus adipiscendos aucuparentur: Principi negotiū dede runt, vt vtroq; ad se vocato, eos moneret, ne quod amplius ea de lege verbum facerent. Illi cùm dies aliquot siluissent, multorum autē ciuium, quorū vitæ lex erat opportunissima, vocibus increparentur, suam ipsorum dignitatē ab eis negligi: si legem ferrent, sese quos vellent magistratus adepturos principesq; ciuitatis euestigiò futuros: vt si quid eius facere possent, experirentur, curā & studium adhibuerunt. Ea re ad collegiū delata, Decemuiri Gabrielē Boniū, & Franciscum Faleriū statim cōprehensos, atq; in vincula coniectos, in Cyprum insulam deportandos curauerūt, pœna capitis adiecta, ab oppido Nicosiensiū vllo tēpore si emigrauissent. Binos autem scribas fisci reip. quibus illi vsi fuerant eius legis consultoribus, & tāquam administris, in Cretā insulam exulatum miserunt, eadem eis pœna proposita ab Rhytymna Cretæ oppido diffugientibus. Atq; hoc omnino Decēuiri grauioris animaduersionis esse iudicium voluerunt, non tam quidem vt de ijs supplicium sumerent, qui legem, tametsi perniciosam, nequedum tamen ad Senatum tulerant, poterantq; per se ab ea re desistere, quàm vt reliqui etiam ciues ab eiusmodi quicquam in posterū cogitandi consilio, similis timore pœnæ duorum ciuium exemplo absterrerentur. Eiusdem anni vere Laurentius Medices Florentinus, excellenti vir ingenio, qui principatum in sua ciuitate obtinebat, vita functus est. æstate media Inno-

centius. Ille tres reliquit liberos, qui omnes breui tempore & principatu & ciuitate eiecti, exulatum abierũt. Huius locum Alexander Borgia Valentinus, opibus & largitione nixus tenuit: atq; hoc planè tempore ciuitas propè quieuit. Insequenti aũt iã in ver progresso anno: vt firmatis inter se trium maximarũ Italiæ ciuitatum rebus tempora etiam pacatiora fierent, ab Alexandro Pont. Max. & Venetis, & Ioanne Galeatio adolescente regnũ in Mediolanẽsibus obtinente, autore Ludouico patruo, qui ciuitati eius nomine præerat, fœdus in XXV. annos percussum, atq; vno eodemq; die ab singulis concelebratũ est: quo quisque fœdere ad reliquorũ sociorũ ditiones defendẽdas, hostesq; propulsandos teneretur. Et quòd erat ea tẽpestate Romæ Giemes Sultanus, Baiasetis regis frater, homo magni inter suos nominis, qui ab eo armis regno pulsus Rhodum confugerat: Rhodij, ne bellum in se conuerterent, cum ad regẽ Galliæ, rex ad Innocentiũ rogatu eius miserat: itaque is ab Alexandro adhibitis custodibus asseruabatur, cùm ne fratri renouare bellum posset: cuius rei causa quadringẽtæ ab eo auri libræ quotannis Pontifici dependebantur, Romãq; mittebãtur: tum vt eo nomine Baiasetẽ à bello Christianis infrẽdo absterreret. Est in fœdere additum, vt si Veneti armis à Baiasete lacesserentur, Alexander eis Giemem traderet, cuius autoritate atq; gratia cõtra illum vti possent. Ei fœderi Hercules Atestinus Dux princepsq; Ferrariensium, Ludouico suadẽte, paucis pòst diebus se adiunxit. His confectis rebus, cùm propè omnia spectare ad quietem viderẽtur, Leonora Ferdinãdi regis Neap. filia, Herculis Atestini vxor cũ duab. filijs, altera Ludouici, altera Frãcisci Gonzagæ vxore, atq; Alfonso cũ filio, & eius vxore Anna Io-

na Ioannis Galeatij sorore, cõscensis ad Padi ripam nauibus secundo flumine in æstuaria, Venetiasq; se contulit, vt vrbem læto illo tempore inuiserent: quibus quidẽ fœminis vti quàm amplißimi honores haberẽtur, Senatus decreuit: itaq; & obuiam eis publicè itum in Bucentauro naui, qua in naui à magna Senatus parte, atq; à matronis centum triginta, tota penè ciuitate circunfusa, atq; adnauigante, sunt exceptæ: & per eos dies, quos in urbe cõsecerunt, nullũ eis genus publicæ voluptatis aut liberalitatis defuit: nã & choreæ electißimarũ fœminarũ à principũ liberis in comitio celebratæ sunt, et bellaria magni et operosi sumptus data, & ludi tota urbe, certaminaq; multifariã edita, quibus ex omnib. vnum nouũ ciuitati fuit, vt complures cymbæ, quibus in singulis quatuor fœminæ remigarent, cursu propositis præmijs contenderent. quo in certamine propè miræ res accidit: quæ à ciuitate animaduersa, diei spectaliq; lætitiam & hilaritatem conduplicauit: vt quemadmodũ Leonora duabus cum filijs et nuru aderat, quarum causa ea fiebant, ita cymba, qua in cymba mater cum duabus filijs ac nuru remos impellebat, vicerit.

Contareni de Ludouico Sfortia interficiendo consilium. Caroli in Galliam reditus.

VIX eæ mulieres domum redierant, cũ ab Carolo rege Galliæ, eius nominis octauo, certus homo ad Senatum venit, cuius oratio eiusmodi fuit: Quoniã Carolus in Italiã cum exercitu sit venturus ad regnum Neapolitanum, quòd ad se iure hæreditario spectaret, in suam potestatem redigendum: scire eum cupere, quo in se animo ciuitas esset futura: velletne, qua in amicitia & necessitudine adhuc quidem egregia & constanti secum fuisset, in ea etiam in posterum manere. Ciuitas noua intellecta re, quæq; magnam rebus Italis commutationem esse allatura videretur, consulto Senatu, ne regis in se inuidiam prima omnium [illegible]itaret, præsertim cùm fieri posset, vti is vel per sese, vt fi[illegible]t plerunque hominum mobiles ad omnẽ fermè impetum animi, ab incœpto desisteret: vel difficultate atq; magnitudine belli gerẽdi, adolescens, neq; rei militaris gnarus, absterreretur: vel aliqua interposita mora, atq; à cæteris regibus impedimẽto explicare se non posset: respondit, se quidem omni tempore pacem bello prætulisse, optareq́; vt & ipse quiesceret, & reges principesq́; Italos quiescere permitteret: sed si veniat, ea de causa nihil moturam, neq; ab eius amicitia recessuram. Pero (id enim erat ei nomen) accepta ciuitatis voluntate Romã abijt: eumq́ue alij postea regis interpretes duo paucorum mensium spatio cum eisdem ferè mandatis separatim sunt subsecuti: quibus interpretibus idem est responsum da[illegible]um, quod Pero antè acceperat. Sed omnino ad eam belli ab rege capes-

sendi causam, quæ ab illis prædicabatur, quòd ei regnum Neapolitanum hæreditatis nomine deberetur, etiam aliæ causæ accedebant: ex quibus una hæc fuit. Galeatio Sfortia, *qui Mediolani regnũ obtinebat, complures ante annos per insidias interfecto,* Ludouicus *frater, vxore* Galeatij *è regni procuratione (quam illa, vt* Ioanni Galeatio *filio suo admodum paruulo, in fide atq; officio ciuitatem contineret, post uiri mortem susceperat) reliquisq; administris paulatim deiectis, ipse se ei rei præposuerat, annosq; tredecim præfuerat: fratris aũt filium, cui se regnum procurare præ se ferebat, ita porrò aluerat, ijsque moribus instituerat, vt omnem curam videretur adhibuisse, ne puer vllam ad frugem perueniret: non rei militaris, non literarum studia, non deniq; artem vllam & disciplinam regiam edoceri illum voluerat, adhibitis etiam ad puerile ingenium deprauandum corruptoribus, quorum ille conuictu in omnẽ luxũ atq; intertiã assuefieret.* Ei nõdum planè *puberi* Alfonsus Ferdinandi *regis filius* Isabellam *filiam in matrimonium collocauerat, ex eaq; is etiam liberos procreauerat, ad regni tamen sui gubernaculum à patruo nullam in partem admittebatur.* Id *cùm grauiter ferret non* Alfonsus *modò socer aßiduis propè filiæ literis lachrymisque permotus, sed multò etiam magis auus* Isabellæ Ferdinandus, *primò petere à* Ludouico *cœperunt, vellet pro sua fide atque iustitia fratris sui filio non adulto modò atque firmo, sed etiam planè iam viro, atqueadeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, suiq; illum imperij, suarum rerum compotem facere.* Ea *postulatio cùm sæpius interposita nihil profuisset, grauioribus apud illum expostulationibus & querelis non semel egerunt*

runt

runt: postremò eò rem deduxerunt, vt dicerent, sese illum bello persecuturos, ni Ioanni Galeatio, qui cum affinitatē, vti cum rege, contraxissent, regiam potestatem remitteret. Horum ille regum minas atq; potentiam veritus, ne tam amplæ ciuitatis principatum atq; imperium vlli tradere cogeretur, quod suū vnius efficere in animo magnopere habebat, filijsq; suis relinquere, cùm intelligeret Galliæ regibus in regnum Neapolitanum ius esse, celatis ea de re Alexādro Venetisq;, quibus cum paulò antè fœdus percusserat, ad speciē salutandi regis, legationem maximè celebrem ad Carolum misit hortatum, ut id bellum susciperet, suasq; illi opes, copiasq; pollicetur: facillimū factu esse, modò Alpes traijceret, atq; in Italiam se ostenderet, eo regno potiri. Ea tanti hominis hortatio apud Carolum momenti plurimum habuit. Altera fuit eius rei causa in Antonio, qui Salernum à maioribus suis traditum obtinuerat. Is cū ob Ferdin. regis inimicitiā in sese animum sedibus patrijs excessisset, seq; in Galliam ad Carolum contulisset, propè quotidianis eum sermonibus admonebat, vt tam propriam regni opulentissimi capiendi oblatam sibi à dijs immortalibus facultatem, ne prætermitteret. Ferdinādum hominem esse auarum, crudelem, nulla fide, nulla iustitia: omnes eius regni principes, omnes populos illum odisse: nullius esse negotij rem, eum regno expellere, præsertim Galliæ regibus, quorum nomen atque autoritas illis in regionibus maximè omniū tū vigeret, fueritq; semper plurimi. Alexāder etiā Pont. Max. molestè ferens Virginiū Vrsinum eius familiæ principem, ausum esse à Francisco Cibo Innocentij Pont. ante se Max. filio, oppidū Anguillariā in Sabatini lacus ripa, quod erat in Pontificū Maximorū di

tione, abestq; ab vrbe XVI. millia passuum, nulla facta sibi ab ipso eius rei potestate, commisse: quoniam Virginius à Ferdinando fouebatur, ne quid facere inuitus cogeretur: Carolum & ipse ad id suscipiendum bellum hortabatur, vindicandi sese de aduerso suis rebus suæq; dignitati rege causa. quas ad res omnes etiam illud adiungebatur, quòd ex Gallis principibus ijs, qui apud Carolum autoritate gratiaq; pollebant, nonnulli rerum Italicarum, Romaniq; Pontificis, quà erat iter faciendum, occasione amplissimis sacerdotij dignitatibus sese iri auctum, & honestatum confidebant: alios exercituum, & regendorum populorum, quos essent subiecturi, spes & cupiditas incendebat. multi etiam sua leuitate & nouarum rerum studijs mouebantur, vt regem ad profectionem impellerent. Interim Autumni mensibus tota ferè citeriore Gallia eiusmodi tempestates, tamq; continentes pluuiæ fuerunt, vt in Bergomatium finibus aqua denos quinos pedes præter consuetudinem excreuerit, ædificijsq; quamplurimis dirutis, ac pontibus lapideis abreptis, magnum puerorum & mulierum, magnum etiam virorum numerum repentino impetu oppresserit. Neque in Brixianorum finibus flumina non ingentem stragem ediderunt. Athesis quidem cùm Veronæ urbis magnam partem peruasisset, & complures domorum parietes subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido deiecit. Medoacus & ipse ripas non vno loco trangressus, optimam Patauini agri partem illuuie vastitateq; fœdauit. Padus omnino vtriusque ripæ vicinitates ita est depopulatus, vt omnia luctu & mœroribus impleuerit. atque hæc quidem esse quasi deorum immortalium significationem, quæ Gallorum in Italiam aduentum portende-

portenderet, omnes penè homines interpretabantur, & prodigij loco ducebant: erantque permulti, qui maximè ad Venetos, quòd eorum regionibus & oppidis aquæ magnum detrimentum intulissent, eam rem, atq; id prodigium existimabant pertinere. Ordo rerum me admonet, vt duo ciuitatis iudicia hoc ipso facta tempore silentio ne obruam. Erat in ciuium nobilitate Ioannes Georgius, homo ferox, nullaq; pietate, qui ab Antonio Bernardo Taurisanorum prætore ob maledicta in deos, aliaque scelera exul eius oppidi factus fuerat, damnatusque, vt si eò rediret, lingua ei amputaretur, manusque altera præcideretur. Is Taurisum alio prætore cùm reuertisset, virginemque vi adhibita violauisset, Decemuiri missis illò suis rerũ capitalium ministris atq; uindicibus, Georgium comprehendi, deque eo Antonianum supplicium medio in foro sumi iusserunt: eo sumpto, Venetias adductum in Cretam deportari mandauerunt. Neque multò pòst Antonius Bolduus Triumuir ex aduocatis reipublicæ, Dominicum Bolanum Candiani filium collegam suum accusatum acceptæ eo in magistratu ab reis & litigatoribus pecuniæ ad Senatum detulit. Cùm Senatus eum comprehendi, atq; ex vinculis causam dicere iussisset, ille autem fuga se iudicio eripuisset, absens damnatus est, vt intra mensem se carceri dederet, Caniam Cretæ oppidum exulatum deportãdum: quod si non faceret comprehenso ceruices abscinderentur, bonaque publicarentur, magnis propositis præmijs ijs, qui eum aut viuum magistratibus tradidissent, aut ipsi occidissent. Post hæc de aduentu Gallorum fama percrebrescente, ac Ferdinando rege exercitum & classem ad hostes repellendos comparãte, atq; omnibus Alexandrum Pont.

Max. pollicitationibus, vt suarum partium esset, sollicitāte, Ludouicus veritus, ne si inter eos conuenisset, Ferdinandus, præmißis in Galliam suis & Alexandri celeriter copijs, è regni eum procuratione atque fastigio ante Caroli aduentum expelleret, ereptamq; filij sui genero dignitatem atque imperium restitueret: à Senatu petijt, vt quos haberet milites equitesq;, ad Ollij fluminis ripam, quod est in Brixianorum finibus, iuberet proficisci, uti regē ab eo incundo cōsilio abduceret: aut, si id non posset, ipsi flumen transirent, seseq; tuerentur. Ea re à Senatu non impetrata, quòd diceret sibi id necesse eius tā firmis rebus non videri, iterum ad Carolum legatos misit rogatum, ut maturaret Alpes transmittere, sese ei de pecunia cōmodaturum, suasq; copias cum illo coniuncturū, vbi primū terrā Italiæ attigisset. Carolus, qui plures iam mēses in ea modò prædicatione consumpsisset, velle se Neapolim armis suā facere, atq; ijs, qui apud illum plurimùm poterāt, partim bellum suadentibus, partim dissuadentibus, nihil etiā nunc cōstituisset, quod pro firmo atq; certo haberetur: acceptis Ludouici tum hortationib. diligentioribus, tū pollicitis, fœdus cum Ferdinando & Elisabeta Hispaniæ regibus percußit, nonnullis eis oppidis in Pyrenæo saltu gratis restitutis, quæ pridem oppida Aloisius rex eius pater à Ferdinandi patre pignoris nomine acceperat. deinde ad diē nonum Calendarum Ianuarij, adhibitis totius Galliæ principibus, statuit omnibus alijs omißis rebus proficisci. De eo cùm esset amicorum literis celeriter Ferdinandus certior factus, primis anni diebus è venatu lectulū petens, acri vrgente pituita, intra biduum est mortuus: cuius Alfonsum maiorem natu filium Federicus natu minor, reliquiq; Neapolitani

politani principes regem salutauerunt. Alfonsus regno patris inito, per legatum Venetum, qui paulò antè ad Ferdinandum venerat, insolitisq; ab eo & obuiam itionibus, & alijs honorum generibus exceptus fuerat, à Senatu petijt, vt cum Ludouico ageret, ne is Carolũ ad profectionẽ incitaret, prædemq; se apud illum constitueret: nihil ipsum vllo tempore moturum, quo minus is regni Mediolanensis procuratione quoad vellet, uteretur. Senatus ea de re cum apud Ludouicũ Alfonsi verbis egisset, eumque esset magnopere hortatus, ne Gallis in Italiam veniendi autor adiutorque esset, ille autem nihil eiusmodi respondißet, quo se ab eo consilio remoturus videretur: ne frustrà operam insumeret, destitit, neque amplius eam cogitationem est aggressus. Miserat ante eos dies ad Senatum Carolus Philippum Argentonium legatum: si se respublica in belli Neapolitani societatem cum ipso coniungeret, quam uellet eius regni partem sibi deposceret, nihil illum recusaturum: id si non vellet, quòd pollicita esset se ab eius amicitia nõ discessurã, in eo perseueraret: iussum se esse apud Patres morã trahere, omniaq; regis consilia cum ipsis cõmunicare. Ad hæc ciuitas ita respondit: Tantas esse Caroli regis ad id gerendum bellum facultates, tam præsentem omnium rerũ copiam, vt sui auxilij nihil indigeat: itaq; se more exemploq; maiorum, qui bella nisi laceßiti nõ fecissent, quieturam: nec partem sibi eius regni postulaturam, cuius nullum ipsa ius habeat: cæterum, quod alijs regis nũcijs dixisset, pollicitaq; esset, ab eo non recedere, regisque beneuolentiam sese plurimi semper facturam: ipsum quidẽ eo nomine & nunc libenter vidisse, &, si maneat, eo libentius visuram, quo erit etiam vrbana mora & quoti-

dianis collocutionibus familiarior: quæque regis intererunt pro sua vetere in patrem eius atq; ipsum necessitudine, ea in dies, vt ipsi nota sint, curaturam. Iisdem propè diebus Senatus Bartholomæo Collioni Bergomati *imperatori suo, quòd multa bella singulari virtute, fide incomparabili gessisset, remq; militarem superiorum imperatorum negligentia collapsam restituisset, quodq; de rep. optimè meritus, auri libras decies centies ei moriens testamēto legauisset, statuam equestrem æream inauratam in* Ioannis *&* Pauli *area ponendam censuit.* Ea *tempestate vita functus est apud* Naxios Ioannes Crispus, *qui eam ex Cycladibus insulam tresque alias obtinebat,* Rhenem, *Scyrum,* Melum, *duobus liberis paruulis ex pellice relictis.* Is *propterea quòd auarè atque crudeliter regnauerat, ciuitas concilio coacto statuit reges vlterius non perpeti.* Erat tum *forteforuna in insulæ oppidiq; portu* Nicolaus Capellus *legatus, eò cum sex longis nauibus ad piratas insequendos profectus: itaq; nacti occasionem ciues, plebsq; omnis, ipsis cum natu maioribus, matribusq; familiās infantes in vlnis gestantibus, cumq; virginibus & pueris,* Legatum *adierunt, orantesq; vti se reciperet: mori enim malle omnes, quàm amplius sub tyrannis esse: miro se studio reipublicæ dediderunt.* Nicolaus *principibus eorum liberaliter appellatis, reliquā turbam solatus, ciuitatem in reipublicæ fidem recepit, ciuemq;* Venetum, *qui præesset, iusq; diceret, attribuit.* Naxij *paucis pòst diebus legationem ad* Senatum *miserunt, quæ apud* Patres *sacramentum diceret, se in eius fide perpetuò futuros.* Ea *legatione adhibita* Senatusconsultum *factum est, vti* Naxij, *qui sponte in deditionem venerant, reciperentur: recepti autē nō essent,*

nisi

nisi prius Crispi liberis, & eorum matri alimenta præberentur. Itaq; omnis insularum earum prouentus illis, quoad viuerent, dono datus est eo nomine. Interea cũ inter Alexandrum, quem quidem multis de causis magnopere pœnituerat Carolum regem ad id bellum incitauisse, atq; inter Alfonsum, qui ambo ad Vari vicum venerãt, vt ipsi inter se colloquerẽtur, ijs conditionibus esset fœdus amicitiaque inita, vt Pontifex regem in Romanæ reip. fidem reciperet, omniq; illum ab hoste, quà posset, tueretur: ille autẽ Pontifici ob tributi veteris reliqua, auri libras mille se repræsentaturũ, in annos verò singulos quadringentas persoluturum polliceretur: desponsa etiam filia Giufredo Alexandri filio, vt societas eo pignore firmaretur: vtrique se ad bellum communire modis omnibus, explicareq; cœperunt. Fuerat eu in re Alexander, vt sunt hominum mutabilia sæpe ingenia & voluntates, Virginio ipso vsus interprete, qui etiam illum & Alfonsum lautißimè splendidißimeq; sua in domo tunc suscepit. Erat enim Virginij oppidum Vari, de quo diximus, uicus. Iamq; Alfonsus classe longarum nauium amplius triginta, onerariarũ maximarum duodeuiginti, ad Ligustici maris oram infestandam, nauesq; hostium, quæ Genuæ instruebantur, impediendas cõparata, equitatu peditatuq; cogendo, eq; Brutijs educendo, atq; in Galliam mittendo distinebatur: cùm ob Baiasetis regis nouos motus, qui & classem & exercitum comparabat, resp. & ipsa parare classem instituit. Itaq; primis comitijs Antonio Grimano claßis præfecto declarato, naues longas, quas confectas habebat, deduci atque instrui iubet: quibus cum nauibus Antonius mense Quintili soluens in Illyricum traiecit. Eo tempore Florentinorum le-

gatio ad Senatum uenit petens, propterea quòd Carolus rex à ciuitate postulauerat, ut per eorum fines exercitum ducere sibi liceret, uti Senatus consuleret, quid ipsis esset ad regis postulata respondendum: tum hac tota in causa atque aduentu regio quid cauere, quid præstare ipsos opus esset, pro sua fide atque consilio existimaret: magnopere enim se eius prudentiæ tribuere, considereq; optimum factu id futurum, quod Senatus censuisset. Senatus unum modò existimans fore, ut quicquid Florentinis consuluisset, neque Carolum neque Alfonsum latêret, Legatis respondit, nescire omnino se tam ardua in re, tamq; casibus & euentui proposita, quid præstaret: quòd si se plures in unam sententiam coniecturæ, quàm in alia omnia trahe rent, non tamen id audere ipsis dicere, propterea quòd fortuna plerunque in bellis dominatur, temereq; facta sæpe melius quàm ratione atque consilio suscepta ceciderunt: itaque auxilium à Dijs immortalibus implorandum: eos unos scire, quid quaque in re quenque aut sequi aut fugere oporteat. Antonius Venetijs profectus cùm esset in Illyrico, legati ad eum ab Scardona, atq; ab Clißa uenerunt, qui dicerent, cupere sua municipia sub reip. imperio esse, orare ut ab eo reciperentur. Antonius legatos cohortatus, ut reip. uoluntatem expectarent, literas ea de re ad Senatum dedit, Corcyramq; contendit. At Alfonsi claßis, cui Federicum fratrem præposuerat, mare Ligusticũ inuecta, Obiecto Flisco Genuensi non minimæ inter suos autoritatis, militibusq; ad Veneris portum expositis, atq; ab hostibus repulsis, infecta re Triturritam redijt. Confecerat autem per eos dies Genuæ Carolus itemq; Ludouicus classem satis idoneam ad hostem repellẽdum: itaq; & aduerso prælio suorum

rum,& classis hostium timore perterritus Federicus, neq; amplius tentandam ijs in locis fortunam belli ratus, sese recepit. Ea spe lapsus Alfonsus, suas cum Alexandri copijs coniunctas copias in Flaminiam properè misit, quòd intelligebat Caroli exercitus præmissam iam partem Padũ flumen traiecisse. Eæ cùm Ariminensium finibus copiæ appropinquarẽt, Pandulfi eorum principis rogatu, qui erat in reip. militia, suisq; rebus ueritus tam suspecto atq; ambiguo tempore, opẽ à Senatu postulauerat. Georgius Emus est eò missus, qui autoritate reip. oppidum finesq; tueretur. per quos dũ ij pacatè iter facerẽt, Alexander Ioannis Galeatij frater nothus, qui erat in Ludouici partibus, Parma fugiens ad eos se contulit, ut contra patruum esset. Erant in eorum exercitu Ferdinandus Alfonsi filius, magnæ spei adolescens: Nicolaus Vrsinus, qui Petilianũ oppidum in Hetruria obtinebat, belli rebus atq; artibus clarus: Virginius item Vrsinus, de quo superius diximus, Romanæ factionis princeps: Ioannes Iacobus Triultius Mediolanensis, homo magna inter suos gratiâ. hos est paulò pòst Guidus Vbaldus Vrbinas dux, princepsq; Metaurensium ad Cesenam consecutus. atq; ij omnes equitum cataphractorum duûm millium quingentorum, militum octo millium numerum habebant. Ad eos cùm præmissæ Caroli atque Ludouici copiæ appropinquauissent, uniuersi cõgredi nõ sunt ausi: itaque aut oppidi planè firmi, aut fluminis interiectu munitis castris complures se dies continuerunt: per occasiones tamen paruulis minutisq; prælijs, quid utrique possent, aliquoties periculum fecerunt. At Carolus, qui Aloisium propinquum suum, principatum in Genuensibus obtinentem, & Iulianum Cardinalem Sixti

Pont. Max. fratris filium, & Antonium Salernitanum, de quo suprà dictum est, Genuam cum pedestri exercitu miserat, ut naues iam paratas conscenderent, suíque itineris ratione habita se subsequi iusserat, ut ingressum in regnũ Neapolitanum suum mari etiam aperiret, cum reliquo exercitu bene magno, planeq; paratißimo, primis Septẽbris diebus Alpes traiecit, atque Astam uenit: ibi illum Ludouicus cum muliebri uxoris Beatricis comitatu, & Ioannes Galeatius fratris filius, Herculesq; Atestinus socer obuiam progreßi uenientem exceperunt: qui cum de rebus utriusq; Ludouicus collocutus, cum eisdem illis, quos adduxerat, Ticinum redijt. Ea itio atq; reditio itinerum omnium postrema Ioanni Galeatio fuit: profluuio enim uentris, ut uidebatur, lectulo impositus, ut uerò creditum est, ueneni à patruo dati haustu, insequente mense perijt. tantum in animis mentibusq; hominum mala regnandi cupiditas atque ambitio potest. Carolus inter hæc Astæ cùm esset, Aloisium Genua mutato consilio accersiuit, ibiq; iußit esse. Erat autem Aloisij oppidũ Asta, quod quidem eius auia dotis nomine à patre Mediolani rege acceperat. Ipse pustulis correptus est, eoq; in oppido commoratus dum conualesceret, itineri deinde se dedit, atq; ad diem duodecimum Calẽdarum Nouembris Placentiam peruenit. Processerat eò unà cum illo Ludouicus, qui postridie eius diei de fratris filij morte nuncio accepto Mediolanum redijt, urbemque in ueste regia perambulans, salutari regem se non modò passus est, sed maximè omnium uoluit: neq; enim minus id deliberatum propterea fuit, quòd Ioannes Galeatius moriens duos liberos Franciscum & Mariam superstites reliquisset. Carolus, qui antequam è

Gallia

Gallia proficiſceretur, tametſi Florẽtinis oſtendiſſet ſe per eorum fines iter Neapolim eſſe facturum, per Flaminiã tamen ire conſtituerat, ob eamq́; rem exercitus ſui partem eò miſerat, cùm Laurentij Medices Florentini ciuis ſuaſu, qui cum Petro Medice propinquo ſuo, cuius erat in poteſtate ciuitas, magnas atque acerbas ſimultates exercebat, tum Ludouici, qui eundem Petrum, quòd is uxore ex Vrſina gente ducta in eorum atq; Alfonſi partes ſe traduxe rat, ingenti odio proſequebatur, ire Florentiam decreuit. Ea res Florentiam perlata, ciuitatem ad nouum atq; ſubitum capiendum conſilium perpulit. Rex poſt hæc Placentia profectus, dextra ſe per Tari fluminis uallem flectens ad Apuanos, in Apennini radicibus municipium, Legatos Florentinorum obuios habuit, quos ad regem ciuitas, ut cũ eo ageret, ne inimico ad ſeſe animo accederet, miſit. Eius legationis Petrus Medices princeps fuit. Is cùm regem à ſe alienatũ Laurentij & Ludouici maledictis calumnijſq́ue comperiſſet, omnibus illum conditionibus lenire, beneuolumq́; ſibi reddere eſt aggreſſus: itaq; tria ciuitatis oppida in Apennini iugis, quæ Genuenſium antea fuerant, tum Piſas & Triturritã in præſentia regi tradere, certasq́; quotannis, quoad is in Italia eſſet, pecunias tributi nomine, atque equitatum pollicitus, cum illo in amicitiam redijt. Quibus intellectis rebus ciuitas incitata, illum & Ioannem & Iulianum eius fratres urbe finibusq́ue ſuis expulit, domo eorum opulentiſſima direpta, bonisq́; fiſco addictis: quorum duo ſe Venetias contulerunt. Ioannes Petro natu minor Bononiæ primùm, deinde in Tiſernatibus apud propinquos ſuos complures ſe menſes continuit: erat tamẽ è Cardinaliũ collegio. Rex Apennini ſuperato iugo

Lucam, inde Pisas venit: idq; oppidum à Florentiæ imperio, ditioneq; remouit, & sui iuris, liberumq; iußit esse: quod quidem ciuitas, plebsq; omnis cupidißimè arripuit. Florentiam paucis pòst diebus est profectus, librisq; auri duodecies centies imperatis, in reip. formam ciuitatem redegit. Pisis libertati restitutis, senatores, reliquiq; ciues cõcilio coacto, magistratus qui Florentia venerant, ex oppido suisq; vicis & castellis expulerunt: ex sese, quos visum est, magistratus creauerũt. Leones marmoreos depictosq;, quod est insigne Florentinorum, è foro, locisq; omnibus sustulerunt. In exilium qui essent à Florẽtinis magistratibus missi, ij vt in oppidũ atq; in suos quisq; lares remigrarẽt, edixerunt. Iisdem diebus ea Gallici pars exercitus, quæ in Flaminiam præcesserat, tribus in agro Forocorneliensium & Foroliuiensium tum vi, tum deditione captis castellis, Fauentiaq; in suas partes traducta, à Bretinoro vico, qui eos recipere noluerat, & indignantes oppugnareq; aggressos sustinuerat, Apenninum traijcere, atq; vt cum rege se coniungeret, iter facere cœpit. Ferdinandus cùm omnino Gallos intercludere, morariq; non posset, suis cùm ducibus, quo itinere venerat, Romam redijt. At Veneti, vbi Carolum magna cum manu Padum flumen traiecisse nunciatum est, legatos ad eum mittere decreuerunt, qui ei honoris gratia præstò essent: seq; ad omnes casus præmunire cõstituerũt. Missi legati Dominicus Triuisanus, Antonius Lauredanus, regem Florentiæ conuenerunt, eumq; postea sunt subsecuti. Illis ipsis diebus Ioannes Senogalliam obtinẽs, Iuliani Cardinalis frater, Baiasetis regis legatum, qui Anconæ naui expositus Romã proficiscebatur, Alexãdro pensionem annuam librarum auri quadringentarum

Giemis

Giemis nomine dependi solitum afferens, intercepit, ablataq; pecunia dimisit. Carolo Senas vrbem transgresso, Alexander Virginium & Nicolaum Alfonsi exercitus duces, & Ferdinandum regis filium, qui Romæ appropinquauerant, intra mœnia recepit, vt & loca tuta hostibus præripere, & aduersarios cohibere atq; reprimere, & vrbē ad Gallos repellendos velle cōmunire magnopere videretur. Veruntamen paucis pòst diebus Carolo Romam rectà veniente, Ferdinandum reliquosq; duces est hortatus, vti Roma proficiscerentur, neq; Gallos, quibus quidem iam nihil esset impeditum, expectarent. Illi, quos omnia planè deficerent, Pontifici paruerunt, Tiburq; cum ea quam habebant manu se contulerunt. Alexander, qui quidem Gallos veritus de capienda fuga non semel cogitauerat, demum in Adriani molem commeatu & tormentis communitam se recepit. Carolus omni cum exercitu pridie Calendarum Ianuarij Romam venit, pauloq; pòst cùm inter ipsum atque Alexandrum Ascanio interprete de pace sermones haberentur, Ascanius autem duras nimium & seueras conditiones Alexandro imponeret, Alexander eam hominis audaciam compescendam ratus, Cardinalium cōcilio ad speciem quærendarum ab eis sententiarum coacto, illum, qui ad concilium venerat, retinuit, nec nisi pace cum rege facta dimisit. Romæ Carolus complures dies commoratus, Alexandrum, qui cum fœdus certis conditionibus percusserat, separatim primò, deinde publico in concilio salutauit, eius ad pedes aduolutus, solennibusque sacris ministrante illo interfuit. Post hæc Pontifex Episcopum Maclouiensium, cuius vnius magnopere consilijs rex omnibus in rebus nitebatur, petente rege Cardina-

lem creauit: nauesq; onerariæ uiginti commeatum è Gallia prouincia regis exercitui supportantes, ad Centumcellarum portum appelluntur. Iisdem propè diebus ex tribus Venetorum longis nauibus, quæ publicè in Britanniam ad mercaturam exercendam mittebãtur, duæ in Oceano tempestatis ui absorptæ sunt fluctibus: quibus in nauibus com plures èx ipsa nobilitate ciues, reliqui amplius quingenti perierunt. mercium ad quater mille auri libras summa deperdita. quod quidem antea nunquam acciderat, ut eiusmodi naues, terra non tacta, mari atque undis absumerentur: tametsi anno ab urbe condita millesimo decimosexto, duæ item naues longæ onustæ mercibus eo ipso in mari uentorum contumelia impactæ littoribus sunt amissæ. Dum ea Romæ apud Carolum geruntur, Alfonsus suis rebus planè diffidens, Ferdinando filio Neapolim accersito regnum tradit, Federico fratre adhibito: eumq́ue uti Deos immortales uereatur, monet. Ea oratione apud filium habita, in arcem, quæ est in oppidi littore, & mari undique alluitur, quæ castellum Oui appellatur, noctu se contulit, ut naues longas conscenderet, quod tum facere Austro ma gno coorto uento prohibitus, paucis pòst diebus nactus idoneam tempestatem in Siciliam transmisit, eoq́; anno in Panormitano agro priuatus moritur. Ferdinandus, profecto patre, regni principibus quatuor, qui erant in custodia, primùm omnium dimißis, oppidum in ueste regia unà cum Federico patruo perequitauit: salutatusq́; rex cùm se ad carceris parietem contulisset, reclusis patefactisq́ue foribus rebelles aliquot damnatosq́; cõplures & libertati & municipio restituit: priuatas publicasq́; iniurias omnes remisit, pollicitusq́; est se proscriptos quosq; reuocatu

rum

rum. Militibus deinde appellatis, eo stipendio donauit, atque oppida nouis præsidijs firmauit. Carolo ad diem quintum Calendarũ Februarij Roma profecto, Velitrasq; progresso, Cæsar Borgia Cardinalis Alexãdri filius, quẽ quidẽ pater Legati nomine Carolo dederat, ut obsidis loco apud illum esset, noctu aufugit: neue patris voluntate videretur id fecisse, non Romam, sed Spoletum se contulit. Eodem tẽpore missi à rege milites, qui ex fœdere Hostiensem & Cẽtumcellarum, Anxurisq; arces, quoad is in Italia esset, custodirẽt, repulsi sunt ab Alexandri custodibus: arcem enim Hostiensem, quam Iulianus Cardinalis exædificauerat, præsidijsq; firmauerat, cùm is Alexandri Pontificatus initio nihil illi fidens speculatoria biremi se ex ea sustulisset, conscendensq; Fabritio Columnæ, amico sibi homini et magni ac erecti animi viro, illam commendauisset, Genuamque ac deinde in Galliam esset profectus, Alexander, Nicolao Vrsino Petilianorum principe cum exercitu eo misso, acri obsidione cinctam expugnauerat, suiq; iuris fecerat. Rex Velitris profectus Fortini montis oppidum munitissimum, quod quidem capi posse nisi longa obsidione non videbatur, paucarum horarum spatio cepit, itemq; Ferentinum, quæ vtraq; in Ferdinandi erant partibus. Ea re confecta, suum hominem ad Pontificem misit: ni pactis, quæ sunt in ipsorum fœdere, stterit, sese primùm omnium sua in illum arma conuersurum: quo accepto nuncio Pontifex regis militibus arces tradidit. Ferociore regis milites impetu primùm in Alfonsi ditione castellum in Casinate saltu, & militibus & commeatu communitum, vi captum diripuerunt propugnatoribus incolisq; omnibus ad vnum interfectis, quòd præmissi ad oppidanos de deditione nuncij,

ab ijs male accepti fuerant. Id castellum sancti Ioannis mōs ab incolis appellatur: tenebaturq; ab Aterni regulo, quo vno nemo erat Ferdinando regi *charior.* Itaq; *hoc successu rerum suarum* Carolus *cum exercitu equitum militumq; numero triginta millium, in regnum* Neapolitanum *ingressus, ad Casinum venit: quo in oppido* Ferdinandus *cū esset, haberet autem milites numero ad quatuor mille, equites alteros totidem, oppidanos cohortatus, ne se diripi sinerent, sed fortunæ cederent, seq; in aliud tempus reseruarent, oppido profectus, Capuam suis cum copijs contendit. Casinates eo profecto sese Carolo dediderunt.* Ad quē *non intermissis itineribus Capuæ appropinquantem, Caietæ ciuitas legatos misit, ei se oppidum tradituram, imperataq; facturam. Caieta in deditionem recepta, Capuani et ipsi regi oppidum tradiderunt. Capuā ubi rex uenit,* Giemes, *quem* Roma *secum abduxerat, in morbum incidit, cu ius sustinere vim non potuit.* At Ferdinandus, *cùm* Neapolim *petijsset, eius exercitu intra mœnia non admisso, ipse cum suo comitatu equitibusq; paucis est receptus: qui voluntate ciuitatis intellecta, quæ* Gallos *expectare ne diriperetur, nolebat, combustis duabus nauibus magnis ex tribus quas in portu habebat, ne in manus hostium peruenirent, tertia* Obiecto Flisco *tradita, equos propè trecentos egregiæ sobolis suis ciuib. amicisq; distribuit, deinde* Neapolitana *arce, quam appellant* Nouam, *militibus reliquisque rebus ad obsidionem sustinendam idoneis apprimè cōmunita, cum* Federico *patruo, & vxore* Ferdinandi *aui sui atq; filia, in insulam* Megarem *sese contulit.* Ex ea *insula, quæ est non longè ab oppidi littore,* Neapolitani *reges arcem munitissimam effecerunt.* Carolo *rectà* Neapolim

cum

cum exercitu properante, Virginius, Nicolausq́; Ferdinādi duces, quòd intellexerant ciuitatem legatos de deditione ad Carolum misisse, Nolam se cum ea, quam habebant, manu receperunt. quos præmissi Caroli equites cùm insequerentur, Nolani Gallis portas aperuerunt, retentis interceptisq́; Nicolao atq; Virginio, qui ambo in Gallorum potestatem venerunt: tametsi iam antè à Carolo petijssent, vt in suam fidem sese reciperet, idq́; eis Carolus esset pollicitus: itaque in eo fides est regia desiderata. Carolus intellectâ Ferdinandi fuga, Neapolim venit præmissis suis ducibus, ne militum & equitum introitu oppidum egregium atq; opulentum diriperetur. Eo potitus, per legatos Venetos, perq́; literas Senatui gratias egit, quòd otium sibi atq; beneuolentiam, quam pollicitus fuerat, præstitisset. Ferdinandus suis cum mulieribus & suppellectili bene magna, nauibus longis duodecim ad Aenariam traiecit, insulam & situ & opere munitissimam: abest à Neapoli duodeuiginti millia passuum. Interim fama de aduentu, deq́; successu rerum Caroli ad Turcas perlata, propterea quòd rex palàm dictitauerat, Neapolitano regno capto se in Turcas profecturum, eisq; bellum terra mariq; illaturum, tanta fuit eius rei opinio, tantusq́; omnes eas gentes terror inuasit, vt in Illyrico, Epiro, Acarnania, Macedonia, qui maritimas earum regionum oras atq; portus incolebant, se introrsus reciperent, atq; in longinquas à littoribus, & remotas latebras abderent. Literæ etiam ab Antonio Grimano ad Senatū venerūt, cùm ad Naupactum Aetoliæ littora nauibus longis prætereueheretur, Turcas eā esse classem Gallicā verētes, omnes aufugisse, vacuaq́; littora custodijs reliquisse: vt quilibet existimare potuerit, si se modò Carolus illis in

locis ostendisset, paruo cum negotio omnes eas regiones in suam potestatem redigere potuisse. Baiasetes quidem rex iam inde cùm primùm Florentiam Carolum esse ingressum cognouit, ueteres triremes reficere, nouas instituere cœpit: militibusq; suis & equitibus edixit, se compararēt, vt cùm vellet, sibi præstò esse possent. Eodem quoq; tempore & naues sexaginta, quibus in nauibus erant militum sena millia, equites sexcenti, ab Hispaniæ missæ regibus, vt Siciliæ præsidio essent, Triturritam appulerunt: & Laurētius Suares, quem ijdem reges legatum ad Senatum miserant, Venetias venit. Causa mittendi fuit, quòd timuerant, ne Carolus Neapolitano regno capto, in animum induceret, etiam Siciliam insulam, quæ aliquando Galliæ regibus paruisset, eodem quo Neapolim iure velle suam facere. Ii cùm suis rebus timerent, Gallorum audaciam atq; potētiam veriti, existimabant Venetos vicinitate periculi adductos, quòd magnum regem in Italia pollentem viderent, eodem in timore versari, propterea quòd res omnes publicæ, validæ præsertim atq; firmæ, suspectæ ac formidolosæ sunt regibus. Itaq; Suari mandauerant, vt salutato Principe, & patribus, eos certiores faceret, sese, quo ipsi animo in Carolum essent, eodem esse Venetos existimauisse. quòd si cauere sibi ab illo cuperēt, se paratos esse vnà cum ipsis omnem fortunam experiri. scire se, qua prudentia, qua fide Senatus Venetus esset: nemine cum rege libentius, quàm cum ipso, fœdus percussuros. venturum in societatem periculi Alexandrum Pont. Max. qui nihil æquè cupiat, atq; hoc, vt ipsos & Venetos sibi coniunctos habeat, quorum armis, si quid durius accidat, se munire ac tueri posśit. eo socio non minimum roboris atq; uirium, plurimum quidem

dem certè autoritatis in commune accessurum: ut magnò-pere sperandum sit, si consenserint, omnia prosperè atque feliciter casura. Ea legati oratio gratißima fuit Patribus, *quos iam Caroli rerum successus circunspicere sesemet, & uereri multa cogebat, quæ ambiguo adhùc euentu belli nō æstimabantur. Huc accedebat, quòd Ludouicus ipse diffidere Carolo cœperat, cùm ob eius literas imperiosiores ad se missas, quibus cum literis rex* Neapolim *euocabat: tum propterea quòd Ioannem Iacobum* Triultium, *quem quidem ipse* Mediolano *expulerat, exulemq́ue fecerat, hominem sibi multis de causis inimicum, Carolus suam in fidem apud* Neapolim *receperat: postremò quòd Aloisium propinquum suum, quem Astæ relictum suprà demonstra tum est, inde postea discedere Carolus noluerat. Eæ res, quòd nonnullam ostendebāt in Caroli animo inesse de* Ludouici *fide suspicionem,* Ludouicum *item suspensum animi fecerant, quantum regi esset credendum. de eo ipse apud legatum* Venetum *questus ei ostēdit, libenter se à* Gallis *discessurum, fœdusq́; cū repub. renouaturū.* Erant *prætérea in urbe* Maximiliani *regis legati, cuius pater* Federicus *Imperator eo anno mortem obierat, qui Senatum in* Gallos *incitare non desistebant.* Eorum *oratio, propterea quòd* Maximilianus Ludouici *fratris filiam in matrimonium duxerat, eratq́; cum eo planè coniunctißimus, ex ipsius ore* Ludouici *mitti propémodum uidebatur. tametsi* Maximiliano *quidem ipsi, omnis erat ad* Gallorum *opes atque potentiam inuisa molestaq́; acceßio: quem quidem etiam recens accepta insignis iniuria contra Carolum stimulabat,* Margarita *filia sua cum dote plures ante annos ei tradita, cui tamen Carolus propter ætatē puellæ nōdum*

se adiunxerat, repudiata, Annaq; Armoricarum gentium regina, quam Fracifcus pater Maximiliano spoponderat, sibi à Carolo prærepta, & vxore ducta. Interim Neapolitanis arcibus duabus partim vi, partim precio expugnatis, magna Calabrorum populorum, magna Brutij, magna etiam Apuliæ parte in deditionem recepta, Carolo nõ iam ea qua consueuerat facie facilitateq; legatos Venetos admittente, nonnihil etiam interdum iactante, breui fore, vt qui se noluerant in Italiã traijcere, Neapolimq; capere, eos suæ maleuolentiæ pœniteret: de fœdere inter eos sanciendo diligentius est agi cœptum per eorum omnium legatos apud Senatum: ad quem quidem Ludouicus eam ob rẽ nouam etiam legationem miserat. Suares quidem ipse iam ab initio suarum hortationum Patribus dixerat, iussum se ab regibus, quamcunq; fœderis legem Senatus iuberet, in eius verba iurare: satis sibi fore, si vnum modò scirent, Senatum ita statuendum iudicauisse. Nam omnino Alexander, qui iã Gallos esset expertus, dixissetq; palàm, si redeant, se Venetias, ne eos iterum videat, profecturum: cupidißimè auidißimeq; illũ ipsum expectabat diem, quo se cum repub. reliquisq; coniungeret. Itaq; pridie Cal. Aprilis fœdus initum ab ijs, sancitumq; est in annos XXV. maiestatem Romani Pontificis, dignitatem, libertatem, iura eorum, ditionesq; omnium tuendi & muniendi causa. quo ex fœdere equitum trigintaquatuor millia, peditum viginti confecta parataq; habere vniuersi tenerentur, suo cuiq; sigillatim attributo numero. Is erat, equitum quidem Alexandro quatuor millium, Maximiliano sex, Hispaniæ regibus octo, reipublicæ totidem, Ludouico item octo. peditum verò singulis quatuor millium. quem si quis equitum

quitum peditumque numerum propter longinquitatem itineris, ac rei bene gerendæ celeritatem mittere in tempore non poßit, ei sit in socios eorum stipendium conferendum auri sexcentenæ libræ: ij exercitum pro illo conficiant. Quòd si claßis bellum indigeat, quibus adest parandarum nauium facultas, ij tantam, quanta opus erit, parent, ab reliquis pro sua cuiusq; parte stipendium attribuatur. ea lex eius fœderis fuit. quo omnino in conficiendo cùm tot adessent legati, tot ciuibus tractandæ rei adhibitis, toto demũ vocato sæpius & cõsulto Senatu, tanta tamen fuit iussu Decemuirùm in Patribus reliquisq; omnibus continendæ vocis cura, vt Philippus Caroli regis legatus, cùm in curiam quotidie ventitaret, atq; ab legatis reliquis appellaretur, nihil eius tamen cognoscere potuerit. Itaq; cũ postridie eius diei, quo die scripta lex est, in curiam vocatus à principe fœdus esse percussum intellexisset, & nomina fœderatorum cognouisset, mens penè hominẽ reliquit: tametsi princeps ei dixerat, ea quæ fecissent, non propterea esse facta, vti bellum cuiquam inferrent, sed vt, si inferretur, propulsarent. Demum is reuocato ad se paulisper animo, quid, inquit, meus rex in Galliam reuerti nõ poterit? tum princeps, ille verò inquit, poterit, si redire amicus volet, nosque illum rebus omnibus iuuabimus. quo responso accepto discessit: atque vbi curia egressus, remensis quas ascenderat scalis in aream descendit, ad scribam Senatus, qui eum comitabatur, conuersus, rogo te, inquit, sodes, mihi eum sermonem recenseas, quem princeps mecum habuit: nihil enim iam eius memini. Petierat à Senatu Alexander, antequam de fœdere esset confectum, vellent Patres pro ea, qua semper ciuitas fuerat in Roma-

nos Pontifices pietate, equites leuis armaturæ quingentos, milites bis totidē præsidij ad se causa mittere: ea enim factione, quæ regi se adiunxerat, Romanorum principum, *omnia eius consilia magnopere impediebantur.* Itaq; *percusso statim fœdere,* Patres *iusserunt ex illis qui* Rauennæ *hyemauerant equitibus, quiq; ibi adhuc quidem morabantur, is vt* Romā *numerus celeriter contenderet: tum vt* Hieronymo Georgio, *qui apud* Alexādrum *legati munere fungebatur, pecuniam quæstores euestigiò curarent, qua is pecunia mille in vrbe milites conscriberet.* Literas ad Ludouicum *præterea dederunt, ipse quoq; idem faceret, mitteretq; alteros totidem* Romam *milites equitesq;: quo fultus auxilio* Pontifex, *dignitatē posset suam facilius atq, honestius tueri.* Legati *post hæc qui ad* Carolum *à* Senatu *missi fuerant, domum sunt redire iussi. ipse verò interea* Carolus *cognito, de quo dictum est, fœdere, veritus ne si moram* Neapoli *traheret, dum ij nouas copias cogerēt, exercitusque coniungerent, ab eis intercluderetur, ne in* Galliam *reuerti posset, statuit optimum esse quamprimùm discedere, sperans, si modò antequam ij omnibus ad bellum rebus instructi paratiq; essent, proficisceretur,* Italiæ *itinera sibi ipsum illis etiam nolentibus patefacturum: nam mari tantum exercitum traijciendi nauium ei facultas non erat. quam enim* Genuæ *parauerat classem, ea maxima coorta tempestate afflicta, atq; in littus ad* Populoniam *eiecta, nullum ei vsum præbuerat: cuius quidem præfectus & princeps* Salernitanorum Antonius *pedibus se ad eum cōtulerunt.* Interim *à* Ludouico *maximè omnium se deceptū dictitans, auertere ab illius imperio* Genuensium *ciuitatem summo studio concupiuit: itaque* Petro Fregosio Cardinale,

dinale, qui dux eorum fuerat, suas in partes traducto, eum, & Obiectum Fliscum, & præfectum ex suis Segusianorum principem cum nauibus longis vndecim, quas habebat, ex sua classe reliquas eò misit: ipse, equitum & militũ octo millibus regni præsidio relictis, ad diem tertium decimum Calendarum Iunij cum reliquo exercitu Neapoli profectus viæ se dedit. Alexander, ad quem quidem Veneti de Carolo id, quod accidit, opinione existimantes futurum, vt nuncio de fœdere accepto in Galliam redire contenderet, Pontificis timentes rebus, iam ante eos dies alteros equites leuis armaturæ quingentos ex ijs quos ab Epiro Laconiaq; accersitos celeritate præstantißimos habebant, miserant, quibus ad omnes casus vti posset, regem Romæ appropinquantem, Cardinalibus Romanisq; principibus adhibitis non expectare decreuit: septusq; equitum numero duûm millium, peditum trium millium quingentorum, discesit, atq; Vrbem veterem biduo venit. Illis diebus Carolus certum hominem ad Senatum misit, qui ei diceret, suum regem nulli vnquam homini supplicauisse: scire tantùm velle, vtrum ciuitas amico in se, an hostili animo esset. Ad ea princeps ita respondit: Prudentium esse hominum, planeq; sapientum, aliorum interdum voluntati se permittere, aliorum opem poscere, precari: illud in ipso esse, amicúsne an inimicus reipublicæ velit esse. Is postea nuncius, & Philippus regis legatus vnà Venetijs discesserunt. Florentini autem cùm intellexissent Venetos cũ Pontifice ac Ludouico, reliquisq; regibus consensisse, Carolumq; Neapoli, vt in Galliam rediret, discesisse, nouas militum copias celeriter conscribere, seséq; præsidio communire cœperunt, vt si Carolus eà vellet iter facere, oppidũq;

ingredi, repellere illum possent: statuerat enim ciuitas, nullis iterum conditionibus esse regem mœnibus recipiendum. Pontifice profecto, Carolus Romam uenit, atque ad Alexandrum legatos misit, uelle se eum alloqui: plurimùm utriusque interesse, sibi eius rei fieri potestatem. Colloquio non impetrato, Tuscanellam in via Cassia oppidum, quod quidem magna opposita ruricolarum manu Gallos intromittere noluerat, eius milites, itemq; Fisconis montem ui ceperunt. quod ubi Senatus cognouit, reipub. socium, & quidem omnium dignitate principem à Gallis uiolatum, belliq; factum à Carolo initium in fœderatos: eosq; homines, cum intra fines imperij uel reip. uel Ludouici uenissent, à maleficio non temperaturos existimaret: præter id, quod in Gallia terrestrium copiarum comparabatur, decreuit, uti Antonius ea cum classe, quam ciuitas illis ipsis auxerat diebus, ad Sasonem insulam accederet, ut in Apuliam traijciendi, cùm iuberetur, mora ei nulla fieret: optimum enim esse statuerat, si Galli furere inciperēt, ea etiam à parte illos lacessere. Carolus relicta Florentia, quæ se præsidijs firmauerat, Pisas, deinde Lucam uenit. Pontifex, qui Perusiam erat profectus, equitibus quos à Venetis & Ludouico acceperat, reuerti iussis, Romam redijt. Hæc dum agerentur, Aloisius princeps Genabensium, Astæ à Carolo relictus, Salassis adiuuantibus, tum è Gallia transalpina, atque ab Heluetijs milite celeriter accersito, uastatis Ludouici finibus, transmisso furtim Pado flumine Nouariam per proditionem cepit. Erat eo in oppido ciuis, cuius fratris fundos ualde quidem fructuosos Ludouicus post eius mortem dolo malo suorum cuipiam addixerat, ipso ad sepulchrum in iudicium sisti iusso. Is frater-

fraternos ulciſcendi manes ſtudio, milites Aloiſianos reclu ſis bene manè portis intra mœnia recepit. ita Galli aper- tius eodem tempore alterius regnum ſocij reip. inuadere, ac priores bellum gerere cœperunt. Illis ipſis diebus Pa- tres conſulto Senatu decreuerunt, uti quina millia Italo- rum equitum noua conſcriberentur: bina millia ex Epiro Græciáq;, præter illos, qui imperati iam erant, accerſeren tur. Franciſco autem Mantuanorum principi Senatuſcon- ſultum prius in annos quatuor renouatum eſt, ſtipen- diaque uberiora conſtituta. tum ſcriptus unà Rodulfus eius patruus. ſcriptus etiam ante eos quidem menſes Guidus Vbaldus Feltrius, qui regnum in Metaurenſi- bus obtinebat, cum equitibus quadringentis ſeptuagin- ta. Illis autem diebus Hannibal Bentiuolus Ioannis filius cum quadringentis, & Paulus Manfronius Vicetinus, qui Neapolitano in regno tunc erat, cum ducentis: equitesq; ab Epiro Acarnaniáq; ad littus Venetum aduecti circi- ter mille. Exercitu deinde luſtrato, milites equitesq; in fi- nes Brixianorum iuſſi procedere: creatiq; legati Mal- chio Triuiſanus, Lucas Piſanus, ad exercitum profecti ſunt. Senatus etiam ſcriba Bononiam miſſus, qui Ioannem Bentiuolum in officio cõtineret. Itaq; cùm rex paulò pòſt ad eum miſiſſet, petens ut itineris per eius fines oppi- dorumque faciendi facultas ſibi fieret, impetrare nihil po- tuit. Auri præterea qu[illegible]in[illegible]entæ libræ Ludouico petenti mu tu[illegible] à [illegible] datæ, deinde etiam trecentæ. Poſt hæc Sena- tuſc[illegible] f[illegible] eſt, uti militũ in Gallia & Venetia qui- n[illegible] [illegible] imperar[illegible]r, ex Heluetiorum pagis bina millia ac[illegible]entur: qui autem [illegible] tũ pe[illegible]es equitesq; cõueniſ- ſent, [illegible]es in Parmenſem agrũ mitterentur. Neq; mul-

tò post alio Senatusconsulto Franciscus imperator dictus est, eiq; res militaris permissa. Præfectus etiam Græcis equitibus Bernardus Contarenus datus: tum vexillum imperatorium publicè Francisco missum: qui facto ad Ollium flumen ponte, exercitum traduxit, & firmato munitionib. ponte ab ea ripa quæ in Cremonēsi agro est, alterum pontem in Pado flumine nauibus imposuit, atq; ex utraque ripa fossa & uallo aggereq; præalto munijt. tum exercitus in Parmensem est agrū traductus. Eius rei literis acceptis, imperator à Senatu iussus est, si Galli, dum redeunt, ei molestiam exhibeant, ipse autem sine reip. incommodo posse id fieri uideat, in eos impetum faciat: sin res in angusto sit, prælio abstineat, suoq; se loco atq; milites contineat. quòd si pacati iter faciant, nihil eis noceat, sed sinat intactos discedere. Eo accepto nuncio imperator ad Tari fluminis pontem ducto exercitu, qui pons abest à Parma oppido passuum millia quatuor, castra posuit: cumque eò Ludouici equites bis mille, milites totidem, Ioanne Francisco Seuerinate duce conuenissent, exercitum traduxit, atq; ad Oppianicū vicū, quà Gallis erat iter faciendum, in ipsa Tari fluminis ripa, quod pedibus transmitti poterat, neque enim ripas præaltas habebat, consedit non omnino pleno exercitu, quòd non omnes, qui expectabantur, erātque iam in itinere, equites peditesq; cōuenerant. reliquæ Ludouici copiæ apud Nouariam distinebātur: ad quē quidem à Senatu petentem, ut Græcos equites ei mitteret, qui bus eo bello uti posset, Senatus Bernardo Contareno præfecto sexcentos misit. Rex Luca profectus per Apennini iuga ad Apuanos Ludouici municipiū uenit. Oppidani Ioannis Iacobi Triultij suasu sese regi dediderūt: quos tamen paulò

paulò pòst eius milites pace fracta diripuerũt, oppidumq́; incenderunt. Ex eo loco rex Triultium cum prima acie præmisit, qui montano confecto itinere se expectaret, exploratoresq́; mitteret, vt quid hostes molirentur, scire posset. Interim imperator præmissis equitibus atq; militibus, quot visum est ad Gerulam vicum, qui à Foro Nouij abest passuum millia tria, vti regis itinera cognoscerent, locumque castris caperent, postridie eius diei, mane cum reliquis copijs omnibus eò venit. erat autem vniuersus exercitus equitum ad duodecim millia, militum propè altera totidẽ. Ibi cùm esset imperator, à speculatoribus certior factus est, Triultium cum equitum cataphractorum et militum Heluetiorum manu præmissum, è iugis in planitiem ad Forũ Nouij descendere. Ille autem, vt postea cognitum est, vicũ illũ magnopere opportunũ, in quo se regiæ copiæ cõfirmarent, atque ab Apennini itinere reficerẽt, capere volebat; eoq́; partem suorum præire iusserat: ipse cum reliquis se, vt sequeretur, comparabat. Ea intellecta re imperator Græcos equites sexcentos præmisit, qui eos impedirent: ipse cum equitum firmiorum agmine illis præsidio est subsecutus. Græci velocitate sua vsi, vbi primos venientes conspexerunt, in eos impetu facto, prælioq́; commisso vniuersos repulerunt: repulsos vsq; ad castrorum munitiones cõsecuti, complures eorum occiderunt, complures captiuos fecerunt, vno suorum tantũmodo amisso, quem parui tormẽti pila e vallo missa traiecerat. Eo mortuo captiuos prope omnes interfecerũt, capitaq́; abscissa in castra reuertentes attulerunt circiter quadraginta. Triultius sibi suisq́; veritus extremũ in iugũ sese recepit, regemq́; ibi triduũ expectans est commoratus: quo si tempore Venetus illum ador-

tus esset, ea se manu defendere non potuisset: quo capto, reliquum exercitum expugnare haud maximi negotij fuisset. Ea re ab imperatore, atque ab legatis & principibus iactata, quòd existimabant, si primam aciem prælio uicissent, Carolum reliquásque copias Lucam reuersuras seque in tutum recepturas: ne qua eos manus elabi effugeréque posset, ab illo aggrediendo destiterunt. quanquam postea fuere, qui crederent Seuerinatem, qui eius consilij princeps fuerat, non eam ob causam, de qua dixi, sed propterea quòd ex Ludouici præscripto regi magnum fieri detrimentum nolebat, ne ciuitatis ex eo Venetæ nomẽ existimatioq; augeretur, summopere in concilio, id ne fieret, obstitisse. Ciuitas interea cum intellexisset regem magno animo in Venetos impetum facturum, quos imparatos adhuc plurimis ab rebus esse audierat, permota, largitiões in sacrarum uirginum collegia, precesq; ad omnia templa fieri iussit, uotáque pro salute patriæ publicè suscepta sunt. Rex triduum illud tormentis bellicis ex ære magni ponderis impeditissimis itineribus per inuia atq; abrupta mõtium conuehendis moratus, non ijs modò quæ priore itione secum habuit, sed illis etiam quæ cum reliquo exercitu in Flaminiam præmiserat, cum omnibus copijs Forum Nouij ante meridiem se contulit. Eo die remissi Græci equites vsq; ad regis castra compluribus cum Gallorum capitibus ad imperatorem redierunt. E foro autem Nouij missus tubicen à Philippo Argentonio, qui regis nomine itineris propter castra faciendi facultatem ab legatis peteret: ea nõ impetrata, quòd legati dicerent, nisi rex capta ab se atque suis sociorum reipub. oppida restitueret, se id non concessuros, ad regem reuersus spem pacis omnem sustulit. Ea in-

intellecta res magnum attulit Gallis timorem, qui è collib. castra Veneta prospexerant in amplißimum tabernaculis porrecta campi spatium: visumq; eis est tantis oppositis hostium copijs rem ipsorũ in angusto esse: itaq; vulgò qui sapientiores erant, tribuni ducesq́;, magis magisq; regi sibiq́; verebantur, grauißimumq́; omnibus impendere casum atq; periculum arbitrabantur. qui quidem timor ea quæ secuta est nocte auctus conduplicatusq́; est: magnæ enim pluuiæ, ingentiaq́; tonitrua, & crebræ atq; terrificæ corruscationes fuerunt, vt cœlum propè discedere videretur, vltimamq; plurimi sibi noctem illam fore ea Deorum immortalium quasi denunciatione moniti crederent. Solet autem ferè semper accidere, vt cùm semel vehemens aliquis mentes hominum inceßit timor, etiam ijs quæ timenda non sunt, animi eorum magnopere perturbentur. quam ob rem cùm parum in somno, multum in consilijs inter se fuissent, orta vix luce, qui fuit dies pridie Calendas Iulias Caroli præfecti aciem instruxerunt, atq; iter facere cœperunt. Interim consultis legatis, principibusq́; reliquis, quidnam esset potißimum agendum, legatis prælium dissuadentibus cùm propter Senatusconsultum, de quo suprà dictum est, tum verò etiam quòd complures equitum turmæ, militumq́; centuriæ nequedum venerant: nam & Pandulfus Ariminensium, & Ioannes Pisaurensium principes, & Paulus Manfronius cum sua quisq; cataphractorum equitum copia, innumeriq́; milites expectabantur, tãdem Gallos aggredi, qui reip. sociorum oppida cepissent atque incendissent, præliúmque committi placuit. Erant Gallorum copiæ tres in acies instructæ: quarum in priore magnam spem duces habebant, quòd eam & numero e-

quitum, ac militum robore munierant: eique addiderat quatercentos ex cohorte regia eorum, qui sagittis in equo vtebantur: quos quatuor millibus Heluetiorum militibus, quibus maximè confidebant, immiscuerunt. In media erat acie rex, eáque propè omnis Galliæ nobilitas continebatur. ab postremæ lævo latere impedimenta sequebãtur. tormenta omnibus aciebus erant præposita: eæq; acies nõ ita magno inter se relicto spatio constipatæ, celeriter, vti si possent Venetos effugerent, vadebant. Interea nuncij ad Venetorum cãstra, qui pacem ab legatis peterent, fallendi gratia mittebantur. Vbi id imperatori nunciatum est, militibus vt arma caperent imperauit: ipse deinde armato exercitu, & insessis equis copias omnes ita disposuit, vt ex ijs nouẽ acies efficeret: quarum quinq; equitum cataphractorum essent, tres militum, equitum leuis armaturæ vnã. quæ res impetum exercitus imminuit: nulla enim earum satis virium ad hostem propellendum habebat. Erat inter vtrunq; exercitum Tarus, de quo dictum est, flumen, quod ea nocte creuerat: eius autem vallis planities impedita non ripis modo fluminis, sed glarea etiam, grandibusq; saxis, tum & virgultis, &, quòd magnæ pluuiæ fuerant, lubrico & lacunoso cœno, vt inæquabilem & difficilem transitum daret. Gallorum prima acies cùm ante castra Veneta peruenisset, armari milites conspicata, magnum in eos pilarum ferrearum numerum tormentis immisit: quas tamẽ propè omnes supra militum capita vis ignis impetusq; abstulit, ne magnopere nocerent: percommodeq; ea in re accidit quòd tum cœlum erat pluuium, vt sua Galli tormenta, quorum magnum numerum habebant, amplius exercere non potuerint. Tum verò imperator moras omnes post habendas

habendas ratus, magno ipse animo, & rei bene gerendæ fiduciæ pleno, quem etiam prouehebat adolescentia, instructo exercitu, constitutoq́; quid fieri oporteret, ac permissa patruo reliquas acies submittendi potestate, signo pugnæ dato, & transmisso pedibus flumine, regis exercitum, qui quidem mille passuum iter eoq́; amplius iam præcesserat, citato gradu insequi cœpit: cumq́; propè medium assecutus, in regis aciem, quæ se conuerterat, impetum fecit. Prælio acriter commisso cum fortißimè ab utrisque pugnaretur, Rodulfius acie una maxima atq; plenißima, cui Antonius Feltrius Guidi Vbaldi frater nothus præerat, iussa consistere, altera castris præsidio esse, neq; se loco ambas mouere, donec ipse eas uocet, imperatorem subsecutus, cum secunda acie in Gallorum globum sese iniecit, acerrimeq́; pugnans eum disiecit: neq; imperatori modò auxilium peropportunè attulit cum illius acie se coniungens, sed magnum etiam addidit suo aduentu eius militib. animum. Itaq; ambæ acies paruo temporis spatio magnum Gallorum numerum occiderunt, magnum ex suis amiserunt. Rex cum paucis relictus, admonitus à suis pugnantibus se subripuit. Eodem ferè tẽpore acies tertia, cui Seuerinas præerat, primam Gallorum aciem consecuta, pedem statim retulit, nõ ausa, uel potius nõ iussa progredi. Omnibus autem equitum aciebus, quæ ad regis exercitum contẽderunt, idem fere perincõmodè accidit, ut & flumine trãscundo, & ripis superandis, & saxis peruadendis & uirgultis, ac cœnosa uia conficiẽda, multa etiam pluuia, non solũ ordines seruari non potuerint, sed complures prolaberentur, complures se medio itinere continerent, multi aliorsum flecterent, ut parua eorum pars prælio interfuerit, nã

milites plerique omnes exceptis ducentis, Genua Veneto duce, paucisq; ex imperatoris comitatu, qui equitibus interiecti eius latus muniebant, pugnam detrectauerunt. At uerò Itali equites leuis armaturæ, quos vnà cum Græcis imperator iusserat ab hostium tergo læuum latus montium capere, atq; ab latere aduerso in eos impetum facere, ubi impedimenta conspexerunt, in ea spretis imperijs propè omnes conuolauerunt, custodibusq; aliquot occisis, ea rapere atq; abducere contenderunt: quos Græci equites imitati, idem fecerunt, exceptis eorum ducibus, qui cum paucis ad hostes lacessendos contenderunt. Ea res magna ex parte reip. uictoriam interpellauit: nam si in hostium acies à latere, ut debebant, eratq; eis imperatum, ij omnes impetum fecissent, Galli se pugnæ subducere sine certa clade nō potuissent. tametsi alia etiam ex parte casus adiumento atque præsidio Gallis fuit: duæ enim equitum acies, quemadmodum Rodulfus imperauerat, ne se loco mouerent, prælio non interfuerūt, expectantes quam is in partem eas uocaret. ille autem à Gallis interfectus fuerat. ita qui repulsi atque fracti fugæ se mandare cogitabant, restituto ab reliquis aciebus, quæ regi auxilio uenerāt, prælio, se continuerunt. Pugnatum igitur est acriter, vt antè dictum est, ab utrisq;, cædesq; ingens facta: eoq; res horæ spatio deducta, ut neutris planè victoribus, defessis potius pugnando, quā permittentibus Venetis, Galli se celeriter subriperent: ac magna impedimentorum parte direpta, cúmque ijs regio tentorio & cubiculo, & supellectili sacra, qua rex in templo utebatur, signisq; militaribus aliquot amissis, tantum itineris quantum lassitudine atq; uulneribus confecti poterant, contenderent, noctémque illam magno cum timore

more sub dio sine tabernaculis, sine castris exigerẽt. Impe *rator sua in castra rediјt.* Desiderati sunt ex Venetis *circiter mille quingenti: quorum non minimam quidem partem uel iniquitate loci detentam, & uagam, uel acceptis uulneribus, aut suffoßis equis prolapsam & morantem, calones lixæq;* Galli, *quorum permagnus erat numerus, qui ab equitatu leuiore disiecti se ad acies referebant, desertos à reliquis militibus plures singulos adorti securibus interfecerant.* Ex ijs *qui fortiter pugnantes interierũt, fuere, præter* Rodulfum, *imperatoris præfectus militum* Ranutius Farnesius Romanus, *claro loco natus, uir magna uirtute,* Alexandri Farnesij *illius, qui postea* Pont. Max. *creatus,* Paulus *tertius dictus est, patruelis frater: & familiaris imperatoris comitatus parte plus media, tum præfecti equitum uiri fortißimi duodecim, centuriones quatuor.* Bernardinus *autem* Montonius, *multis uulneribus acceptis, equo deiectus, inter cæsorum corpora repertus, per suorum humeros relatus in castra, seruatusq; est.* In *ipso uerò prælio* Nicolaus Vrsinus, *quem* Nolę *captum à* Gallis *dixeramus, & rex custodiri iusserat, pugnantibus omnibus elapsus, ad legatos* Venetos *contendit, suamq; operam reip. pollicitus,* Gallos *propè fractos esse, eos si quæuis una ipsorũ acies insequatur, terga daturos confirmãs, contestansq;* Deos: *id ut legati mãdarẽt, magnopere suadebat: qui perculso temerè exercitu, militibusq; aut dispersis, aut pedem referentibus, eam rem aggredi nõ sunt ausi.* Ex Gallis *interfecti sunt ad mille, atq; ex ijs dux uigilũ regis, itẽq; sagittariorũ, et magistratus is, quem ipsi magnũ* Maressalem *appellant, alijq; præfecti militum decem: tum nothus* Boius, *primæ fere apud regem autoritatis, & magni inter*

Gallos nominis, uulnere accepto, duoq; magnorum principum liberi, & sacerdos regius, alijq; captiui facti, cùm eo prælio ex Venetorum exercitu nemo uiuus in hostium potestatem uenisset. Postero die rex ante lucem igne plurimo facto, ut eius copiæ ibi esse uiderentur, sine ullo strepitu abijt, celeritateque usus, quam longißimè potuit, antecesßit. Veneti manc consequi regem cùm uellent, Taro flumine, quod ea nocte creuerat, impediti restiterunt. Tum Seuerinas, qui prælio cum suis abstinuerat, imperatori legatisq; sese obtulit, si sibi equitatum leuiorem traderent, se regem remoraturum, dum ipsi cum reliquo exercitu ueniant. Re impetrata, cum equitibus mille quingentis Italis profectus, longiore itinere per occasionem suscepto, quòd flumen creuisset, consequendi regem eo die uolens tempus omisit: quem postea cùm esset consecutus, ei dux ministerq; itineris potius, quàm morator fuit Astã propè usq;: ut id quod petierat ab imperatore legatisq;, propterea uideretur petijsse, ut illum in tuto sisteret. Id ab eo de Ludouici sententia esse susceptum ea res indicio fuit, quòd Bernardo Contareno ab Ludouico petenti, uti se cum suo equitatu extremum regis agmen aggredi sineret, Ludouicus non permisit. Eo biduo magnus equitum conscriptorum, multo maior militum numerus ad exercitum Venetorum uenit. Imperator subsidente flumine cum exercitu profectus, cùm rex bidui eum itinere præcederet, consequendi regem facultate amissa, Græcos equites leuißimos sexcentos misit, qui eius agmen carperent, quaq; possent, exercitui nocerent. Ii dum iter facerent, multa in uia cadauera Gallorum paßim iacentia conspexerunt: ut plus etiã, quàm credebatur, exercitui regio esse illatum cædis appareret.

ferret. atq; ij quidem equites postremũ regis agmen celeritate consecuti, compluribus interfectis, præda etiam facta ad imperatorem redierunt. Eo de prælio à Senatu supplicatio decreta est, gratiæq; Dijs immortalibus actæ, quòd ciuitatem magnopere suspẽsam, tantarum rerum expectatione, fuga hostium liberauissent: Nicolaoq; Vrsino auri libræ decem dono datæ. Sed rege Carolo Neapoli profecto; ut paulisper ad superiora reuertamur, Veneti de classe regia in Liguriam missa, ut suprà demonstratum est, certiores facti, suum hominem cum pecunia Genuam ad naues onerarias, quibus ad mercaturam uti ciuitas priuatim consueuit, habetq; in portu ferè semper multas, militibus rebusq; omnibus ad bellum propulsandum idoneis celeriter armandas, contendere iusserunt: cùm Ludouicus item instrui naues longas aliquot ibidẽ iußisset. Pollicitæ præterea sunt procurantibus Patribus fœderatorum legationes Genuensium magistratui, ut libentius cõtra Gallos arma caperent, se curaturas effecturasq;, uti eis Florentinorum ciuitas Serezanam, Serezanulamq;, ac Petram Sanctam in Apennino oppida restitueret: eiusq; rei petẽtibus ipsis Senatus prædẽ se dedit. Fuerant ea oppida cõplures ante annos Genuensium magistratus, qui publicæ priuatæq; pecuniæ, quæ in ærario uulgò deponitur, præest, ob eamq; pecuniam dominis ternas centesimas quotannis soluit: sed ab ijs qui ciuitati tum præerant, pignoris nomine ad remp. Florentinorũ peruenerũt, tercentum auri libris mutuò ab illa eis datis. Ea sibi reddi oppida ciuitas magnopere studebat, erantq; illa ipsa, quæ Carolo tradere Petrus Medices pactus fuerat. Regis igitur claßis ad littora Genuensium appulsa, cui quidem etiã ex Apennini iugis rex

equites aliquot, peditesq; Gallos quingentos auxilio miserat, totam illam oram, quæ ad orientem solem spectat, in eius potestatem redegit, Portu Veneris excepto. ita belli ab Carolo initium ea etiam ab regni parte in Venetorum socios est factum. Postremò cùm Galli, Paulo & Obiecto ducibus, successu rerum elati, pedibus Genuam aggrederētur, ciuitas armata illos fudit fugauitq; eo ipso die, quo rex ad flumen Tarum aduerso cum Venetis prælio dimicauit. Tum pridie Id. naues onerariæ longæq; maiori ex parte reipub. instructæ opibus obsessam in portu Rapalo classem Gallicam, Rapaliq; arcem expugnauerunt, nauibus omnibus cum earum præfecto captis: quibus in nauibus mulieres erāt captiuæ permultæ, virginesq; sacræ aliquot suis è Caietæ finis abreptæ atq; violatæ, aurumq; item sacrum & argentum, ac fores æneæ portarum affabrè illæ quidem factæ, magnoq; cōparatæ precio, quas arci Neapolitanæ Galli detraxerant. Pauloq; post Carretij principes, qui Finarium oppidum à Genuensibus acceptum obtinebant, Intimilium oppidum, quod ad occidentem solem est, & Galli occupauerant, recuperauerunt: omnisq; vtrinq; ora breui ad Genuenses redijt. atq; hæc quidem in Liguribus gesta sunt. Cumq; ad Ludouicum signa Caroli regis quatuor è Gallorum capta nauibus Genuēsis ciuitas dono misisset, Ludouicus, magno reip. merito id se facere pronuncians, duo eorum legato apud se Veneto dedit. Eodem quoq; Genuenses tempore legationē Venetias miserūt, quæ Senatui gratias ageret, quòd ea, quæ feliciter cōtra Gallos gesserant, eius liberalitate atq; ductu primo, & initium, et incrementum, postremò etiam exitum habuissent. Imperator autem Clastidij cùm esset, regem subsequens, Ludouico, postulante

postulante equites militesq; ad bis mille, Dertonam Alexandriamq; Senatus iussu præsidio misit. Eodem etiam petēte, vt respub. legatos ex principibus ciuitatis ad se duos mitteret, qui secum rebus omnibus tam ambiguo tempore præessent, vti sui ciues, omnesq; homines cognoscerent, ei se curæ, regnumq; suum esse, Lucam Zenum, Andream Venerium, legatos Senatus creauit. Ab ijs legatione propter ætatem renunciata, Marcus Georgius, Benedictus Sanutus, ad id muneris eorum loco Mediolanum sunt ire iussi. Inter hæc Senatus decreuit, vt eorum qui fortiter atque amanter ad flumen Tarum contra Gallos rempub. gesserant, vel viuentium vel mortuorum ratio haberetur. Itaq; imperator Rodulfi patrui equitatu stipendioq; auctus est, nomenq; ei clarius datum, vt latißimè imperator appellaretur: prætcrea dono quotannis auri triginta libræ constitutæ, centumq; in stipendium in præsentia missæ. Auctus & Bernardino Montonio equitum numerus ad mille, sexq; auri libræ dono datæ in annos singulos: quæ quidem etiam nunc ad inutiles seruato annos, vltimumq; senium, & vitam modò producenti pecunia penditur. Nicolao item Nonio tum equitum Græcorum auctus numerus, tum verò etiam stipis summa, qua in annos singulos à republica donātus antea fuerat, amplior facta. Rodulfi verò liberi in reip. fidem recepti, pensioq; librarum auri decem victus annui nomine eis data: decretumq;, vti maribus singulis equitū turmæ singulæ, præfectiq; earum attribuantur, quoad ipsi exercere se per ætatem poßint: fœminis, cùm erūt nubiles, dos è pecunia publica pro earum gentisq; nobilitate numeretur. Farnesij duobus liberis maribus equites quadringēti, quos primo à repub. stipendio pater corū ha

buerat, cum præfecto dati, dosq; ampla fœminis publicè pollicita. Vincentij Corsij liberis patris equitatus datus: *filiæ, quam vnam reliquit, dos auri librarum quadraginta constituta: intereaq; dum fit nubilis, in virginum sacrarũ collegio vti victus publicè subministretur,* Senatusconsulto *additum.* Alexandri Beraldij Patauini *equitatus* Franci*sco fratri, qui cũ illo ea in pugna fuerat, vulneribusq; acceptis superfuerat & pensio annua, quæ ei à* Quæstoribus *curabatur, attributa.* Idem in Roberti Strotij item Patauini *fratre superstite seruatum. Literæ præterea publicè ad legatos datæ, curarent, ne quis, qui bene de republica meritus esset, ab ipsis præteriretur, quin de eo ad Senatum scriberent: ex eorumq; literis in complures, compluriumq; liberos fratresq; Senatus pietas liberalitasq; extitit. At verò interea rex septimo post prælium die Astam ingressus fugæ finem fecit, confecto cum timore ac labore viæ, tum cõmeatus non omnino magna inopia exercitu. Nam vt sunt ad conserendas manus, præliaq; committenda Galli omnium propè hominum paratißimi atq; fortißimi, ita ad perferendos paulò diutius labores, inediamq; tolerandam, supra cæteros animus eorum mollis infirmusq; est, omnisq; illa ardens ac vehemens breui tempore virtus elanguescit atq; restinguitur. Paucis pòst diebus edicto magistratuum* Gallorum, Veneti, Mediolanenses, *Liguresq; omni è* Gal*lia, quæ in imperio* Caroli *erat, exules facti sunt, pœna ijs qui recepissent, constituta.* Itaq; Petrus Pascalicus Venetus, *qui* Lutetiæ Parisiorum Philosophiæ *studijs sacrisq; literis operam dabat, seruili ueste sese occultans in* Morinos *aufugit.* Deinceps autem cum Ludouicus *legatiquè* Nouariam *omnes copias adduxissent, hostesq; crebris ex*

oppido

oppido excursionibus eos lacessferent, secundiora cum ijs ferè semper Veneti prælia fecerunt: quibus in omnibus Bernardi Contareni virtus egregia extitit. Postea verò quàm communi consilio oppidum obsidione cingi placuit, & Aloisius regis propinquus, quique cum eo erant in oppido equites militésue numero ad millia octo, inopia frumenti laborare commeatúsque cœperunt, quòd ante hostium aduentum eius rei nullam curam habuerant, missi ad eos furtim cum iumentis frumentarijs equites regij ab eodem Contareno sæpe intercepti, sæpe vnà cum illis ij qui ex oppido regijs equitibus subsidio venerant, cæsi fugatíque sunt. Neque rex interim nouas copias, vt Aloisium obsidione liberaret, è Gallia quotidie postulare, accersere scriptis ad suos magistratus atque ad vxorem literis intermittebat: quas ad literas illa, se iam viros, qui velint Alpes traijcere, omnino nullos habere, regi respondit: fœminas viduas se permultas habere, quarum viri in Italia perijssent. Ab Heluetijs etiam per legatos atque interpretes idem petebat: sed stipendiorum inopia, ne rem conficeret, impediebatur. Quinetiam ea de causa ex Heluetijs, quos habebat, milites centum, ex Germanis alteri totidem, ad Venetos transierunt. Tum verò ab ijs suburbana ædificia incensa, tormentaq; muralia oppido propius admota, & obsessi modis omnibus acrius premi cœpti: quibus in rebus administrandis Nicolaus Vrsinus fistulæ glande plumbea supra renes percussus, pro mortuo sublatus, atque in castra relatus est, neque postea ei bello interfuit. Gallos igitur qui obsidebantur, magis magisq; in dies rerum omnium egestas atq; inopia premebat, vt equis in escam vti cogerentur: compluresq; corruptis farinis, aut pane furfuraceo

Heluetiorum multò maior, quàm ipse petierat, manus domo tandem egressa, vt regi auxilio eo in bello esset, partim Vercellas ad regem venerat, partim appropinquare nunciabatur, omnes numero ad viginti millia. quibus quidem iam stipendium, quod rex pollicitus fuerat, arroganter ac seditiose postulantibus, rex persoluere non poterat, emunctâ creberrimis ingentibusq; in bellum thesauris regi subministrandis transalpina Gallia, viciniśq; regibus ferè omnibus, accepta superioribus mensibus mutuò ab eis pecunia, prorsus exhaustis. Itaq; cùm intellexisset eos vnos qui venerant nocturna concilia de se capiendo habuisse, veritus ne si reliqui Heluetij propius accessissent, vim eorum subterfugere non posset, pace statim facta eos serò venisse ad speciem quæstus, atque in Taurinos properè abiens, domum, qua conditione potuit, remisit. Ea de pace cum rege ineunda Veneti ab eius interpretibus, tum à Ludouico sæpe inuitati, consulto Senatu responderunt, sese omnino, nisi de sociorum voluntate atq; consilio, quibus cum fœdus percußissent, nihil acturos: nam quoniam ex ijs, quæ eo in bello gesserat Ludouicus, quantum ei esset credendũ, non ambiguè cognouerant, nouo se fœdere implicari cum tam infido homine planè nolebant. Id ægerrimè cùm ferret Ludouicus, existimans Venetos alieno ab sese animo esse, questusq; apud legatos, Senatum omnia alia, præterquam de sua salute, cogitare, suis militum præfectis clàm imperauit, vti flumina, quà esset exercitui reipublicæ trãseundum, si domum redire vellet, communirent, nauesq; abigerent, ne traijcere se inuito posset. Ea per amicos reip. delata res ad legatos, magnopere eos commouit, quòd tantis obiectis fluminibus iter se impeditißimum habituros

intelligebant, Ludouici exercitu munitissimis in locis se op ponente. pôtum autem efficiendorum facultatem sibi da-tum iri non videbant, præreptis nauibus, quibus imponi possent. Tum *illud etiam timebant, ne, si vis adhiberetur, perfidia* Ludouicus *sua* Gallos *sibi adiungeret, vt rerũ dominus, & pacis ac belli arbiter videri posset.* Hæc *versan-tib. legatis,* Contareno *adhibito, neq; satis tutũ eius rei exi tum reperiẽtibus, vbi omnes paulisper conticuerunt,* Ego, *inquit,* Cõtarenus, *iter vobis domũ, si annuitis, patens atq; tutum comparabo.* Ad *ea cùm legati, quónã id tandem mo do quóue cõsilio esset effecturus, ab eo quæsiuissent: hodie, inquit, vt consueuistis, vos &* Ludouicus *vnà eritis commu nibus de rebus consulturi: aderũt cum illo sui duces, vester, vobiscum imperator, præfectiq;: fores claudentur: discepta bitur: tum ego illum, tanquam allocuturus, hoc uobis gla-dio confossum atq; confectum dabo: ea re patrata, neminẽ ex eius ducibus ferrum educturum certò scio. quis est enim eorum omni non fœmina timidior? aut quis illum nõ pessimè odit, vno aut altero excepto? qui tamen ipsi ad* Carolũ *legati de pace profecti adesse non poterunt.* Ludouici *etiã exercitus ipso mortuo ad uos signa transferet, si se rece-ptum iri intelliget, præsertim spe largitionis aliqua obla-ta. quod si fit, eius quoq; regnum vestris in manibus versa-bitur: ita ille, vt meritus est, suorum scelerum pœnas pen-det: uos reip. iniurias nullo dispendio vlti, vestram dignita tem pulcherrimè retinebitis.* Erat Contareno *procerum sanè corpus, & viuidum solidumq;: vires immanes, vastæ-que, ac propè inexuperabiles: animus cùm prudens, tum omnium magnarum rerũ capax, vt quod is polliceretur, etiam præstari posse confideres.* Itaq; *ea legati cùm intelle xissent,*

xissent, maximis illum laudibus certatim efferentes, quòd tantam rem aggredi pro cõmuni salute non dubitaret, constituerunt, hoc ad extremum reseruato consilio, experiri, num Ludouicus ad sanitatem bonis artibus conuerti posset. ea tamen de re, quam Contarenus proposuerat, notis scriptas literas ad Decemuirûm magistros confestim dederunt, postulantes vti rescriberent, vellentne, atq; permitterent, si necessitas vrgeat, eo consilio ipsos vti. qui de collegij sententia rescripserunt, ex reip. dignitate sibi eam rẽ non videri. Ludouicus interea cùm legatorum dissimulatione atq; prudentia, qui ea se nescire quæ ab illo parabantur, ostendebant, tum sua sponte, quòd nihil omnino tuti irritandis legatis in tam noua suspectaq; dominatione se habiturum videbat, ab eo per se consilio destitit. Iis confectis rebus milites obsessi oppido Nouaria emittuntur: oppidum Ludouico restituitur. Legati Veneti post hæc omni cum exercitu Cremam cùm venissent, milites q;, quos oportuit, dato stipendio missos fecissent, reliquosq; milites equitesq; in hyberna deducẽdos curauissent, cum imperatore Mantuam profecti, ludis ab eo dies aliquot habitis, ad vrbem reuerterunt. Carolus cupidissimis suis omnib. multò cupidius ipse, traiectis Alpibus suum in regnum concessit.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. III.

FErdinandi regis in Calabriam aduentus & aduersa cum Gallis pugna. Neapolitanorum in Gallos odij caussæ. Eiusdem Ferdinandi Neapolim reditus. Venetorum in regno Neapolitano res pro Ferdinando gestæ. Classis à Venetis Neapolim missa. Cellæ farinariæ & reip. horrea apud forũ Venetijs ædificata. Pisani sese Venetis dedentes à Senatu reijciũtur. Thracij regis ad Senatum legatio & munera. Fauentini cum suo regulo à Senatu in fidem accepti. Horologium Venetijs in foro factum. Venetorum cum Ferdinando Aragonio fœdus. Gallorum & Ferdinandi varia in regno Neapolitano fortuna. Pisani à Venetis, Pontifice & Ludouico Sfortia in fidem accipiuntur, & Pisani belli initium, atque progressus. Triumuiri rerum naualium instituti. Lex de bonæ fidei possessoribus lata. Ludouicus Sfortia à Maximiliano Cæsare rex appellatur. Naupliorum equitum cũ Turcis pugna. Bernardi Cõtareni in regno Neapolitano res gestæ, eiusdemq; obitus. Ferdinandi Neapolitani regis obitus, & Federici in regnum successio. Bisinianorum princeps à famulo vulneratur. Gallorum Caieta discessus, eorundemq; naufragium. Tarentinorum de deditione & Veneti Senatus de illis accipiendis vel non, varia consilia. Gallici morbi origo. Maximilianus Cæsar, à Ludouico Sfortia, Venetis & reliquis fœderatis accersitus, contra Gallos in Italiam venit. Res in Hetruria gestæ, eiusdemq; in Germaniam reditus. Incendium naufragiũque passis à Decemuiris prospicitur. Gallorum in Insubria conatus. Naualis inter Florentinos & Venetos pugna. Caroli regis è vita tollendi facultas à Senatu reijcitur.

FERDI-

FErdinandus vbi Carolum Neapoli profectũ cognouit, acceptis Messanæ militibus ad mille (ibi enim tũc erat) quos quidem ciuitas in vicini atq; amici regis gratiam depenso trium mensium stipendio ei præstò esse iussit, nauibus longis duodecim in Calabros traiecit, & Rhegium Crotonemq; recepit: ac secundo cum Gallis pedestri facto prælio, interfectis captisq; compluribus, reliquos cum eorum duce in proximum oppidum cõpulit. ad quos cùm auxilia vndiq; conuenissent, victus ab ijs ingenti clade cum paucis Rhegium fugiens, vni saluti cõsuluit suæ. Idem autẽ paulatim sese confirmans, cùm iam Gallorum imperij plerosq; eorum, qui eos lubenti animo exceperant, magnopere pœniteret (nihil enim ferè cuiusquam neq; sanctum, neq; tutum ab illis erat) cum Hispanæ classis nauibus quadraginta, quam superiore libro missam in Siciliam dixeramus, & suis cum triremibus duodecim Aenariam ad insulam, quæ ab eo non defecerat, venit. Atq; illis ipsis quidem diebus res eiusmodi acciderat, quæ magnam inuidiam in Gallos conflauerit. Nam cùm ij, qui Caietæ præerant, nauem longam remigibus instruere vellent, municipesq; imponere, illi se cogi passi non sunt, palamq; prædicauerunt, nolle se contra Ferdinandum regem duci: atque ad arma capienda prosilierunt. Galli eos veriti, se in arcem oppidi receperunt, atque ad auxilia proximis ex oppidis euocanda miserũt: quibus adductis magnã ciuium cædem fecerunt, magnam in oppidanos stragem ediderunt, matribusfamiliâs & virginibus vulgò in seruitutem atque libidinem abductis. quæ intellecta res Neapolitanorum animos iam antè infensos & laban-

tes, ab Gallis magnopere auerterat. Ea *cùm sic ceciđissent, ipse autem* Ferdinandus Neapolim *non obscuris multorũ uocibus sermonibusq́; accerseretur, quem etiam aduentare intelligebant, spei atq; fiduciæ plenus ab Aenaria naues soluit, atq; ad littus* Neapolitanum *classe appulsa non longè ab oppido exponere milites cùm uellet, impeditus à Gallis atq; reiectus, de tota re desperans, quòd ab oppidanis nihil sibi auxilij emitti, nihil tumulti fieri animaduerterat, ad Aenariam reuertebatur. at ciuitas ægrè id passa, armis captis Gallos partim eiecit, partim in arces, quæ ab illis tenebantur, coniecit. Id à piscatoria nauicula* Ferdinando *nunciatum, spem ei pristinam facilè restituit: quamobrem sua cum naui incitatis remigibus statim* Neapolim *rediens, magno populi consensu in oppidum receptus est. Ita paruo temporis spatio sæpius modò bonam, modò aduersam expertus fortunam, ac uarijs rerum suarum euentis tanquam fluctibus iactatus, cùm id minimè fieri posse consideret, ab eadem quasi tempestate atq; uentis in portum coniectus est.* Pauloq́; *pòst* Galli, *qui ei arci præerant quæ Capuana appellatur, sese atq; arcem* Ferdinando *dediderunt.* Tum *naues* Gallicæ *sexdecim, quæ in portu* Neapolitano *erant, ueritæ ne interciperentur, egressæ ad insulam* Megarem *iactis anchoris se continuerunt.* Ferdinandi *classis ad* Baias *substitit. Iis nunciatis rebus,* Nolani, Atellani, Capuani, *aliaq́; uicina municipia propenso ad illũ studio celeriter redierunt: uidebanturq́; reliquæ eius regni ciuitates idem facturæ, si modò rex firma cũ manu eódẽ accederet. ille autem per se omnibus ab rebus, quæ ad bellũ sunt usui, præsertimq́; à pecunia planè imparatissimus, magistratum* Venetum, *qui uetusta consuetudine ea in urbe*

reip.

reip. hominibus iuri dicendo præerat, perhumaniter est allocutus: sese quod Neapolim recuperauisset, reip. acceptũ referre, quæ fœdus cum Alexandro, reliquisq; regibus iniisset: quòd autẽ superesset (quod quidem certè magnũ, atq; perplexum sciret esse, tot municipijs toto in regno, tot munitis oppidis Gallorum imperium secutis) eius se fidei, liberalitatiq; permittere. Eo sermone apud illum habito, Federicum patruum cum nauibus longis tribus ad Antonium, quem in Apuliam cum classe uenisse intellexerat, conueniendum, seq; illi commendandum properè misit. Antonius, paulò antè ad Sasonem insulam Senatusconsulto accepto, tantũ ut in Apuliam traijceret, Brundusium, quod municipiũ ad Gallos non transierat, uenit. Oppidani Antonium amicè atq; beneuolè exceperunt, eiq; se dedere uoluerũt, atq; vt insigne reip. in oppidi foro sustolleret, ab eo magnopere petiuerũt. Antonius Brundusinis collaudatis, atq; ut in regis sui fide permanerent cohortatus, ibi dies aliquot, dum quid imperarent Patres scire posset, est commoratus. Illi autem nisi de fœderatorum sententia, Hispaniæq; in primis regũ consociata uoluntate, qui classem paratam habebant, nihil omnino agere cõstituerant. Itaq; à legato regio missi in Siciliã nuncij, eius rei euentũ tardiorẽ reddiderunt. Accepto tandem altero Senatusconsulto, quo bellum Gallis inferre iubebatur Antonius, biduo scalis reliquisq; rebus ad oppugnationẽ oppidorum comparandis consumpto, cũ triremibus XX. naueq; una oneraria bellica, & altera, in qua erat equitũ Græcorũ nõ magnus numerus, ad oppidũ Monopolitanorum, quod est in maris littore, à Gallisq; obtinebatur, accessit: præfectumq; Gallorum, uti se dederet, per internuncios cohortatus, ubi

illum ad propugnationem paratum vidit, expositis equitibus, qui discurrerent, populationemq; facerent, & aliquid in agris aut uitis aut oleæ succiderent, tectorumq; incenderent, si ea re ciues ad deditionem compelli possent: vbi neq; id quidem quicquam proficere animaduertit, tormentis è naui oneraria murum oppidi deijcere aggreditur. Id *cùm propter longinquitatem parum ex vsu administraretur,* Hieronymo Contareno *legato, præfectisq; triremiũ, uti naues tegerent ad ictus cùm tormentorum, tum uerò lapidum atq; telorum, quæ de muro adigerentur, imperauit: postridieq; eius diei manè ijs, qui primi murum ascendissent, propositis præmijs, nauibusq; omnibus sub conspectum hostium dispositis, oppugnare oppidũ multò acrius est adortus: qua in oppugnatione* Petrus Bembus *nauis longæ præfectus, uir egregia uirtute, cohortans suos pila ferrea traijcitur. Antonius cùm horas aliquot* Gallis *atque oppidanis acerrimè propugnantibus suos uulnerari, hostes non defatigari, minus deniq; rem procedere animaduertisset, oppidum militibus diripiendum proposuit: tum verò prædæ spe milites remigesq; incitati, cohortatiq; inter se, ad murum conuolauerunt: scalisq; positis cùm amplius horis duabus continenter atq; fortißimè pugnauissent, deiectis interfectisq; propugnatoribus in oppidum se iniecerunt, diripereq; contenderunt,* Aloisiumq; Tintum Venetum, *qui eo in oppido mercaturam exercebat, imprudentes occiderunt, domumq; eius diripuerunt.* Antonius *reclusis portis in oppidum ingressus, mulieres, quæ natu maiorum usæ consilio ad aras* Deorum *immortaliũ cum infantibus confugerant, à militum iniuria defendit, oppidoq; est potitus: sectionemq; earum rerum, quæ distractæ*

nondum

nondum essent, multò minoris, quàm uendi alijs potuissent, die laxißima oppidanis ipsis uendidit. quibus etiam, quo minore damno amißis rebus suis afficerentur, annos decem omnium munerum & tributorum leuationem concesit. Eo *oppido capto, nonnulla eius regionis municipia se* Antonio *dediderunt. atq; hæc quidem adhuc ipsa* Ferdinando Neapolim *recipienti nota non erant.* Antonius Nicolao Cornelio, *qui* Monopolitanis *præesset, relicto, missoq;* Pulinianum, *quod oppidum abest à littore, eiq; se dederat,* Alexandro Pisauro *eodem nomine,* Sipontum *est profectus, quod iam per sese, ob* Gallorum *insolentiam atq; libidinem, in* Ferdinandi *partes oppidum redierat eiectis* Gallis, *qui se in arcem contulerunt. Ad quos cùm* Antonius *misisset, uti arcem* Ferdinando *restituerent: id ni facerent, eos se hostium loco habiturum: responderunt, nihil sibi cum* Ferdinando *rei esse: ipse si uelit eos recipere, eius se fidei libenter permissuros. itaq; acceptis in fidem* Gallis Antonius, Federico, *qui iam ad se* Ferdinandi *missu uenerat, arcem reddendam curauit.* Eodē *tempore qui* Tranensium *arcem tenebant, mißis ad illum interpretibus, uelle se eius imperata facere,* Antonio *significauerūt. ille, ut* Ferdinando *sese dederēt, hortatus, eos non tam lubentes, quàm autoritate sua compulsos, tanquam de manu* Federico *tradidit, eidemq;* Græcorum *equitum dimidiam partem, quorum iam erat numerus ad quadringentos quinquaginta, petenti dedit.* Patres *cùm intellexissent* Ferdinandum Neapolim *recuperauisse, decreuerunt, ne quid* Antonius *oppidorum, neue omnino locorum amplius reip. nomine in regno* Neapolitano *caperet. tum* Petri Bembi *uxori liberisque, uictus annuus à* Senatu *dono datus: duabus quoq; fi-*

lijs dotis nomine libræ auri quadraginta: duabus alteris in sacrarum virginum collegia iam destinatis, quod ad id satis esset, constitutum. Antonio autem Tinti fratri, ab adolescente me in amici hominis afflictis rebus causa bis apud Patres perorata, prouentus est annuus Senatus decreto & liberalitate attributus: quo se nunc quoq;, familiamque suam, senex oculisq; captus sustinet. Post hæc Alexandro à Senatu postulante, vt illam ipsam classem Neapolim ad Ferdinandum auxilio leuandum tam opportuno tempore mitteret, tametsi permagnis Gallici exercitus impensis ciuitas distinebatur, concedendum tamen censuit. Itaq; Antonius Græcis equitibus centum, & nauibus duabus Monopolitanorum præsidio relictis, Tarentum adnauigauit: quod quidem oppidum, appulso eò cum septem nauibus longis, quas ad eius tres Antonius addiderat, Federico, ad Ferdinandum tamen non redierat. Ibi ventris profluuio arreptus Antonius, nauibus viginti, quibus Contarenum legatum præfecit, Neapolim ad Ferdinandum iußis contendere, ipse cum reliquis nauibus (aliæ enim nonnullæ ad illum interea naues conuenerant) Corcyram est profectus. Eodem anno cellis farinarijs vrbanis, quæ publicè ad Riuum altum antiquitus sunt institutæ, longinquæ plebis & inquilinorum parti vsum incommodiorem præbentibus, alteræ apud forum, reipub.q; horrea exædificatæ, Calendis Sextilibus exerceri cœptæ sunt, magistratibus adhibitis. Iisdem ferè diebus Florentinis Pisas bello repetentibus, cùm per se oppidani contra tantas opes municipium diutius se tueri posse diffiderēt, suum ad Senatum interpretem secretò miserunt, velle se sub reip. imperio esse: petere, rogare, vt reciperentur. Res primùm noua Patribus, quæ

neq;

neq; statim reijcienda, neque temerè suscipienda esse videretur: deinde magis magisq́; in eorum animos irrepere, pulchrum existimantium augeri imperij fines, atq; ad mare Ligusticum protendi. magnum porrò esse Venetum nomen, cui sponte tam longinqua ciuitas, tamq́; nobilis sese dederet: sed factum propè similibus rerum euentis, quos si maiores nostri despexissent, nulli nunc populi eius imperium appeterent: itaq; recipiendas esse Pisas, quas Dij immortales reip. addicerent. Ea cùm sententia maiori Patrũ numero probaretur, res in Decemuirûm collegio agitari cœpta est, quò lex occultius ferri posset. Tum Marcus Bolanus, sexuir ex ijs qui Principi aßident, tacentibus reliquis, ac legis lationi propè assentientibus, suggestum ascẽdens, debere eos dixit, qui de rebus dubijs agunt, non tam quid velint ipsi, aut cupiant, quàm quid sit vtile reip. constituere. necesse enim esse, si suam modò libidinem sequantur, vt sui eos consilij tum pœniteat, cùm ea, quæ prouisa ipsis nõ sunt, magna interdum & formidolosa rerũ momẽta atq; pericula existunt. An me quoq;, inquit, Patres idem, quod vos, & optare maximopere, & optato frui, cupere nõ existimatis? nõ Pisas modò, de quibus nũc cõsulimur, sed reliquas etiã Italiæ ciuitates, oppida, populos, iuris nostri esse, mareq́; superũ atq; inferum in reip. imperio cõtineri? ego verò ista percupio: meaq; morte cum fortuna paciscar, vt tam prospera reip. sit. Sed cũ hoc opto, tũ illud timeo, ne, si Pisas receperimus, magno cum nostro dedecore, reiq́; pub. incõmodo eas ipsas breui tẽpore amittamus. nam quẽ admodum quidem sitæ positæq; sunt Pisæ, ad eas defendendas auxilia mittere per alienos fines multorum dierũ itinere nos oportebit: quorũ populi nostris conatibus si aduer-

sabuntur, aut erũt ipsi bello prius atq; armis subigendi, ut quicquid inter nostros ac Pisarum fines iacet, pacatũ iter atq; tutum nostris exercitibus præbeat: aut nobis turpiter ab incœpto desistendum. nam mari tanto circuitu, tam suspectis littoribus, tantum exercitum transmittere, quanto erit opus, ut cum unis Florentinis bellum geramus, quì poterimus? nullus uicinorum Pisis regũ, nulla natio est, quæ non Florentinos malit, quàm nos, suæ ditioni finitimos habere: propterea, quòd nostram potentiam, nostrasq; opes magis quàm illorum uerentur: magis nos, quàm illos, sibi esse metuendos intelligunt. Est autem à natura omnibus animantibus comparatum atq; insitum, ut quæ eis plurimũ obesse possunt, fugiant: ad ea se applicent, quibus ad nocendum minus est uirium & facultatis attributum. itaque passerculi gallinas anseresq; non uitant, cum columbis uerò etiam nidificant: ab accipitre autem, & ab ijs quæ raptu uiuũt auibus, maximè quidem semper uolatu latebrisq; sese auferunt. Quamobrem cogitare debemus, etiam Ligures (quæ una quondam natio quàm infesta reipub. fuerit, annales nostri testes sunt: quãtas à nobis clades acceperit, omnis eius posteritas memoria retinebit) si suæ spontis sint, nos Pisarum dominos fieri nullis conditionibus concessuros, sed sua cum Florentinis arma, suas classes atque opes communicaturos, ut nos potiri Pisis ne permittant. quanquã, ut horum temporum mores sunt, ut fides in plerisque fluxa, uereor, ne ij etiam qui fœdera nobiscum pepigerunt, qui nobis sua regna se debere profitentur, ubi nos eousq; uelle fines proferre nostros intelligent, nos celeriter deserant, neque deserant modò, sed arma etiam contra nos capiant, cumq; hostibus nostris coniuncti, communi nos

bello

bello atque consilio esse auertendos & repellendos putet. Maiores nostri Vicetinos, cùm à rege Patauino premerentur, sese illis dedere mißis ad eos legatis cupientes atque orantes, in fidem receperunt. quid in illa huic simile deditioni fuit? oppidum uicinitate propinquum, ac propè coniunctum, ut iter impediri, atq; accesßio non potuerit: ipsum liberùm, quodq; Patauini reges antea nō obtinuissent. itaque remißis cum auxilio legatis, facilè defensum atque retentum est. hostis autem eam ob rem nouus nullus factus, sed cum eo, qui semper hostis reipub. fuerat, bellum acrius renouatum, maiores ijdem nostri prosperè atq; feliciter gesserunt. quòd si tam facilem rerum statum, paresq; conditiones in Pisis recipiendis esse uobis propositas hoc tempore uidetis: si non amico populo & reipub. à qua lacesßiti nulla re sumus, ut id quod uolumus assequamur, insignis est iniuria atque calamitas inferenda: si non, quæ in animis hominum iampridem insedit opinio, nos regnandi cupiditate supra cæteros efferri, eam hoc exemplo sic confirmaturi sumus, ut non sit posthac inficiendi locus: si non etiam Ferdinandi regnum adhuc quidem multò maxima ex parte, Ludouici haud ex minima Gallorum, quos hostes nostros fecimus, præsidijs & exercitibus tenentur, neque, quem finem eæ res habituræ sint, satis consequi coniectura possumus, ut non tam de nouo bello capessendo, quàm de institutis cōficiendis, flammaq; illa, quæ optimas atq; pulcherrimas Italiæ regiones incendio corripuit, extinguenda, cogitare nos oporteat, legem Patres, quā rogamini, decernite: ego ipse meum suffragiū ad eam sanciendā uolens ac libens affero. sin uerò longè aliter omnibus à partibus se res habet, antequam Pisas esse recipiendas sta-

pidum ad Neapolim *compulissent, diuersisq; in locis ei fortuna læta interdū, sæpius tristi se ostendēte, ac spe regni sui recuperandi apud illius animum planè labante,* Alexāder *eius precibus atq; periculo permotus, à* Senatu *magno studio petijt, vti exercitus partem aliquam eius, qui* Noua *ria redierat, ad* Gallos *expellendos,* Ferdinandumq; *subleuandum mitteret: se curaturum, vti aliquod eius regni oppida, quæ mare attingāt, pignoris nomine, quoad, quicquid ea in re Senatus sumpti fecisset,* Ferdinandus *reponeret, reipublicæ tenenda traderentur. Senatus, nondum decreta exercitus, profectiõe, inclinatis tamē ad eā rem ciuium animis,* Bernardum Contarenum *cum Græcis equitibus sexcentis* Rauennā *præmisit, quo minus ei, cùm decerneretur, itineris illò perueniendi superesset. Quod posteaquam est* Romam *renunciatum,* Ascanij *suasu, qui diceret,* Venetos *sua sponte bellum suscepturos, non oportere quicquam eis oppidorum sumpti nomine à* Ferdinando *tradi, res dilata: legatiq; regij, qui iam* Venetias *ad paciscendum cum Senatu venerant, rogare tantum de exercitu, nihil vltra polliceri.* Id *vbi Senatus cognouit, &* Ludouicum *inuidiæ suæ in remp. stimulis impelli agiq; animaduertit (nihil enim ferè ijs de rebus vnquam* Ascanius, *nisi à fratre monitus iussusq; loquebatur) legatos ab se reiecit, nihil esse confirmans, quòd ea de causa in vrbe horæ spatium morarentur.* Interim *cùm* Fauentini, *qui æstate proxima petierant à Senatu, vt quoniam certorum exulum insidias magnopere timerent, ipse pro sua pietate, oppidiq; vicinitate, eius regendi curam susciperet,* Hestoremq; *planè puerum,* Galeoti *eius, de quo priore libro sermonem habuimus, filium, cuius erat in potestate ciuitas, autoritate sua*

tueretur, postea rogandi & obtestandi Patres ea de re tempus nullum intermisissent, mense decembri Senatus decreuit, vti Fauentinorum ciuitas, puerq; princeps in reipub. fidem reciperentur: mitterentq; Patres eò ciuem Venetum, qui pueri nomine ius diceret: ipse autem puer equites cataphractos centum haberet, stipendiumq; in eos libras auri annuas octoginta. neq; non tamen, antequam decerneretur, iisdem exulibus Florentinorum adiutis ope in eorum fines irrumpentibus, Bernardus Contarenus, qui Rauennã venerat cum Graecis equitibus militumq; manu auxilio à Senatu missus, eos fudit fugauitq;, ac regnũ illud puero, quod iam propè amiserat, plane constituit. pauloq; pòst Patrum suffragijs Dominicus Triuisanus, vir grauis atq; prudens habitus, qui puerum Senatus nomine tueretur, oppidanisq; ius diceret, Legatus est Fauentiam profectus. Atq; ante eos quidem dies, vti horologium in foro ex reip. dignitate fieret, cui aedis Marciae procuratores arcam darent, Senatus censuit. At Ferdinandi legati cùm multos dies Patribus placandis cõsumpsissent, polliciti q; essent, Ferdinandum tria oppida nobilissima cum eorum agris atq; finibus, Tranum, Brũdusium, Hydruntem, eo quo dictum est nomine reip. traditurum: anni insequentis initio foederatorum omnium non approbantibus modò, sed etiam adnitentib. Legatis, pacta inita, foedusq; percussum est: quo ciuitas foedere traditis oppidis equites cataphractos septingentos, milites ter mille ad Ferdinandum mittere celeriter teneretur, qui vnà cum ea classe, quam Neapolim Contarenus legatus adduxerat, tandiu eius imperata facerent, quoad bellum esset confectum. capitaq; foederi sunt addita, vti à quaestoribus vrbanis librae auri centum quinquaginta

ginta mutuæ Ferdinandi legatis eueſtigiò curarentur, vti ſi parte aliqua Ferdinandus Græcis equitibus, quàm cataphractis, vti mallet, pro eo cataphractorum numero, quē de ſumma detraxiſſet, Græcos ſeſquialteros haberet: vti ex publicis oppidorum prouentibus, ſi quid in magiſtratuum & præſidiorum ſtipendia factis impenſis ſupereſſet, id in accepti à Ferdinando tabulis ferretur: vti quenquam eo in regno virum principem ciuitas in fidem, niſi Ferdinādi permiſſu, ne reciperet: vti frumentum, oleum, reliquúmve commeatum eis ex oppidis & finibus aſportari ſine ſolitis portorijs ne liceret: vti Gargani montis ſaltum, qui à Gallis tenebatur, cùm illum Ferdinandus recuperauiſſet, reipub. traderet. quod tamen caput ſcriptum non eſt, voce tantum atq; verbis fidem fore quod conuenerat facientibus agitatum. atq; id omnino fœdus Alexander ſuis ad Senatum ſcriptis literis ratum ſanctumq; iuſſit eſſe. nam quoniam antiquitus in regnum Neapolitanum pontifices Maximi ius habent, cauerāt cumprimis Patres, ea vt res Alexādri autoritate perſcripta firmaretur. Fœdere confecto, qui oppida reip. nomine à Ferdinando reciperent, miſſi: imperatorq; Franciſcus cum ea, de qua dictum eſt, manu iuſſus in regnū ſine mora proficiſci. Iis cognitis rebus quas porrò celerius more atq; inſtituto ciuitatis fama vulgauerat, quāplurima eius regni municipia breui tēpore ad Ferdinādum redierunt. Arces autē Neapolitanæ munitiſſimæ duæ, lōga obſidione, certiſq; cōditionibus ſeparatim Ferdinando ſunt hos intra menſes, pauloq; pòſt redditæ, cū Galli, qui eas obtinebant, Alfonſum Aualū Aterni principem, virum magna excellentiq; virtute, ad colloquium vocatū occidiſſent: quæ quidem planè mors Ferdinando, qui cum

impense amabat, aliti enim educatiq; vnà fuerant, incredibilem mœrorem ægritudinémque attulit. qua tandem excussa, Ioannam Ferdinandi aui sui filiam, Alfonsi patris alia matre sororem, in matrimonium duxit: easq; nuptias Alexander, quando legibus fieri non poterant, sua indulgentia comprobauit. atq; hæc tunc quidem in Ferdinandi partibus agitabantur. At Carolus in Galliam rediens, nõdum traiectis Alpibus, Philippum Argentonium ad Senatum misit, existimare se, eodem in fœdere quod cum Ludouico fecisset, rempub. esse comprehensam, propterea quòd imperator Venetus legatiq; ei fœderi cùm scriberetur, affuissent: quod si aliter se res habeat, scire se cupere, an vellet ciuitas tum demum comprehendi: petere autem, vt Monopolitanorum oppidum, quod ab suis vi atq; armis classis reip. præfectus cepisset, Senatus restitueret, atq; à Ferdinando auxilijs iuuando abstineret. quarum is rerum neutra impetrata discessit. Carolo in Galliam profecto, filius, quem vnicum habebat, tres natus annos moritur. qua quidem morte accidit, vt cùm postea Carolus iterum exercitum coegisset, quem ad Ferdinandum repellendum Aloisio propinquo suo duce mari Caietam mitteret, Aloisius, cui regnum Galliæ Carolo sine liberis maribus moriente lege Gallorum obueniebat, profectionem respuerit. Itaq; Carolus, cùm alio duce nollet exercitum mittere, rem iam propè confectam distulit: pauloq; pòst dilapsis cunctando militibus, ea omnino mißio magnis impensis instituta, certißimaq; ijs, quos Neapoli reliquerat, ducibus, cũ verbis tum literis ac nuncijs promissa totiens auxilia, interpositaq; regia fides, ad nihilum reciderunt. Ludouicus autem Gallici belli metu deposito, cùm id quod Pisarum ci

uitas

uitas à Senatu petierat, amicorum literis cognouisset, Pisani verò patefacta ipsorum postulatione legatos etiam palàm Venetias eadem de re misissent, ne id quod verebatur accideret, vti ea ciuitas sub vnius reip. imperiũ redigeretur, sese Senatui obtulit, si Pisas esse defendendas existimaret, eius rei socium & adiutorem futurum: videri autem sibi æquißimum esse eas defendi, propterea quòd Florentini fœdus cum Carolo percußissent, cuius ipse fœderis legatum occultè ad Carolum proficiscentem suis in finibus interceperit. Re sæpius à Patribus agitata, Ludouico magis magisq; quotidie adnitente, lex tandem in Senatu lata est, fœderatorum omnium Legatis approbantibus, vti Alexandri, & reipublicæ ac Ludouici armis atq; opibus Pisæ defenderentur: additumq; legi, vt in Liguribus milites bis mille reipublicæ pecunia conscriberentur, Pisasq; mitterentur. id autem vti Ligures permitterent, Ludouicus antea se receperat effecturum. Iis intellectis rebus Florẽtini, antequam auxilia contra se conuenirent, omni cura diligẽtiaq; adhibita, sex militũ millib. celeriter coactis, non sine spe potiundi oppidi Pisas contenderunt, atq; ad portas cũ tormentis accesserunt. Hostes patefactis portis impetum in illos fecerunt, fortiterq; pugnantes propulerunt, eorũque tormẽtis sunt potiti. Neq; multò pòst Paulus Vitellius, ex Vrsina Romanorum factione ac gente, vir fortis, quem Pisani suis copijs præfecerãt, eorum stipendio emerito ad Florentinos sese contulit, ac præfectura, quam ei contulerant, inita, cùm exercitum decem millium hominum confecisset, Pisas acerrimè adortus, in oppidi suburbium se iniecit: ex quo tamen ob oppidanis, qui quã magnã potuerant manũ & ipsi coegerant, reiectus expulsusq; est. Sed illud

idē suburbium Florentini postea cū cepissent retinerentq́;, Petrū Medicem veriti, qui Vrsinos affines suos secum ducens, in ipsorum fines iamiamq́; irrupturus dicebatur, Pisis relictis ad sua se tuenda conuerterunt. Interim conscriptis per internuncios reipublicae quingentis Genuae militibus, Pisasq́; missis, Ludouicus Gasparem Seuerinatem cum militibus, vt pollicitus est, alteris totidem, vt re euenit, paucissimis illò misit, qui vtrisq; praeesset. quo quidem tempore Florentinis ab Carolo contendentibus, vt Pisarum arcem, quae ab eius militibus tenebatur, precio redimere sibi liceret, Pisani maiore etiam quàm illi pollicebantur, pecunia partim pollicita, partim iam tradita, arcem receperūt, receptamq́; diruerunt. Eius pecuniae partem Decemuiri Genuae curatam persoluerunt libras auri ad quadraginta. Vere autem iam aduentante, quòd Dominicus Calbus maioribus in comitijs Bernardino Minoto Petri filio pugnū in os impegerat, Decemuirûm Magistri Calbum è comitijs in carcerem duci iusserunt: deinde collegij decreto in insulam Cyprum exulatum deportari mandauerunt. tum, vt vrbanorum naualium res multiplices atq; variae, quaeq́; magna & perpetua indigent cura, diligentius administrarentur, ad reliquos naualium magistratus, qui antiquitus maioribus comitijs creantur, Triumuiri ex principibus ciuitatis ex Senatorum suffragio adlecti sunt, additiq́; illis tanquā magistri: ijq́; postea Triumuiri nunquam sunt creari desîti. Aestate verò proxima, ne possessores bonae fidei omni tempore turbarentur: nonnunquam enim accidebat delatorum improbitate atq; audacia, vti de suis rebus periclitari aliquem contingeret, etiam si per multos annos possedisset: legem Decemuiri iusserunt, quarum rerū quis

triginta

triginta annos in possessione fuisset, earum rerum peti ab eo nihil licere, neq; deferri quenquam licere, nisi si Decem uirûm magistri permisissent. Ludouicus cùm eiusdem Veris tempore à Maximiliano magnis largitionibus impetrasset, vt eum regem Mediolani appellaret, ea de re gratu latum Hieronymum Leonem, quem antea ad Ludouicum Senatus legauerat, ire Patres iusserunt. Atq; illis etiam diebus à præfecto classis reip. certũ hominẽ Naupliam cũ pecunia missum, vt equites quot posset illis in locis conscriberet, nauigijsq; imponeret ad vrbẽ deportandos, aduersa tempestate complures Maleæ dies cùm detineretur, iterq; pedibus facere vellet, accersitis Nauplia equitibus ducẽtis, qui ei præsidio essent, septum in itinere Turcarum equitatus magno impetu est aggressus numero amplius sexcentis: quibus cum Nauplij equites fortissimè pugnantes maiorem eorum partem interfecerunt, reliquos fugæ mandarunt, paucis ex suis desideratis, vulneratis paulò pluribus. Contarenus autem cum Græcis equitibus quingentis petente Ferdinando in eius regnum à Senatu præmissus, vbi Suessam venit, seq; cum Federico regis patruo, qui Suessæ erat, cõiunxit, oppida quatuor, quæ à Gallis tenebantur, se vti dederent compulit. Idem cùm ad Gallutianos tentandos cum tercentis equitibus se contulisset, Galli autem, vt eos tuerentur, pluribus ex locis manu coacta impetum in illum fecissent, fortiter pugnans eas sustinuit, prælioq; non intermisso interfectis compluribus in fugam vertit, oppidumq; cepit. Idem etiam paulò pòst eodem equitum numero in insidijs se occultans, præmissis Frangetiũ, quo in oppidulo erant Galli, paucis ex suis, qui discurrerẽt, Gallos paucitatẽ illorum suam prædam opinantes insecutosq; vbi

ad insidias peruenerunt, euolans incitatis in eos equis, cũ multò illi plures essent, tamen fudit non paruo eorum interfecto numero, atque capto. Interim *imperatore cum reliquo exercitu aduentante, Philippum Rubeum Guidi filium per syluam Casinatem sua cum equitum turma temerè vadentem, Ioannes Iuliani Cardinalis frater magna equitum, multò maiore militum manu clamore sublato excepit: quibus cum Rubeus diu pugnans, paucis ex suis interfectis atq; captis, sarcinarijs iumentis aliquot amißis, ad imperatorem se recepit. quod tamen detrimentum Cõtarenus facilè sarcijt: nam cùm Ferdinandi missu excursionem in Seuerinatum fines vsq; ad ipsorum oppidi muros atq; portas fecisset, quo in oppido esse Virginium Vrsinũ atq; Vitellius ab exploratorib. cognouerat, neq; quisquã egredi ausus ei se obuiam ostendisset, rediens Troianum Sabellum cum equitibus cataphractis quinquaginta se ad illos conferentem in itinere deprehensum fudit, parte plus equitum media tum interfecta, tum capta. Paulò autem pòst cùm Gallorum exercitus timore, qui erat equitum cataphractorum ad octingentos, leuis armaturæ ad quingentos, militum Heluetiorum ad quatuor millia, rex in oppidum Foliam se cum suo exercitu contulisset, præsertim quòd illis diebus Galli septingentos milites Germanos, qui in Rhetis conscripti ad illum se conferebant, interceptos male habuerant, seq; oppidi muro Gallis obsidentibus tueretur: Contarenus, qui cum eo erat, apud eum questus, non esse æquum Græcos equites mœnibus inclusos cõtineri, petijt vti se emitteret. qua impetrata re, Gallos sæpe lacessendo, sæpe imparatos aggrediendo, sæpe in vigilijs noctem totam continendo, nonnunquam malè mulctãdo,*

do,obsidionem relinquere, ac longius recedere,seseq́;in tu tum recipere coegit. Neque multò pòst imperator Gallis aliò conuersis Valacam oppidum cingens, murorum parte tormẽtis diruta, scalisq́; positis, vi captum diripuit,interfectis qui in oppido erant omnibus,cùm milites nec mulieribus nec infantibus pepercissent, propterea quòd ea in oppugnatione centum ex imperatoris exercitu fortes viros hostes oppidaniq́; interfecerant. Eodem impetu imperator multa eius regionis oppida breui ad deditionem compulit. Galli Canusiũ aggreßi,cùm ab oppidanis quinquaginta auri libras accepissent, ne oppidum diriperent, neue ingrederentur:tamen Heluetijs militib. irrumpentibus cædes ingens facta,oppidumq́; direptum est. In ea verò regione, quam Basilicam appellant,trium oppidorum populi per sese Gallos, à quibus regebantur, occiderunt, seq́; regi dediderunt. Contarenus & ipse multa cum præda per Seuerinatum fines ad exercitum se referens, magnam hostium manum oppido egressam, secumq́; cõgressam disiecit, militibus equitibusq́; septuaginta interfectis, captis nonaginta. Tum Consaluus Hispaniæ claßis præfectus,vir magni animi egregiæque virtutis, in Calabris egressus,Crotonem,quod fugato pridem rege ad Gallos oppidum redierat,vi cepit, Gallosq́;,quiq́; eorum erant partium, iusto prælio fudit, interfectis centurionibus, præfectisq́; equitũ septem,militibus & equitibus ducentis,captis egregij nominis plus viginti,equis militaribus sarcinarijsq́ue quadringẽtis. Iis diebus naues longæ sex ex classe reipublicæ quæ in portu Neapolitano erat, Genuam sunt ire iussæ:rumor enim inualuerat, Carolo regi classem in Galliæ prouinciæ portubus cõparari:vt quæ à Gallis admini-

ſtrarentur, inſpicerent, & ſi poſſent, impedirent, nauesq; incenderent. Hæc dum ſic agitarentur, diuerſisq; in locis diſpari etiã euentu belli, meliore tamen quàm antea fortuna, Ferdinandi regnũ cædibus & rapinis arderet, Galli ex euentu rerum timidiores aliquãto facti, Telam, quod à Venuſia oppidũ duodecim millia paſſus abeſt, nõ magna ſpe eius potiundi, cũ eorum duce aggreßi, oppidanos certis cõditionibus ſe dedentes, fide fracta ingreßi diripuerunt. Id intelligens Ferdinandus, Contarenũ eò præmiſit, qui Gallorũ partem prope oppidum repertã, in fugã, atq; intra muros cõpulit, equitib. cataphractis plus triginta captis. eum ſubſecutus rex, mille ad oppidum paſſus loco tuto caſtra poſuit. Eôdem Cõſaluus è Calabris cũ ea quã habebat manu, Guidus Vbaldus Metaurẽſium dux, quẽ Senatus fœderatiq; auxilio regi ſubmiſerant, è Brutijs venerunt. Aucto exercitu apud Telã rex cùm eſſet, ad molas frumentarias corrũpendas, quibus oppidani vtebãtur, itineraq; duo intercludenda, Conſalui milites, qui tragulis vtebãtur, miſit, cùm paulò antè Contarenum Venuſiam miſiſſet, veritus ne inde hoſtibus, quorum erat in poteſtate oppidum, auxilia mitterentur, cõmeatusq; ſubminiſtraretur. Relinquebatur hoſtibus iter vnum montanũ, quo itinere cõmeatus in iumentis ſubuehi poterat: idq; magnis adhibitis præſidijs cùm fieret, Contarenus congreſſus præſidiũ dißipauit, cõmeatumq; cũ iumentis omnib. interceptũ abduxit. Poſteroq; die, centũ ex ſuis vti Venuſiam accurrerent, imperauit. ij præda facta ſub oppidi muris cùm eſſent, oppidani autẽ milites tercentum cũ paucis equitibus egreßi recuperandæ prædæ ſpe prælium cõmiſiſſent, ex illis octoginta occiderunt, captiuosq; cõplures fecerunt: ex quibus

erat

erat Fundos obtinens. Eo tempore Antonio primùm anno superiore propter valetudinem à classe reip. quæ Neapolim mittebatur remoto, deinde domum reuocato, Malchio Triuisanus ei suffectus cũ nauibus longis aliquot Corcyra in Apuliam traiecit, atq; in Calabros contendens, cũ reliqua classe, quã ad se vocauerat coniunctus, complura in littore aut vicina mari oppida regis imperiũ recipere coëgit. Demũ Paulam veniens, cũ oppidani missis ad eos qui oppidum regi peterent, deditionem renuissent, ille autem ad oppugnationem se comparauisset, velletq; muro succedere, mulieres passis crinibus porta cum infantibus egressæ ad illius se nauem plorantes ac pacem petentes profudecrunt. quibus commotus, milites continuit, oppidumq; Paulam in regis fidem omnibus incolumibus oppidanis recepit. Ferdinandus, quo ad Telam Gallos diligentius obsideret, omnemq; ijs cõmeatus facultatem eriperet, castra propius oppidum admoueri mãdauerat. ea re Gallis enunciata, magnum calonum & lixarum numerũ, equitesq; cataphractos, qui eis præsidio essent, centum quinquaginta, leuis armaturæ, qui sagittis vtebantur, alteros totidẽ celeriter portis emiserũt, vti ex vicinis oppido villis vicisq;, quicquid possent pabuli colligerent, atq; in oppidum comportarent: reliquũ omne succenderẽt, ne hostes eo vti possent. Imperator ea de re certior factus, cum Philippo Rubeo, equitibusq; Italis leuis armaturæ, quos circũ se habere consueuerat, celeriter insecutus, prælio cum Gallis acriter cõmisso, cædeq; facta, refugere illos in oppidum compulit. quibus pulsis, castrisq; regijs prope oppidum positis, cùm Galli commeatu laborarent, diesq; complures sine spe leuandæ inopiæ se cõtinuissent, equitibus præterea & mili-

tibus stipendium deberetur, neq; pecunia suppeteret, missis vltro citroq; internuncijs, ipsoq; duce cum rege ad colloquiũ admisso, tertiodecimo Calendas Sextiles pacti sunt, vti si auxilia intra mensem ab rege Carolo ad sese non mitterentur, quibus auxilijs exire oppido, atq; in aperto consistere audeant, regno Neapolitano cederent, exceptis oppidis Venusia, Caieta, Tarento: ipsis interim ab rege commeatus copia fieret: cedentibus autem rex suum præsidiũ adiungeret, quo Puteolos accedere, nauesq; in Galliã traiecturi conscendere tutò possent. eiusq; rei cùm ipsi obsides regi dedissent, legatum Venetum, quem cum Ferdinando esse intellexerant, ab rege adhiberi voluerunt, qui eis ita fore, vti conuenerat, reipubl. nomine sponsor esset. Iis scriptis firmatisq; conditionibus, Galloruũ dux regi est pollicitus, si sibi centum auri libras mutuò det, quibus stipendia, quæ debet, exercitui persoluat, sese triduo cessurũ, oppidumq; traditurum. Accepta rex conditione quinquaginta ei libras numerari statim iußit: reliquas alteras quinquaginta Heluetijs militibus, quibus debebãtur, quosq; sacramentum apud se dicere cupiebat, quæstorem suum numeraturum recepit. Illi à Gallis mißi regi lubentes paruerũt, ad illumq; transierunt. Gallis oppido tradito abeuntibus, rex imperatorem Venetũ adiunxit, qui cum Græcis equitibus, reliquisq; Italis leuis armaturæ curaret, ne quid eis in itinere noceretur. Contarenus febri permolesta implicitus adesse ipse nõ poterat, ex eaq; febri paucis pòst diebus est mortuus, vir ad bella gerenda, atq; remp. armis illustrandã, si ei vita suppeditauisset, planè natus. cuius postea matri auri libra annua in victum à Senatu constituta: duabus autem sororibus, alteræ dos aurĩ libræ viginti, al-

teræ

teræ in sacrarum virginum collegium ternæ libræ. Postea *cùm rex Salernum ac nonnulla alia vi,nonnulla cõditioni bus oppida municipiaq; recepißet, aliqua etiam sponte ad illum sua redijssent, Vrsinos, Vitellios, qui ex Gallorum erant partibus, fugauisset, planeq; dißipauisset, ipse autem si qui reliqui essent in eius regno Galli, ab ijs nihil fil i magnopere verendum existimaret, Græcos equites, quorũ opera egregia & fideli fuerat vsus, quo minus sumpti faceret, primos omnium missos fecit. paucis pòst diebus imperatori valetudine tentato omni cum exercitu abeundi facult.as data. Metaurensium autem & Pisaurentium principes, Alexandriq; filium, quibus stipendium à fœderatis pendebatur, Prosperumq; Columnam, cum sua quẽque manu, nauesq; longas reipub. decem, onerarias Hispanæ claßis quamplures, tum Federicum patruum, qui præesset, Caietam, quod Galli oppidum communierant, misit. atque à Malchione triremes duæ Salernitanorum principi sedibus patrijs pulso, quibus ille in Galliam prouinciã transmitteret, petente Ferdinando traditæ. acceperat etiã in vrbe à Senatu Ferdinandus mutuas auri libras sexaginta. Iisdem diebus Vestini legatos de deditione ad Senatũ mi serunt, neq; sunt recepti. cumq; è Calabris Ferdinandi nauem onerariam Galli, qui illis in locis erant, pace facta Neapolim appulsuri cõscendissent, nautæq; cursum eò dirigerent, illi nautis comprehensis nauem aliò conuertere cœperũt: sed cùm magna coorta tempestate malo infracto antennæ concidissent, nautis ad gubernaculum reuocatis, Neapolitano portu capto omnes in vincula coniecti sunt. Ferdinandus autem cùm grauiter ex intestinis in Vesuuio laboraret, episcopum Theani, quem habebat in custo-*

dia, securi vti pecuterent, suis imperauit: addubitansq́; eius rei ministros sese ægro dicto audientes non fuisse, episcopi caput in cubiculum ad se afferri iußit: quo inspecto quieuit. pauloq́; pòst Neapolim allatus, vrgente vi morbi Nonis Octobribus excessit è vita: cuius locum Federicus eo ipso die vnà cum Malchione Caieta Neapolim approperās, à regni principibus suffectus tenuit. Is regijs acceptis insignibus primum omnium Salernitanorum principi abitum paranti autor, ne discederet, fuit, regni præfectura, qui magistratus habetur amplißimus, ei tradita, filia quę sua illius desponsa filio. reliquos deinde viros principes, qui cum Ferdinando dißidebant, propè omnes sibi amicos certis conditionibus atq; muneribus reddidit. Nondum autem ijs confectis rebus, dum reginas Federicus inuiseret, vnam, quæ patris, alteram, quæ fratris filij vxor fuerat, Bißinianorū principis, qui vnà cum plerisq; in procubiculo regem operiebatur, famulus gladio districto herum percußit, geminatis ter ictibus interficere illum cupiens: cōprehensus, quæstione habita dixit, id efficere, quod fecisset, se in animo annos tresdecim habuisse, propterea quod princeps suam olim sororem violauisset: antea patrādi facinoris occasionem idoneam sibi nullam datam: tunc rem ad exitum perducere vel certo vitæ suæ periculo voluisse. Paucis pòst diebus Federicus Malchione omni cum classe dimisso, suum Caietam exercitum adduxit: ac parte suburbiorum & montis capta, tormenta muralia ad portū conuersa collocauit, vt naues quas habebant Galli, collabefacceret atq; deprimeret. quod quidem illi veriti, ea se conditione dediderunt, si rex eos suis cum rebus omnibus mari discedere permitteret. itaq; tribus onerarijs conscensis nauibus,

bus oppido tradito, non multis ante brumam diebus sunt profecti. Accidit autem *vt nauis ea, in qua erat Caietæ magistratus cum militibus trecentis, magno aduerso impellẽte vento* Terracinæ *iniecta littori cum vectoribus perierit.* Tarentini *verò qui ad eam diẽ* Gallorũ *fidem secuti, in magna rerum omnium inopia, magnisq; in difficultatibus versabantur,* Cæsare Ferdinandi *fratre notho & terrestribus obsidente oppidum copijs, & mari nauibus longis tribus commeatus importari prohibente, præsertim, quòd si quid antea in villis aut frumenti, aut pabuli circa oppidum fuerat, eo ne hostes potirentur, tectis incensis corruperant ipsi.* Ferdinandi *morte cognita, concilio coacto quid agendum sibi esset, inter se quærebant.* Ea *re longis disceptationibus agitata, ac tribus dictis sententijs, vna vt* Federico, *altera vt regi* Turcarum, *tertia vt* Venetæ *reipublicæ oppidum traderent, legem tandem magno studio tulerunt, vt* Senatus *fidei & pietati sese committerent: itaquę insigni reipub. sublato, literas ad* Aloisium Lauredanũ *præfectum* Monopolitanorũ *dederunt, orãtes vti se reciperet.* Literæ Aloisij *ea de re ad* Senatũ *perlatæ, alteroq; post eas literas die lagati* Tarentinorum *cum eisdem mandatis* Venetias *aduecti, eius rei expectatione ciuitatem erexerunt. atq; illis quidẽ hospitiũ publicè datum est.* Patres *vocati complures dies sententijs dicendis consumpserunt: quarum pars non esse* Tarentinos *recipiendos, propterea quòd in fœdere caput erat, ne dedititios rege nõ permittente ciuitas acciperet: pars recipiendos censebant, ne obstinatis in* Neapolitanos *reges animis* Tarentini *regi* Turcarum *sese dederent: quod si fieret, nõ illis modò nationib.* Federicoq; *in primis, sed toti etiam* Italiæ *perniciosum*

futurum. Nullum Senatui cum Federico fœdus Ferdinando mortuo: quod tamen si esset, præstare id vno in capite negligi, quàm permittere oppidum natura munitißimum, atq; ad exercitus in Italiam transportandos, classesq; continendas opportunißimum, inimico Italis omnib. regi atq; bellicosißimo attribui. Vicere demum quæ, neutra earum probata, Tarentum ciuē Venetum mitti oportere, sententiæ censuerunt, qui autoritate reipub. Federico ciuitatem conciliaret, cōmeatumq; sufficeret. Itaq; Andreas Zancanius, Senatorū suffragijs legatus est ad Tarentinos lectus. atq; is antequā nauem cōscenderet, Alexandri atq; Hispaniæ regum legati, itemq; Ludouici, Principem & Patres adierunt, eosq;, ne se in causam Tarentinorū insinuarent néue quid agerent, monuerunt. quorum intellecta voluntate, ne laborem cum inuidia Patres sumerent, Andreas Senatusconsulto retētus, neq; postea missus est. Atq; illis diebus Ludouici ad Alexandrum scriptas literas Vrsini prope vrbem interceperant, quibus literis Ludouicus ab Alexandro petebat, vti Patres commonefaceret, à Tarentinis recipiēdis abstinerēt: néue eos augere suas opes, suamq; potentiā nimium quàm iam auctā permitteret. Eas illi Senatui literas miserunt, vt quo esset in ipsos animo Ludouicus, Patres inspicerent, qui tantis ab rep. tamq; illustribus affectus beneficijs, à suis tamē morib. non recederet. Zancanio retento Patres, quod cum Tarentinorum ciuitate illo misso facere decreuerant, id cum eorū legatis ipsimet sunt aggreßi, vt illos Federico per eius legatum conciliarent: quod quidem perfecerunt, sponsoresq; Tarentinis fuerūt, regem illos in eum quo antea erant, statum restituturum, neque quicquam, propterea quòd à regibus Neapolitanis desciuis-

desciuissent, ciuitati succensurum. quibus cõstitutis rebus, Georgiũ Francũ *Senatus scribam, unà cum legatis reuertentibus* Tarentũ *miserunt, earum rerum firmandarum causa: annusq; insequens iam inierat. Illi autem intellecta oratorum suorum literis de sese regi pacandis Senatus uoluntate, pridie quàm is* Tarentum *appelleret, aliquanto minus bonis conditionibus, quàm illæ erant, de quibus transegerat Senatus, se* Federico *dediderunt.* Eum *exitum* Tarentinorum *obfirmatio habuit. Iamq; in urbe aduenarum contagione, inuectioneq; syderum, morbus peratrox initium acceperat is, qui est Gallicus appellatus: quo genitalibus ante omnia plerunq; uitiatis, corpus doloribus afficiebatur, deinde pustulæ maculæq; prodibant cũ in membris reliquis, tum magnopere in capite facieq;: ac sæpe tumores & tanquam tubera primùm subdura, pòst etiam saniosa, exoriebantur; itaq; multi diu uexati membrorum propè omnium doloribus, deformatiq; tuberculis & ulceribus, ut uix agnoscerentur, miserabiliter interibant: neque quorum medicamentorum pestilentia indigeret noua insolensq; sciri poterat. quamobrem annos complures omnibus in reipub. municipijs & finibus licenter peruagata, magnum hominum numerum absumpsit, fœdauit multò maximum. Sed quoniam eo de morbo* Fracastoriani *libri tres heroicis uersibus multa cum dignitate uenustateq; conscripti uulgò in manibus habentur, nihil nos quidem attinet hæc scribentes commorari, præsertim quòd eius acerbitas & uis multò nunc iam remißior tolerabiliorq; facta, vel inuentis ad ea mala perfugijs opibusq;, vel cœlo minus in dies sæuiente, planè deferbuit.* Verùm *ad* Pisanum *bellum, de quo superius dicere cœpimus, reuertamur: quod ta*

men ipsum impeditum magis, & diuturnũ variumq́;,cùm impensæ plurimæ atq; multiplicis, quàm vsui aut gloriæ ciuitati fuit. quanquam eius quidem rei culpam omnẽ Ludouici æmulatio atq; perfidia sustinuit: quæ tamen culpa vno ab illo fonte deriuata, paulò pòst in ipsius caput redundauit. Magnum enim hostem nactus, cùm respub. sæpius ab illo lacessita & prodita, hominis infidelissimi atque arrogantissimi societatem semel renuisset, regno expulsus, deinde etiam captus, turpissima in custodia vitam reliquit. Adductis Pisas reip. auxilijs equitatus grauioris leuiorisq́; armaturæ per Ludouici fines, qui & ipse suos equites multò tamen pauciores eòdem miserat, tum per Lucensium, quos susceptì à tribus maximis Italiæ populis communi cõsilio belli fama compulerat, nihil vt eis esse negandum existimarent, conscripti Pisis reip. pecunia milites plus mille, quos ex Vmbria & Piceno & Corsica prædæ atq; stipendij spes euocauerat, ad eos qui Genua venerãt milites adiunguntur: itaque spei bonæ plena ciuitas, suis sociorumq́; copijs ad vicum, qui Pisanus appellatur, eratq́; in ipsius potestate, hostium equitatum cæde facta in fugam vertit captis compluribus. Milites, qui tunc ab equitibus tria millia passus aberant, cùm suis præstò esse non possent, quòd inter se, equitesq́; interpositum hostem videbant, eius aduentu non expectato, raptim temereq́;, quò cuiq; visum est, fuga comparata sibimet consuluerunt. Paucis autem pòst diebus eodem ex municipio emissos pabulatores, hostium est manus parua ex insidijs consecuta: ad quos cùm ij qui erant in municipio, equites cataphracti sexaginta, leuiter armati centum, milites minus trecẽti, auxilio accurrissent, reliqui se hostes ostenderunt, impetumq́; in eos fecerunt, e-

quites

quites vtriusque armaturæ quingenti quinquaginta, milites ad duo millia: illi se paulatim referentes, ad eius loci pōtem constiterunt, fortiterq; pugnantes, cùm aliquot ex suis amisissent, aliquot etiam capti essent, se tamen loco non mouebant, vulneraq; & cædes inferebant. quo in certamine Franciscus Siccus hostium præfectus accepto vulnere prælio excessit, pauloq; pòst est mortuus. eo cedente finis est pugnæ factus. atq; illa quidem in pugna Veneti cùm ad Lucium Maluetium Bononiensem Ludouici legatum, qui non longè aberat, misissent, vti sibi auxilio confestim veniret, prandere se prius velle respondit. Is, quòd ex eiusmodi ludibrio responsi, nec allato celeriter auxilio, omnium se vocibus culpari sentiebat, honoris sui causa Pontem sacci castellum Florentinorum noctu adortus, scalisq; ad murū positis cepit, cùm tamen eo in castello esset Antonij Martiani filius adolescens cum equitibus cataphractis sexaginta, quorum pars in Lucij potestatem venit. atq; illud quidem castellum Florentini decimo pòst die, quàm est captū, iisdem propè artibus recuperauerunt, euestigióque diruerunt. ita vtrisque hæc, atque consimilia multa conantibus, aliquot menses abierunt, cùm vtri eorum superiores in bello essent, constaret satis nulli. Interim cùm Pisani commeatus inopia propter anni tempus laborarent, idq; Patribus significauissent, Senatus ad suum statim hominem, qui erat Genuæ, traiecta pecunia imperauit, vti frumenta coemeret, Pisasq; transmitteret. qui cùm Senatui celeritate adhibita paruisset, annona subleuata reip. munere ciuitatem recreauit. Senatus vbi ea manu, quam Pisas miserat, quamq; ibi atq; Genuæ cōscripserat, æstatis parte iā præterita parum se proficere animaduertit, quingentos

equites Græcos Iustiniano Mauroceno præfecto Pisas mittendos decreuit. Is ante medium Quintilem mensem omni cum equitatu eò se contulit. Tum autem, quod erat iam antea in Alexandri & Ludouici & reipublicæ militia Ioannes Bentiuolus, pro sua parte misso ad illum stipendio Senatus, cùm etiam Alexander misisset, vti se ad Pisanum bellum compararet, imperauit: simul ab Ludouico petijt, suam Ioanni partem itidem mitteret. Id ille negare cùm nõ posset, se facturum recepit, neq; misit tamen: quinetiam ne vlla conditione proposita proficisceretur, clàm ab eo impetraße illum nemo non credidit: nam Ioannes multa quotidie causari, multa temerè ab Senatu petere, deniq; diem de die ducere,, vt quilibet scire posset illudi Senatum callidis & propinquis ab hominibus Ludouico et Ioanne. Duxerat autem Hannibal Ioannis filius in matrimonium vnã ex Herculis Atestini filijs notham: altera vt antè dictum est, Ludouico nupserat. Itaq; eam affinitatem etiam animis ad improbitatem mutuis paribusq; conglutinabant. quã in mora illud accidit, vt Hercules eam equitum militumq; manum, quam tuendo regno habere consueuerat, propè omnem cum præfectis dimitteret. Mißi euestigiò Florentiam militatum abierunt: ne cui dubium fieret, qua hæc mente, quóue consilio essent instituta. Sed & illud Senatusconsultum factum est, vt præfectis tribus, qui erant Pisis, equitum numerus augeretur: Iacoboq; Tarsiæ, qui Rauennæ erat, pecunia subministraretur ad milites in Fauentinis finibus conscribendos mille, quibus cum Pisas accederet, cæteris quoq; militibus, qui reip. stipendium mererent, eo bello imperaturus. tum mißi Pisas præfecti equitum cum sua quisque turma quatuor. Iis imperatis rebus, ac propè etiã confectis,

confectis, Heluetij quadringenti, quos Ludouicus Pisas miserat, domum discesserunt, cùm dicerent, sibi stipendium non subministrari. Reliquæ deinde Ludouici copiæ præfectiq́; paucorum dierum spatio sigillatim abeuntes idem fecerunt, Lucio excepto, qui quidem consilia cæterorum cognoscendi, atq; impediendi belli causa cum paucis equitibus remansit. ita, quod initio de communi sociorum sententia Ludouicus sumpserat, vt Pisas vnà cum reliquis tuetur, id priuato consilio reiecit, furtim in medij feruore belli sese subtrahens. Sed antequam Heluetij & reliquæ Ludouici copiæ discessissent, propterea quòd multò plus oneris & vastitatis ciuitati, quàm aut præsidij aut emolumenti afferebant, videbaturq́; id vnum Lucio deliberatum esse, vt Pisanos conterendo & maleficijs euerteret, ciuitas ad Patres misit, sese vlterius Ludouici auxilia perpeti sustinereq́; non posse: velle, ac decreuisse, vni Senatui se addicere, vexillaq́; reipublicæ subtollere: rogare vt eorum voluntate id sibi facere liceret. Patres Pisanis collaudatis, quòd eo erga rempublicã studio, ea mente essent, aliud posse tempus accidere dixerunt, cùm id & illi tutò facere, & ipsi eis permittere vti facerent, iure possent: nunc verò illud curarent, vt liberi per eorum fidem essent: qui pepigerunt se in eo suas partes omni diligentia præstaturos: bonoq́; animo eos esse iussos dimiserunt. Naues interea reipublicæ longæ sex Neapoli in Liguriam atq; in Galliam prouinciam missæ, cùm nihil earum rerum, quarum causa ierant, reperissent, conuersæ ad eas naues Florentinorum insectandas, à quibus ne frumenta, néve reliqui commeatus supportari Pisas possent, magnum impedimentum afferebatur, plurimo vsui ea in re fuerunt. quibus quidem nauibus aliæ na-

ues longæ complures additæ, eundem sanè usum atque operam reipublicæ præstiterunt, hostium nauibus, commeatibusq;, qui Triturritani inuchebantur, deinde in eorum castra comportabantur, sæpe disiectis fugatisq;, sæpe captis. Neq; tūc terrestres reipublicæ copiæ in cessatione fuerunt, sed & castella hostium aliquot sunt ab ijs capta, & legatus eorum Petrus Capo *interfectus, & prælia nonnulla secundiora facta. Quo etiam tempore Pisani Librafactæ castellum ipsorum, quod ab eisdem Gallis, qui arcem Pisanam restituerant, etiam nunc obtinebatur, auri libris triginta præfecto traditis magna hostium inuidia recuperauerunt. Omnibus autem ex vtiliatibus, quas quidem claßis exercitusq; reipublicæ in medium eius belli contulit, eæ crebriores neq; postremæ fuerunt, quæ ab Græcis sunt equitibus profectæ; nam & prædæ sæpe ingentes abactæ ab illis sunt, & plurimi commeatus intercepti, & hostium turbata eorum audacia, atq; celeritate consilia: quodq; magis mirum videbatur, castella quoq; ab ijs nonnulla capta: cædes verò pluribus locis factæ: vt laudari & bene de rep. meriti existimari iure possent. Dum hæc ad Pisas gerūtur, è Gallia transalpina nuncij venerunt, ab rege Carolo reditum in Italiam magno studio comparari: ipsum paucis diebus ad Lugdunum fore: in via quidem certè iam esse. quam obrem Ludouicus à Senatu quæsiuit, velletne, si Carolus urgeat, sibi exercitum & auxilia mittere: nam se promeritum, ne quam sui curam resp. sumeret, probè intelligebat. Senatus ei respondit: Tametsi Pisano bello implicata ciuitas esset, cui bello quanto studio, quantisq; impensis opus sit, sciret ipse omnium optimè, tamen se in eo tuendo non defuturum. simul Marcum Beatianum ad Heluetios misit,*

qui

qui eis ab rep. stipendium polliceretur, ne ad Carolum se conuerterent. Pauloq; pòst, *cum* Triultius Gallorum *manum secum ducens traiectis* Alpibus *Astam venisset*, Ludo*uicus ad* Senatum *misit, videri sibi optimum esse* Maximi*lianum regem suo & Alexandri & reip. stipendio in* Itali*am accersiri: vt sit, qui regem Carolum & autoritate sua deterrere, ne Alpes traijciat, & si traiecerit, suis & socio rum opibus et copijs comprimere facilè poßit: eiusq; se rei iam apud illum initia & fundamẽta iecisse per legatos suos, à qua, vt videtur, nõ abhorreat.* Ea *agitata re de* Alexã*dri &* Hispaniæ *regum legati sententia celeriter à* Patri*bus, sextodecimo* Calendas Iunias Senatus *decreuit* Maxi*milianum accersiri oportere: cui sint in trium mensium stipendia (tot enim menses satis fore) à rep. quadringentæ auri atq; octoginta libræ, à* Ludouico *alteræ totidem, ab* A*lexãdro parte dimidia pauciores: ducatq; is* Heluetiorum *secum militum quatuor millia, quibus ipse stipendium numeret, singulis mensibus libras auri centum viginti, ea cũ lege, mandatisq;,* Franciscum Foscarum *legatum* Senatus *ad illum misit, quæ quidem lex eò festinãtius est lata, quòd literæ ad* Senatum *venerant,* Heluetijs, *qui se profitebãtur nihil eorũ quæ vellet* Carolus *esse facturos, nisi prius reliqua, quæ debeat, quæq; permagna sint, eis persoluat, iam ab rege quingentas auri libras esse curatas, quod tamen, vt postea cognitum est, falsum fuit.* Beatianus *ad* Heluetios *missus effecit, vt tres eorum pagi reip. sacramentum dicerent, stipendiumq; eis dedit.* Maximilianus *accepta à* Pa*tribus pecunia in fines regni sui venit,* Comensem *agrum uersus.* Eum Ludouicus *cum uxore* Beatrice *obuiam profectus excepit: pransiq; vnà venatũ secum duxerunt. Qua cõ*

motus fama Aloisius dux Genabensium Astam oppidum communiuit, veritus Maximilianum eò primùm omnium suas copias adducturum. Ille autem, vt Philippo filio Belgarum regi ad se venienti sui conueniendi potestatem faceret, etiam interius in Alpes reuersus, suspicionem multis attulit sese amplius in Italiam non venturum. Atq; illis ipsis diebus Henricus Britanniæ rex inter fœderatos est receptus: missiq; ad Maximilianum legati duo, Antonius Grimanus, Marcus Antonius Maurocenus, qui venientem exciperent. Maximilianus conuento filio rediens Comum, quò ei præstò Ludouicus fuit, deinde in agrum Mediolanensem ad Vigeuenum venit. Ibi cùm esset, literas ad Pisanos dedit, velle se suum hominem, qui eis consuleret, ciuitatemq; regeret, eò mittere. Ciuitas ad ea respondit, vnum se ab eius initio belli semper optauisse, diligentissimeq; curauisse, vt in libertate, qua permultos annos caruerant, quãque dij eis reddiderant, permanerent: si eius præfectum recipiant, contrariam rem suis studijs facturos, sibiq; ipsos dominum imposituros: se verò non consiliorum indigere, sed auxilij. Itaque cùm paulò pòst Maximilianus illum ipsum præfectum ad eos misisset, non est receptus. Interim cùm de aduentu Caroli rumor nuncijq; refrixissent, Ludouici suasu, qui omnino nihil eorum, quæ impedire paulùm modò possent, ne Pisæ sub reip. ditionem redigerentur, prætermittebat, Senatu non abnuente Maximilianus statuit Pisas accedere, vt ei bello finem imponeret. Itaque Dertonam est profectus cum equitibus, quos secum duxerat, trecentis, militibus Heluetijs duobus millibus, equitib. Ludouici mille. Dertonæ res huiusmodi accidit. Legatis Florentinorum duobus, qui ad Maximilianũ venerant, in

via forte obuijs legati Veneti salutẽ dixerunt: illi eis ne verbum quidem vnum reddiderunt, sed illiberali contumacia ire perrexerunt. Postridie autem eius diei iterum obuij cùm de via legatis reip. non cederent, arrogantiusq; in eos cum suo comitatu propè conglobarentur, Maurocenus, cui quidem præclara atq; mirifica faciei dignitas cum vasta membrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, vt in luto prouolueretur, Disce cedere maioribus, pronuncians. A Dertona Genuam Maximilianus profectus, arcem oppidi sibi tradi postulauit. ea non tradita, postridie eius diei oppido egressus in suburbio paranda classe complures se dies continuit. Nonis autem Octobribus omni cum sua copia conscendens nauibus longis reipub. octo, Genuensium duabus, onerarijs item decem, quas Genuæ armari atque instrui curauerat, aduersa tempestate, quòd in onerarijs tunc erat, paulisper est iactatus: pòst à Dominico Maripetro præfecto classis Venetæ receptus, cùm dies aliquot in mari portubusq; consumpsisset, Arni fluminis ostium ingressus nauicula cum eodem præfecto, prioreq; legato reip. (nam recentiores affecti valetudine domum abierant) Pisas appulit: ibi explorato loci situ, cõcilio legatorum, & præfectorum, & ciuitatis coacto, Triturritæ arcem, quæ mari vndiq; alluitur, & ponte sublicio littori coniungebatur, eratq; hostibus opportunissima, quòd ea vna omnes maritimi Pisanorum conatus, & rei frumentariæ administratio magnopere impediebantur, oppugnare instituit. itaq; legatis reip. qui exercitui præerant, iussis in diuersas partes equitatum mittere, vt hostes alijs in rebus occupati morarẽtur, milites Heluetios trecẽtos è nauib. cũ tormentis & præfectis suis principib. egres

sos occupare eum collem, qui è regione arcis est, imperat, ædiculamq; in colle positam capere, ne auxilia ijs, qui in vico atq; in arce sint, quòd erat illac transeundum, ab hostibus submitti possint. Qua re animaduersa, Triturritani portis emißi animo ædiculæ præripiendæ in collem euolant. Prælium committitur, cædesq; vtrinq; fit. tum præfectus claßis milites è nauibus, remigesq; auxilio laborantibus submittit: ab ijs hostes repelluntur, ipsi & Heluetij fugatis hostibus ad naues reuertuntur. hostes postea eam ædiculam diruerunt. Interim naues aliquot è longinquo visæ sunt eò cursum tēdere: ad quas suis cum triremibus præfectus, vt vnde, aut cur venirent, scire posset, & si hostiles essent, ipse eas adoriretur, statuit accedere: naues enim onerariæ, quòd ventus erat aduersus, commouere se non poterant. Maximilianus eius consilio comprobato, triremes & ipse cōscendit. Cùm ad naues præfectus appropinquasset, quæ quidem erant sex, omnesq; Gallicæ, ac plenæ commeatus, & armatorum militum à legatis Florentinis Caroli permissu in Gallia prouincia conscriptorum, eas aggredi non est ausus: quarum vna erat amphorarum supra mille ducentarum capax, reliquæ plus minus quadringentarum. itaq; sine molestia cursum tenentes ad Triturritam iactis anchoris constiterunt. Sequebatur magno eas interuallo nauis vna reliqua longa, verùm non ita velox remigioq; habilis, vt triremes sunt, sed altior, latiorq;, ac magno ad bellum vsui, amphorarum circiter sexcentarum: ad quam præfectus omnibus cum triremibus contendens, eâque assecutus, vbi se, qui in naui erant, milites septuaginta velle defendere cœperunt, tormentis æneis pilas ferreas in eos magni ponderis emitti è triremibus imperauit. quorū

terrifico

terrifico strepitu audito, conspectisq; ignibus, Maximilianus sua cum triremi abijt: eum aliæ quatuor triremes sunt subsecutæ. Præfectus cum reliquis in nauem Gallicam facto impetu, eam cepit: qua in naui erat frumenti magnus numerus. Id nauis hostium maior, quæ in portu iam erat, conspicata, vento paulisper conuerso sublatis anchoris, vt auxilio sociæ naui esset, vela ad naues Venetas fecit: sed præfectus nauem captam remulco breuiorē in aquam abstraxit, quam illa terra tacta assequi non potuit. Venerat interim Pisas Hannibal Bentiuolus patris loco cum equitibus septingentis, & militibus ducentis: eum Lucius veritus, quòd erat ex aduersa factione, abijt, neq; postea Pisis fuit. Is igitur Hannibal, copiæq; reliquæ Venetorū omnes cum legatis instructo exercitu sese ad Triturritā contulerunt. In itinere castellum vnum vi ceperunt: aliæ se duo spōte dediderunt. Exercitus castris positis vbi arcē obsidere, ac concutere tormentis cepit, ij sunt imbres consecuti, vt Maximilianus obsidionem reliquerit: itaq; suis cum equitibus quingentis, militibus mille trecentis, ad vicum Pisanum profectus est: inde propè subiratior, seq; deceptum dictitans, nullo loco commoratus, Ticinum, pauloq; pòst suum in regnum redijt. At domi, vt more institutoq; maiorum, ciuibus ædium suarum incendio damna perpessis publicè subministraretur, quò facilius amissa restituerent, Decemuiri legem tulerunt, vt Petri Molini filijs auri libras viginti, Hieronymo & Marino Albertis quindecim, quibus vtrisq; ædes ad Cassiani & Apolinaris cōflagrauerāt: Andreæ Ripæ, cui suburbium in Muriano, alteras totidem: Venerijs, quibus domū cum taberna merciū Indicarum maximè celebri ad Bartholomæi ignis absumpserat, auri libras

triginta, Quinqueuirûm sale procurando magistratus daret. Neq; multò pòst, onerarijs nauibus duabus naufragio amißis, Philippo Bernardo, Aloisio Contareno, quorum illæ fuerant naues auri libræ sexaginta æquis partibus, Decemuirûm item lege ab eodem magistratu sunt curari iussæ, ea conditione, si nauem alteram eorum vterq; fabricandam reciperet. Florentini ea re elati, quòd Maximilianus, à quo sibi magnopere timuerunt, infecto negotio discesserat, castella complura, quæ à Pisanis tenebantur, aggreßi, partim vi, partim se dedentia recuperauerunt. Legati Veneti exercitu distributo, Pisanum ad vicum, & Caßinam, & Butrium, & Librafactæ municipia se in hyberna contulerũt. Græci equites centum, vt commeatus inopiam subleuarent, quòd illis diebus naues Gallicæ quatuor, Venetorum naues duas frumentarias Pisas conuehentes intercеperant, hyemandi causa Rauennã profecti sunt insequẽte anno inito. aliquot etiam eorum qui remanserant, ad hostes ob stipendia non soluta transierunt. Quibus etiam diebus Fauentiæ arcis præfecto ægerrimè ferente oppidum à reipublicæ legato ita regi, vt sibi, quod antea consueuerat, magistratus creandi, pecuniam publicam auertendi, quicquid collibuisset patrandi facultas non esset, no usq; res cũ sui similib. moliẽte, vt legati ius & maiestas impediretur, puero etiã delinito, & in suas partes traducto: Senatus ea intelligens, literas ad legatum dedit, quibus literis legatus iubebatur, Hestori puero ciuitate adhibita denunciare, Senatum non ambitionis aut dominationis causa ciuem suum Fauentiam misisse, sed cùm prius otij & quietis cupiditate eius hostes, qui illum regno propè deiecerant, suis auxilijs repreßisset, postea & ciuiũ precibus,

& ipsius

& ipsius periculo permotū, constanti eius diuturnoq; rogatu id fecisse, vt esset, & qui oppidanis ius æquabiliter diceret, & quem eius inimici propter rempublicā vererentur, ne is quotidie ob ætatis imbecillitatem, & hostium audaciam de suo regno periclitari cogeretur: illum etiam in suam militiam scripsisse, stipendio iuuisse, ornatumq; esse voluisse, dignitate auxisse, sua beneuolentia pietateq; fouisse: atq; hæc illum ab Senatu omnia sine vllo fœnore, tanquam à patre filium, impetrauisse, annumq; integrum his reip. muneribus & liberalitate vsum fuisse: nunc verò, quādo non modò nulla gratia tantis officijs referatur, sed etiā Legati iurisdictio impediatur, reip. autoritas labefactetur, velle Senatū, & Legato iubere, vt statim decederet: fatuū porrò eum esse, qui alteri suo cū dispendio beneficiū dat, quod ipse, cui datur, inuitus accipiat. Iis literis palā à legato recitatis, puer rogare illū lachrymans obtestansq; cœpit ne decederet: multiq; idem optimates frustrà fecerūt: nam legatus nihilo secius decedens domū rediјt. Inter hæc Carolus, Iuliano Genuæ ac Sauonis ei deditionem pollicente, Alexandriæ Dertonæq; Triultio, modò ipse reditum in Italiā apparet, Lugdunū venit. quibus intellectis rebus fœderati trium millium militum numerum in Liguria celeriter conscripserunt, eosq; per arces oppidorum & castella distribuerunt: & Ioannem Aloisium Fliscum aduersæ factionis, hominem magna autoritate, qui tum Genua exulabat, resq; nouas moliebatur, ciuitati restitutum, communi stipendio ei tradito, vt quiesceret effecerunt. Crebrescente verò iterum fama, Carolum ad Lugdunum magnos exercitus cogere, Senatus decreuit, vt trecenti equites cataphracti Ludouici auxilio mitterentur: Principisq; col-

legium ciuem legeret, qui eis quæstor & legatus esset. Patres Vincentium Valerium legerunt. Pauloq; pòst equites leuis armaturæ alteri totidem Mediolanum sunt à Senatu missi. Triultius cum eo, quem & secum è Gallia transalpina ducere, & in Salassis ac Heluetijs cogere potuit, exercitu in Ludouici fines ingressus, castella quinq; haud paulũ opportuna communitáq; perceleriter cepit, expulso Ioanne Francisco Seuerinate Ludouici præfecto, qui ne primũ quidem hostium impetum sustinuit. alia ex parte cum militibus sex milibus Asta Iulianus profectus Sauonem versus, præmissis qui eam ciuitatem pollicitationibus incitarent, cùm nihil eo studio profecisset, itinere non intermisso illò venit, atque in colle apud oppidum castra posuit. Iámque Pisis Sauonem Senatus iussu venerat classis præfectus cum triremibus reipublicæ septem, onerarijs nauibus Federici regis quatuor: ad quas vtrasq; Genuenses duas eiusdem generis addiderãt. Itaq; Lucius & Seuerinas legati, quos eôdem Ludouicus miserat, sua cum manu, & cum equitibus Græcis, militibusq;, quos ex hybernis & Pisano agro Genuam cõtendere Senatus iusserat, adiunctis classiarijs, prælio cum Iuliani copijs commisso, eas repulerunt. Iis repulsis submotisq; (retrò enim cesserant) Nouium oppidũ tormentis positis, vt se dederet, compulerunt. Classis autẽ præfectus ea littora percurrens, naues magnas paruasq; complures commeatu onustas, qui è prouincia cum Iuliano, quem quidem iam Galli oram illam tenere confidebant, tum Florentinis afferebatur, nauiculasq; longas militares aliquot paucis diebus cepit. Triultij autem rebus successibusq; cognitis, Senatus decreuit, vt Nicolaus Vrsinus, cui omniũ reipublicæ copiarum præfectura decreta erat,

Bernar-

Bernardinus Montonius, Mediolanum celeriter contenderent, imperatorq; Franciscus se compararet, vt si opus esset, ipse quoq; eò proficisceretur. Legati etiam ad bellum Gallicum lecti, Nicolaus Fuscarenus, Andreas Zancanius, ire celeriter sunt iußi. tum centuriones militum tribuniq; delectibus conscribendis, quibus vterentur, ad plura loca mißi. Vbi Vrsinus vnà cum altero legato Mediolanum venit (nam Zancanius in itinere ad Cremam luxato pede restitit) Ludouicus edici frequenti foro iußit, quæ legati Veneti iußissent, mādauissent, ijs velle iubere se, ita omnes homines audientes esse, vti si ea ipsemet imperauisset. Triultio verò, cui, antequam exercitus reipub. illuc accessisset, omnia secundiora fuerant, Vrsino & Montonio, reliquisq; præfectis & tribunis militum suas ei copias opponentibus, primò ad Castellatium, quod municipium tormentis concutere instituerat, mille & quingentis Gallis ab equitatu reip. leuis armaturæ malè habitis, non leue detrimētum est illatum. Deinde cùm prælio decertare non auderet, paulatim sese retrahens, & castella Ludouici capta deserens, apud Astam octo millia passus castra posuit, & communiuit: antè tamen Bergomascio Ludouici castello de via ei obuio, propterea quòd se dedere noluerat, vi capto, interfectisq; ad vnum, qui in eo erāt, omnibus. Ex Veneto etiā & Ludouici exercitu equites & milites Montis alti municipium, quod à Nouaria tria millia paßuum abest, expugnauerunt, simulq; diripuerunt, atq; incenderunt. Saone autem & Genua rectè firmatis, cùm Pisani commeatus inopia conflictarētur, propterea quòd claßis reipublicæ ab eorū littoribus abfuerat, Florentini suis nauibus frumenta in oppidum supportari prohibuerāt. Pauculosq; se dies sustine

re posse vlterius significauissent: reip. classis praefecto cum triremibus quinq; nauigijs minutis frumẽtarijs, quibus erat praesidio, supra quinquaginta è portu Veneris Pisas reuertenti, ex omni sua copia Florentini fortißimo quoq; milite nauibus imposito, Triturrita soluentes occurrerũt. naues erant eorum sex, quatuor biremes, vna & ipsa longa, sed triremibus multò vastior atq; procerior: oneraria magna alia, militibus amplius sexcentis tormentorum atq; mißilium omni genere instructißimae. ex ijs ad impediendas frumentarias, ne Arni fluminis ostiũ ingredi possent, biremes miserunt: reliquae duae magnae, vt in triremes impetum facerent, remis velisq; propellebãtur. Id praefectus conspicatus, triremem vnam cui maximè confidebat, commeatui praesidio reliquit: ipse cum reliquis prouectus, tametsi periculosum esse intelligebat cum tam magnis nauibus confligere, tamen, propterea quòd videbat omnem eius belli fortunam in eo commeatu supportando consistere, ad eas conuersus citatis remigibus suae nauis proram, in in longae hostium latus magno animo imprimit. Conflictu mutuo ambae naues concutiuntur, & hostes manum ferream in praefecti nauem iaciunt, eamq; retinent. Itaque omni telorũ genere cominus acerrimè vtrinq; pugnatur: sed de superiore loco hostium milites tela in Venetos adigentes, facilè eos vulnerabant, tum pilas piceas igne succẽso in triremem iaciebant: quae res magnum incommodum praefecto attulit, transtris compluribus, & maiore velo igne combustis, vt qui proximi pugnarent milites remigesq; perterrerentur, atq; animos virtutemq; remitterent. Veruntamen & reliquae aderant, vt quaeq; poterat, triremes, & vtranq; nauem hostium virtute magis atque artificio

ficio gubernandi, celeritateq; remorum, quàm viribus & facultate lacessebant, & modò hac, modò illac concitatæ inferebantur. At nauis magna hostiũ pilas ferreas creberrimas tormentis in triremes iaciebat, & si qua ei appropinquasset, saxa & tela insuper è carchesijs iaculabatur. Pugnatum est acriter ab vtrisq; continenter horas fermè quatuor: cùm interea nauigia cõmeatum conuehẽtia vnius triremis præsidio, quæ biremes quatuor fortißimè pugnãdo repulerat, ostium Arni fluminis capiunt, vno tantummodo nauigio amisso, quod tamen sponte ad Triturritam vela cõuerteret. Præfectus id, quod vnum maximè cupiebat, assecutus, vt commeatum in tuto sisteret, nauibus hostium, magno & ipsis detrimento illato, vento adspirante se subtrahentibus, interfectis suæ nauis hominibus permultis, vulneratis centum viginti, ex reliquis nauibus non paucis desideratis, vulneratis parte plurima, hostes discedentes Triturritamq; cõuersos reliquit. Terrestri autem itinere dum reip. milites & Græci equites Pisa mißi reuerterentur, Ceuæ oppidi, quod est supra Sauonem, atq; in Gallorum partibus à regulis indigenis obtinebatur, fines ingreßi, eos percurrere cœperunt. Ea intellecta re oppidani permoti, cum militibus, quos habebant cõplures armis captis ad eos contenderunt: quos illi excipientes vniuersos fuderunt, cõplures occiderunt, captiuos ducentos fecerunt: deinde vlterius progreßi, cohortatiq; inter se, in oppidi suburbia bipartitò irrumpentes, præda & cæde facta duabus ex partibus ignẽ intulerunt. Atq; ea propè omnia tametsi ex Ludouici vsu, & reipub. voluntate maximè tunc quidem cecidissent, tamẽ propterea quòd illis ipsis diebus nuncij crebriores sunt allati, Carolum omnino aut ipsum in Italiam

venturũ, aut magnos exercitus missurum, Senatus decreuit, vt imperator cũ equitibus octingentis ad exercitũ con tenderet, copiæq; reip. omnes ad Padi ripas sese sisterẽt. De lecti etiã centuriones decem, militibus Brixiæ *cõscribendis mille, ad exercitumq; adducẽdis.* Ex Rhetis *quoq; triũ mil lium militũ numerus pusilla pecunia conscriptorũ aduentare dictus est, vt* Brixiæ *solidũ stipendiũ acciperet.* Ea *per populos opinione de* Carolo, *timoreq; crebrescente,* Tristanus Saornianus *è* Fori Iulij *principibus,* Hieronymi *frater, homo reip. amantissimus,* Bernardum Bembum *patrẽ meum* Decemuirûm *magistrũ adit, proponit habere se necessarium sibi hominẽ* Epirotam, *callidum, & ingenio peracri, nihil omnino vt sit, quod ei non mandari rectè possit: huic esse cum propinquo suo, quem* Carolus Gallorum *rex cubiculi ministrum habeat, magnã perq; veterem beneuolentiam: audere illum in* Galliam *proficisci, & vel propinquo persuadere, vt veneno, quod secum allaturus est, regẽ tollat: vel, illo de ea re celato, ipsum per se regem tollere, si* Decemuiri *velint* Epirotæ *illi tantæ rei præmium aliquod statuere: sperare se atq; cõfidere, breui negotium ab eo con fectum iri.* Bembus, *tametsi sciret ea flagitia à magistratib. repelli, more tamen institutoq; maiorũ re cum reliquis* Decemuirûm *magistris cõmunicata, atq; ab ipsis ad collegiũ perlata,* Tristano *ad se vocato, de collegij sententia respondit, eiusmodi contra hostes insidijs ad eam diem nunquam vsam rempub. fuisse, cùm sæpenumero potuerit: neq; nunc velle incipere: magis* Deos *immortales, quàm humanas opes, vereri: porrò vinci ab suamet nequitia illos, qui per scelus alios vincere perq; nefas parant.*

PETRI

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. IIII.

INter Carolum & Hiſpaniæ reges induciæ cõſtituuntur. Legati à Senatu ad pacem inter Hiſpaniæ & Galliæ regem procurandam mittuntur. Hiſpaniæ reges vnius Fortunatarum inſularum regem ad Senatum mittunt. Franciſcus imperator apud Senatum accuſatur. Piſani belli progreſſus. Longæ reip. nauis cum Turcica claſſe pugna. Bernardi Ciconiæ cum Peruca pirata naualis pugna. Petri Cantabri claſsis ab Andrea Lauredano incenditur. Ioanni Coruino ciuitas & ius comitiorum datur. Armenijs domus Venetijs datur. Ludouici Sfortiæ in Lucẽſes inſidiæ. Caroli Galliæ regis obitus. Florentinorum prope Caſtellum clades. Ludouici Sfortiæ conſilia & artes. Quorundam in magiſtratus arrogantia mulctata. Venetorum apud Lunam & Caſsinam clades. Piſæ à Paulo Vitellio oppugnantur. Venetorum in Cluſentinis & ſtagni valle conatus. Thracij regis contra Venetos apparatus & conſilia, eiusq; rei cauſſa. Aloiſius Galliæ rex ſalutatur, ac Venetorum ad eum legatio & munera. Eorundem cum Aloiſio rege fœdus. Eorundem quoq; cum Florentinis in Piſanis rebus compoſitio. Gallorum in Inſubriam irruptio. Mediolanum à Gallis, & Cremona à Venetis capitur. Ludouicus Sfortia Inſubria excedit. Galliæ regis Mediolanum aduentus. Ludouicus Lucenburgius & complures alij ciuitate ac iure comitiorũ donantur. Galliæ rex in Galliam redit.

IIS in Italia rebus adminiſtratis, Caroli & Hiſpaniæ regum legati, qui quidem reges ad ſaltum Pyrenæum exercitibus miſsis bellum inter ſe gerebant, ſex menſium inducias in

Aquitania faciunt: quibus vterque rex inducijs non ab altero modò ipsorum, sed à socijs etiam & fœderatis bello lacessendis abstineat. quamobrẽ Carolus, *vbi id ei nunciatum est,* ad Triultium mittit *imperans, ne quam* Ludouici *rebus induciarum tempore turbam aut molestiam inferat.* Ea *intellecta re* Senatus *suas & ipse copias domum reuocat. ita, qua ex parte, quoque tempore maximi tumultus expectabantur, subitum ocium est allatum.* Eas *ob res* Senatus Dominicum Triuisanum, Antonium Bolduum *ad* Hispaniæ *reges legauit, qui procurarent, vti ex inducijs semestribus diuturna pax fieret.* Quibus *profectis* Antonius, *eloquentia planè singulari, & præstanti vir ingenio, in itinere aduersa valetudine interceptus,* Genuæ *interijt.* Eius *morte audita Senatusconsultum factum est: cùm* Antonius Bolduus Andr.F. *ex equestri ordine nullum laborem pro republica refugiens, legatione ad reges* Hispaniæ *susceptā in itinere mortem obierit, Senatui placere, vt* Gabrieli Bolduo *eius filio primo quoq; tempore in fano* Patauino *sacerdotium attribuatur, quo se fratresq; suos alere cõmodius atq; honestius possit: idq; paulò pòst sacerdotium ab* Alexãdro *Senatu petente* Gabrieli *est attributum.* Miserant *illi quidem reges superioribus mensibus ad Senatum per* Franciscum Capellum *legatum, qui ex* Hispania *domum redierat,* Fortunatarum *insularum vnius regem dono mediusfidius non spernendo: quando ea porrò elementi ora solidi, quæ in* Oceano Atlantico *est circiter decies centena millia passus à continenti meridiem versus, multis ante* Patres *nostros seculis ignorata, eorum indagatione ac diligentia, tota tum demum reperta, & colonis magistratibusq; missis in potestatem redacta, orbi terrarum*

rarum

rarum adiungitur. Eum regem publicè Patauij enutriri Senatus iußit. Eodem ferè tempore Patres certiores facti Frãciscum imperatorem stipendio reipub. non confecto cum rege Carolo agere, vt se in suam militiam recipiat, illum ad vrbem accersitum, vbi morbo, ne venire posset, impediri se respondit, Decemuirûm decreto missum fecerunt. Is auri libras ducẽtas stipendiorum nomine ante tempus acceptorum reip. debebat: salis autem crediti, nequedum soluti, cẽtum. Accidit tamen, vt eo ipso mißionis die in frequenti comitatu Franciscus Venetias appelleret, dictitans se à Ludouico eiusq; genero Galeatio in fraudem ob inuidiam coniectũ, qui literas ab eo cõscriptas finxissent, ad Patresq; misissent, quas ipse nũquam scripserit. eius rei satis magnum argumentum esse, quòd ipse in eorum potestatem venerit. quòd si alia etiam pignora Patres postulent, arces se sui regni, suosq; liberos reip. traditurũ, modò sibi purgandi iure criminis facultas ne intercludatur. neq; tamen vt sententiam Patres mutarent, impetrare potuit: qui ad eum tertio pòst die miserunt, moram in vrbe diutius ne traheret. Is etiam, qûo ab vrbe discessit die, Ioannem fratrem ad Patres misit, quibus se ab eo conueniri non est visum. Post hæc dũ induciarum Aquitanicarum tempus labitur, Hercules ad vrbem venit, Principẽ & Patres salutatum, rogatumq́; vt Ferdinãdum filiũ suum in equitatu reip. vellent esse: quod quidem ei Patres liberaliter concesserunt, equitibus cataphractis alendis centum stipendio adolescenti per Senatũ attributo. Quod autẽ ad Pisanum bellum attinet (vt côdem sæpius reuertamur) is quidem annus & pro parte insequens nihil propè, quod magnopere memoratu dignum esset, habuerunt. Mißi ad Florentinos per Triturritam cõ-

meatus in tam magnis nauibus, vt eas aggredi naues reip. non sint ausæ. Capti ab eorum exercitu milites Veneti centum, & exuti armis. Conscripti ab eisdem equites leuis armaturæ tercentum, qui sagittis contra Græcos vterentur: atq; ij eorum impetus admodum represserunt. Ob id ab Senatu equites ferreis cum fistulis ad exercitum missi, & item Græci submissi: cataphracti quoq; equites conscripti noui, dilapsis veteribus. Qui Pisarum portas custodiebant, ijs addita ab Senatu stipendia, vt studiosiores suo in munere obeundo essent. Missa etiam ad Senatum Ludouici noua legatio, quæ ad cōponendas Pisanorum cū Florentinis cōtrouersias Patres hortaretur: præstare eos Florentinis attribui, quàm bellum diutius alere: omnia in Italia pacis & quietis plena momento temporis futura, si Pisæ restituantur: vt non tam commutata illius tempore aut euentibus cōsilia viderentur: quid enim tum noui? quàm semper illum id vnum spectasse palàm fieret, ne respublica eo municipio potiretur, sed nihil planè vltra: alijs verò de rebus perpauca. Nauis reipublicæ longa ex earum genere quæ ad mercaturam proficiscuntur, more institutoq; maiorum, conuehendis ijs hominibus, qui aut voto suscepto, aut religione permoti Christi Dei filij sepulchrum, quod est Hierosolymis, adire atq; inuisere cupiunt, in Syriam quotannis stato tempore mitti solita, cùm ad Maleam iter faceret, in Turcarum regis classem Arige præfecto incidit. Ea erat nauium onerariarū duarum, triremium item duarū, biremium quinq;, quarum biremes duæ ad nauem reip. præmissæ vela dimittere iusserunt. Mos est nauticus eiusmodi, vt qui plus aut viribus aut dignitate pollent, velint, vt quæ sibi occurrerint naues, velificationem intermittāt, antennasq; demittant,

demittant, cùm honoris sui causa, tum vt, si quid ab illis quærere aut petere velint, poßint: id qui nolunt facere, ius est bello cogere vt faciant: sæpeq; accidit, vt ea de causa pugnæ maximæ existerent, plurimorumq; hominum cædes consequerentur. Aloisius Georgius *(is enim erat nauis* Venetæ *præfectus) classem esse illam piratarum existimans, antennis non dimißis cursum tenuit. quod vbi* Turcæ *conspexerunt, ab vtroq; illum latere suis triremibus cinxerũt, & sagittarum magnam vim in eum mittere cœperunt.* Id *cùm parum proficeret, nauibus suis omnibus illum expugnare contenderunt. eo in certamine* Turcæ *nauis* Venetæ *scalam sæpe conscenderunt, alijsq; à partibus in nauem prosilierunt: sæpe ignem iniecerunt, quo & plutei combusti, & præfecti cœnaculum ipsa in puppi, & maiora vela conflagrauerunt. sed tanta remigum & nautarum, atq; in primis aduenarum virtus fuit, vt cùm ab hora diei sexta vsq; ad quartamdecimam pugnauissent,* Turcæ *receptui canentes, & signo pacificationis sublato, priores pugnam desinerent,* Arigesq; *mißis ad* Aloisium *ex suis, qui salutem illi dicerent, magnumq; atq; fortem virũ eum esse testarẽtur, pacẽ beneuolentiamq; cũ illo inijt.* Mißi *quadraginta milites ex ijs, quos* Ianizaros *appellant, suis in nauibus interfectos esse* Aloisio *significauerunt.* Ex Veneta *interierunt quinq;: vulnerati complures: in his præfectus quatuor vulneribus acceptis neq; tamen perijt.* In Punicis *etiam littoribus* Bernardus Ciconia *eiusdem generis nauibus à rep. præfectus* Perucam *piratam ingenio magis quàm viribus expugnauit.* Erat *vterq; ad* Tuneta *in portu: atq; ille nauem onerariam permagnam habens, vt exirent* Veneti, *expectabat, illos in mari aggressurus: seq; id conaturũ,*

palàm antea præ se tulerat, multa minaciter oblocutus. Interim Dalmatæ, qui sub imperio reip. degebant, nauem non magnam eundem in portum adducunt. Id ut est Ciconiæ nunciatum, nocte ex suis nauibus homines complures in illam imponit, nauesq; aptari ad pugnam imperat. Ea re, tametsi furtim fiebat, tamen à piratis animaduersa, confestim Peruca relictis ob celeritatem anchoris è portu sese eripit. Ciconia illum cum triremibus sequitur: tranquillitateq; oborta, remigum labore assecutus, oppugnansq; cominus, ubi propter nauis altitudinem nihil fermè uirtute militum proficit, & suos facilè uulnerari de superiore loco uidet, fabros in nauis scapham iubet descendere, eosq; suæ puppis pluteis armamentisq; contegens, ex piratæ naui stuppas inter tigna constipatas paulùm sub aqua extrahere imperat. Ea re hostibus imprudentibus effecta, implenteq; se naui aqua, Peruca illi deditur. Nostro autem in mari Andreas Lauredanus, nauis onerariæ bellicæ à Senatu præfectus, magna vir virtute, cùm intellexisset à Crotoniatis Petrũ Cantabrũ piratã recipi, qui reip. hominibus damna intulisset, eumq; ad Oricellã esse cum nauibus longis quatuor, secũ nauiculas, quas appellãt Gripos, quæ cõmeatum aduexerant, duas ducens eò proficiscitur: iactisq; procul anchoris, noctem opperiens in suæ nauis scaphis duabus atq; in Gripis milites trecẽtos imposuit, imperans vt ante lucẽ egreßi, turrim ipso in littore, qua in turri esse Cantabrum intellexerat, circunfunderentur, ne is effugere poßet, eamq; expugnare conarentur. Mißi, quòd iter erat longius, orto iam sole in littus descenderũt. Cantaber vbi naues aduenientes è longinquo uidit, coactis non suis modò, sed eius etiam loci copijs equitatus & peditatus,

quas

quas Antonius Centilius, cuius erat in potestate castellum, ut ei præsidio essent, ad illum statim miserat, in eos impetũ fecit. Veneti cũ sex horas cõtinenter pugnauissent, interfectis compluribus, uulneratis octoginta, Cantabroq́; ipso, omnes in fugã coniecerunt. fugientes loci castellũ recipiens texit. Turri deinde expugnata, quiq́; in ea erant propugnatoribus nouẽ reste suspensis, castellũ capere sunt aggreßi. Biduo in ea oppugnatione consumpto, cùm acerrimè castellum defenderetur, murorũ parte deiecta, uastato agro, tormentis hostiũ abductis, uno suorũ tantummodo amisso, uulneratis perpaucis, piratæ classem incenderunt, ad nauemq́; redierunt. Superiori uerò æstate Ioannes Coruinus, Matthiæ regis Pannoniæ filius, per suũ legatũ Senatui significauit, cupere sese perpetuo amoris & beneuolentiæ uinculo cum rep. coniungi: itaq; petere ut in ciuitatem & ius comitiorum reciperetur. quamobrem maioribus in comitijs ciuitas, & ius comitiorũ ei datum. Armenij quoq;, qui Venetias uenerãt, tabellas testamentarias, Ziani principis tẽpore ab homine Armenio confectas, ædis Marciæ procuratoribus ostenderunt: quibus tabellis domum in urbe demortui pecunia emere procuratores iubebãtur, quã quidẽ domũ Armenij ad urbem uenientes incolerent: eamq; postea domum cũ sacello emptam ad Iuliani fuisse in laternarũ uia, quæ tunc à procuratoribus locetur: itaq; illam ipsam domum sibi restitui ex testamento petierũt. A procuratoribus intellecta eorum postulatione domus est Armenijs restituta, atq; ab ijs incoli cœpta. Ipsi à ciuitate comiter & liberaliter accepti, gens tam longinqua, urbi amico spectaculo fuerunt. Vere autem insequentis anni iam medio, Ludouicus regni ac dominationis ingenio &

tus permißa non fuerit. Senatus ijs de rebus certior factus, reputansq; id, quod erat, Ludouicum nihil sibi amplius à Carolo timentem, propter quod reip. indigeret, spiritus sumpsiße, neq; quicquam præterea in Pisani belli administratione reip. concessurum illum existimans, ad Herculẽ misit, vt equitib. & legato reip. per Mutinæ, Regijq; Lepidi fines iter daret: qui quidem dedit. Ludouicus autem ea re cognita, tum è Gallia certior factus Aloisium ducem Genabensium, qui in Galliæ regnum Carolo successerat, quẽ Galli Ludouicum appellabant, iam ad bellum in sese animum & cogitationem adiecisse, Senatui significauit, nihil se de itinere legato reip. negauisse: illũ potius perperàm ipsius verba interpretatum: suos fines omni tempore Senatus exercitibus patuisse, neq; vnquã occlusos fore. quãobrem Zenus ipse per Ludouici fines, quod iter erat commodius, Pisas venit: cùm tamen equites Pado iam traiecto per Herculis fines antea misisset. Florentini, qui omnino sæpe à Græcis equitibus malè habiti eos peßimè oderant, edictum proposuerunt, ne quis ex eis captiuus duceretur, sed captus interficeretur. Ea intellecta re legatus Venetus edici contrà iußit, idem sui milites facerent, neq; vlli omnino ex hostium numero parcerent, sed omnes peræquè interficerent. statimq; in eorum fines Græcos equites educens, excursione introrsus facta, quoscunq; in agris reperit, interfecit. qua re cognita, Florentini edicto publicè rescisso ad morem belli pristinũ redierunt. pauloq; pòst Butrium magno impetu aggreßi, scalisq; ad murum positis, repulsi sunt à propugnatoribus detrimento paruo accepto. Sed non paruo illis detrimento ea, quæ subsecuta est clades, fuit. Iacobus Sauornianus turmæ equitum reipub.

præfectus, adolescens impiger, cum suis equitibus centum, Græcis quatercentum, in hostium fines Populoniam versus è castris prædabundus proficiscitur: multisq; millibus passuum confectis, ad Castellũ, quo in castello alumen proximis è secturis erutum incredibili dominorum lucro plurimarum nationum vsui conficitur, accedens, oppidanos ad illum repellendum egressos fugat: ædificia, quæ pro portis sunt, incendit: alias in partes incursione facta, atq; in ea biduo consumpto, magna cum pecudum & armentorum præda dum reuertitur, hostes de ea re certiores facti, omnibus copijs ad ea loca, quæ per illum iter facturum putabant, contenderunt. Alia ex parte Zenus legatus ob Iacobi longiorem moram veritus ne hostes intellecta re in itinere illum aggrediantur, cũ reliquo exercitu obuiam Iacobo proficiscitur, præmisso tubicine, qui eum de suo aduentu certiorem faciat. Hostes Iacobum nacti, impetum in eum faciunt. Interim tubicen celeritate vsus, de legati aduentu eum admonet. Ille id intelligens, hostium modò impreßionem lentè sustinere, etiam cedere interdum, deinde pugnam paulisper redintegrare. Id vbi aliquandiu facit, legatus aduenit, hostes pugnantes à tergo repentè aggreditur: tum Iacobus Græciq; clamore sublato acerrimè in eos inuehuntur. quod vbi hostes viderunt, omnes perterriti fugere contenderunt. Interfecti ex ijs plus ducenti: capti ex præfectis, Ranutij Martiani frater, Gallusq; is, qui ob virtutẽ bellator magnus appellabatur, alijq; complures: ex equitibus centum septuaginta, ex militib. quingenti: signa militaria quinq; relata. Ranutius ipse toti exercitui præfectus, equo amisso fugiens, vix ægreq; se in proximũ oppidũ contulit: reliqui aut idem in oppidũ, aut in montes atq;

syluas

syluas fugiētes se abdiderunt. Florētini clade accepta, Paulo Vitellio, qui priore stipendio confecto ad gentiles suos, quibus cum Alexander bellum gerebat, in Romanum agrum se contulerat, imperium totius belli deferunt: Vitellotio eius fratri præfecturam equitum tradunt. ij cum equitibus trecentis in eorum castra perceleriter veniūt. Catherina Forum Liuij & Forum Cornelij obtinens, Ludouici fratris filia notha, mulier vidua, milites quater mille suis in oppidis atq; finibus imperat magna celeritate adhibita. eos, quòd nulla suberat causa cur imperarentur, Ludouici iussu cogi omnes homines existimauerunt, vt illos auxilio Florentinis mitteret. Ludouicus ipse Franciscum Mantuanorum principem, quem resp. missum fecerat, imperatorem suis copijs deligit, sub Maximiliani copiarum nomine. Iis intellectis rebus Senatusconsultum fit, vt equitum præfecti aliquot Rauennam mittantur: vt Vincentius Naldius Fauentinus magna in oppidi finib. autoritate homines montanos cogat reip. pecunia numero ad mille: vt Antonius Ordelafius Foroliuiensis, cuius pater eius oppidi regnum obtinuerat, quemq; ipsum resp. cōplures in vrbe annos enutrierat, Rauennam proficiscatur, bellum Catherinæ, ni quiescat, suorum factione reiq; pub. opibus illaturus: vt Ferdinandus Herculis filius, quē Senatus in suā militiam adlegerat, & Ioannes Ripa equitum præfectus, iter Pisas euestigiò suscipiant: vt Nicolaus Vrsinus, Bernardinusq; Montonius ad Ollij fluminis ripas sese conferant. Post hæc, propterea quòd Ludouici legatus eo Senatuscōsulto intellecto inter Patres dixerat, res, quas vellent, alias cogitarent, vnum modò, Pisas se tueri posse, ne cogitarēt, néve in animum inducerēt: adhibitis fœderatorum legatis

Barbadicus Princeps eis ostendit, quòd bellum resp. in Florentinos Pisis tuendis suscepisset, factum socijs quidem omnibus consentientibus, Ludouico autem magnopere hortante, ac belli æquam partem in sese recipiente. quantas eo bello impensas Senatus fecerit, quantos exercitus eò miserit, aluerit, quot triremes, naues, ignorare prosus neminem. Maximilianum in Italiam adduxisse quidem & reliquos, sed vnius Ludouici causa, vt esset qui illum ab Carolo bellum ei primùm omnium parante, pari autoritate tueretur. eos tamen sumptus omnes vnum propè Senatum sustinuisse, largiterq; Maximiliano suppeditauisse. Annos esse elapsos duos, ex quo bellum initium habuerit: nunc autem, cum eò res perducta sit, vt si, quam Pisarum ciuitati fidem Ludouicus dedit, etiam præstet, illa suam libertatem facilè retineat, cum non modò suas domum copias reduxisse, sed hostes etiam Pisanorum fouere, milite, pecunia, consilio, rebus omnibus: vt qua ipse perfidia volēs lubensque in Pisanos vtitur, velit alios cogere, vt eādem perfidiam vel inuiti exerceant. Is quoniam Senatui animus non est, scire eum cupere, quid sibi his rebus Ludouicus postulet: nam si pacem agere destinat, pacis ei Senatum autorem fore, dum in fide, quam Pisanis dedit, maneat; sin bellum gerere mauult, bellum ei per Senatum non defuturum. earum duarum rerum pacis belliq;, vtra ei magis cordi est, eius eligendæ sese potestatem illi facere. ipsos autem legatos non tam suæ orationis testes habuisse, quàm vt si quid durius Ludouico acciderit, sciant memoriaq; teneant iure id meritoq; accidisse. Ea oratione habita, legatus Ludouici tempus se dixit sumere, dum quid ad illa responderi Ludouicus velit, scire posit; neq; tamen dubitare se iā nunc, quin

auri

auri libras quindecies millies Ludouicus *habeat, quibus* Florentini *tanquam suis eo bello vti poßint. paucisq; post diebus literæ sunt ab* Ludouico *ad* Patres *datæ, mirari se-se, quã ob causam ea* Senatus *mãdata nunciari sibi iußisset, qui quidem non socius modò atq; amicus, sed planè filius reipublicæ semper fuerit. æquißimum sibi videri, quam pecuniam* Pisis *tuendis ciuitas erogarit, eam pecuniam* Sena*tui restitui: itaq; si velint, cum reliquis fœderatis rationem* Patres *ineant, quonam id quidem modo agi commodè cõficiq; poßit, se nihil eius impediturum. Iisdem diebus* De*cemuiri* Petro *&* Hieronymo *&* Aloisio Bragadenis An*dreæ filijs, propterea quod ij* Nicolaum Georgium, *rationibus publicis præfectum, in eius ædibus dum alloquerentur, verbis arrogantioribus interiectis minis fuerant vsi, ius comitiorum & magistratuum adipiscendorum facultatem annos decem interdixerunt: qui quidem ante id tempus nequeant restitui, nisi omnibus collegij sententijs ea lege absoluantur.* Idem *postea in* Vincentio Barbaro *ser uatum, quòd is* Dominico Lamberto *magistratus pacis* Scribæ *maledixerit.* Florentini *æstate ineunte per* Catheri*nam, perq;* Ludouicum, *qui eis pecuniam mutuò dederat, cõfirmati, nouisq; aucti copijs, militum reip. nõ magnum numerum, qui* Lunam, *vt eorum locorum dominis præsidio essent, ab legato missi fuerant, cæde facta in fugã verterunt.* Deinde, *tametsi* Senatus *cũ* Petro Duodo *altero legato* Pisas *profecto equitatũ, qui sagittis vtebatur, eòdem misisset, tamen apud* Caßinam *magna caligine oborta, ita vt conspici non possent, maximã copiarum omniũ partem fuderunt,* Ioanne Gradonico, *qui eis præerat, interfecto, captis compluribus: reliqui,* Sauornianus Tersiasq;, *qui erãt*

Caßinæ, veriti ne interciperentur, tormentis abductis ſeſe Piſas contulerunt, atq; ad muros caſtris poſitis conſtiterũt. Iis intellectis rebus Senatus exercitu reſtaurando Guidum Vbaldum Metaurenſium ducẽ ſuam in militiam adſciuit, cui ſtipẽdium eſſet in equites cataphractos ducentos, leuis armaturæ centum, auri libræ annuæ centum ſeptuaginta. Petrum autem Marcellum legatum declarauit, qui Vrbinũ accurreret, vt Guido Vbaldo præſtò eſſet, militesq́; mille in eius finibus conſcriberet. Tum, quòd Petrus Medices Patribus ſignificauerat, quoniam Vrſini propinqui ſui pacem cum Alexandro feciſſent, ſi ei pecunia in ſtipendium ſubminiſtretur, illos ſe omnes, quocunq; opus eſſet, adducturum: Senatus ea de cauſa Petro Medici pecuniam decreuit, equitesq́; Græcos, qui æſtiua in agro Tauriſano habebant, quiq́; tum è Græcia venerant, in Flaminiam mittẽdos cenſuit, vt alio itinere Piſas contenderent: nam per Ludouici fines vnum modò militem, aut omnino nuncium eò Patres mittere non poterant, quando is & itinera clauſerat, & omnes tabellarios excutiebat atq; intercipiebat, ne Senatus certior illis de rebus fieret. itaque nihil iam noui Piſis afferebatur, compluresq́; dies magna earum rerum ignoratio Senatum tenuit. Emanauit tamen hoc, Florentinos cum Genuenſibus Ludouico procurante fœdus percußiſſe, quo ex fœdere Genuenſes littora Florentinorum ab reipublicæ claßibus tuta reddere tenerentur. Neq; multò pòſt eorum magiſtratus Marco Beatiano, quem antea Senatus Genuam miſerat, aſperioribus verbis denunciauit, ſe nunquam paſſuros, vt in reipublicæ imperium Piſæ redigantur. cui Beatianus reſpondit, minus iniuſtè eos & Ludouicum facturos, ſi ſemel iniurij in remp. fierent, fœderũ

&

& societatis, quam Dijs hominibusq; testibus sanxissent, læsæ atq; violatæ nomine: nunc illos dupliciter peccare atq; delinquere: semel in eo, quòd infidelitate se polluunt: iterum autem propterea, quia rempub. ambitionis insimulant, quæ profectò nunquam Pisas *sui iuris facere concupiuit, sed tantum libertati restituere, quemadmodum se facturam vnà cum ipsis initiò spopondisset.* His igitur atq; alijs *vnius* Ludouici *artibus (nunquam enim quiescebat) cùm suum magnopere* Florentini *exercitum autumni mensibus amplificauissent, reipublicæ autē copiæ multis essent partibus attenuatæ,* Paulo *imperatore* Butrium *aggreßi per deditionem oppidum capiunt: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magistris, ne amplius exercere artem possent, manus dextras præciderunt, suaq; cuiusq; collo appensa eos dimiserunt. quorum pars ad vrbem veniens sese* Patribus *commendauit.* Patres *quoad viuerent, stipendium singulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. illi manibus ferreis fabrefactis se ad artem redituros, & reipublicæ vsui futuros, suasq; iniurias, si* Pisas *remittātur, vindicaturos, fidem* Senatui *fecerunt.* Auxit Patrum *curam exercitus instaurandi* Butrium *captum: itaq;* Baliones, *familiam* Perusinam *magnopere militarem, antiqua neceßitudine cum* Vrsina Romanorum *gente consociatam atq; cōiunctā, equites cataphractos centum quinquaginta pollicentem,* Senatus *conduxit, qui per suos fines &* Senarum *agrum* Pisas *proficiscerentur.* Eo tempore Petrus Medices *cùm se viæ dare vellet, vt in fines* Florentinorum *contenderet, in febrim incidens substitit.* Interim Paulus *omni cum exercitu ad* Pisanum *vicum castra posuit, oppugnandi oppidi causa: quod cùm plures dies tormentis percu-*

sisset, atque ad muros milites adduxisset, sæpe cum clade repulsus, oppidanis acerrimè propugnantibus, tandem oppidum per deditionem capit. Eius *oppugnationis tempore accidit, vt* Veneti *quoq; castellum* Pisanorum, *in hostium potestatem redactum, in quo erant milites ducenti quinquaginta, noctu aggreßi vno impetu expugnauerint. quo successu incitati, paulò pòst ad castellum* Pisano *vico proximum item noctu cùm accesßissent, re per exploratores significata, repulsi à propugnatoribus, tum in reditu ab hostibus intercepti, magnam cladem acceperunt.* Vico *capto & clade accepta Senatus censuit, vti* Perusiæ *milites conscriberentur numero ad duo millia: &, quòd* Se*narum ciuitas per suos fines iter reipublicæ copijs non dabat,* Petrum Medicem Guidumq; Vbaldum *in* Flaminiam *vocauit, vt per* Fauentinorum *fines in hostium agrum irrumperent. ea enim de causa cùm ad eos* Iacobum Veneri*um legatum misisset, ciuitas concilio cōuocato, reip. copias sententijs propè omnibus recipiendas censuerat.* Itaq; e*tiam* Hestori *puero pœnitentia ducto, quòd se per suos malis artibus à rep. distrahi permisisset, pristinum* Senatus *locum gratiæ restituit, cum reliquis stipendij veteris, nouo stipendio tradito.* Hostes *interea* Pisanū *vicum, quē quidē murorum parte magna tormentis nudauerant, restituunt.* Veneti *se in* Pisarum *suburbijs vallo cinxerūt.* Librafactæ *autem in colle, qui è regione oppidi est, castello excitato, claßiarijsq; septuaginta cum tormentis introductis munierunt, quæ tamen eis cura studiumq; haud multum contra* Pauli *artes profuit: nam cùm illi* Librafactæ *copijs omnibus profecto, diesq; complures castellum oppugnanti parum vsui cætera fuissent, cuniculis partem muri sustulit,*

submis-

submißisq; per ruinas militibus, non tamen sine cæde, castello est potitus. Eo capto, Librafictæ iã & ipsum tormẽtis murorum parte nudatũ, tridui spatio ad deliberationẽ sumpto se dedidit. Rebus apud Pisas in aduersum reip. labentibus, & Paulo nihil eorum, quæ ex vsu esse possent, prætermittente, Senatus decreuit, vt Guidus Vbaldus, Petrus Medices, per Fauentinorum fines Maratam Crispinumq; municipia natura magis quàm artificio communita, quæ prima eo latere in hostium sunt finibus, aggrederentur, vt illis expugnatis, aditus in agrum Florẽtinorum eis patêret. Itaq; tormenta ad muros deijciendos Rauennã Patres miserunt, quæ eò supportarentur: Ioannemq; Paulum Gradonicum & in Vbaldi exercitu Quæstorẽ, et Græcis equitibus, quos ei præstò esse iusserant, præfectum legerunt. Iulianus autem Medices Petri frater, cùm Fauentiam prior venisset, Maratã profectus ab oppidanis libẽtißimis recipitur. Laurentij enim recordatione, magni clarißimiq; viri, eorumq; municipio amicißimi, qui ciuitatis principatum multos annos obtinuerat, permoueri sese dixerunt, vt quam beneuolentiã patri, si viueret, se debere sentiebãt, filio præstarent. Maratæ arx summo in colle posita militib. referta sese tenuit. Interim Bartholomæus Liuianus ex Vrsina Romanorũ gente in Medicũ partibus homo paratißimus, Fauentiã & ipse cum equitatus parte præmißus, milites centũ quinquaginta, quos in Ferrariensium finib. Catherina scripserat, atq; ad se venire iusserat, in itinere aggreßus omnes cepit, armisq; exuit. Petrus medio inter Maratã Fauentiamq; spatio, ne cõmeatus interclud: eis posset, Guido Vbaldo relicto suis cum equitib. militibusq; mille, iugum quod Maratæ arci imminet, capit: tormẽtisq; in eo

iugo positis, muros deijcere aggreditur. Iis vallo portæ diruto, legatus qui in arce erat sibi veritus, ac domum clàm recurrens, eius capiendæ occasionem hostibus vtiq; dedisset, si eius fuga cognosci potuisset. Ille verò ad arcem defendendam, quæ maximo momento ipsorum rebus esset, ciuitatem incitans, maioris etiam præsidij celeriter eodem submittendi causam præbuit. qua re effectum est, vt tametsi in ea oppugnatione complures dies exercitus reipublicæ cōsumpsisset, arx tamen capi non potuerit, quoad Ioanne Francisco Seuerinate Gaspareque *eius fratre cum exercitu ab* Ludouico Forum Liuij *missis, vt vnà cum* Florentinorum *coniuncti copijs in* Vbaldum *impetum facerent,* Petrus *&* Iulianus *oppugnationem relinquere coacti sese* Vbaldo *adiunxerunt.* Baliones *tardius profecti* Rauennæ *constiterunt.* Itaq; *cùm in magna consiliorum inopia* Patres *versarentur,* Paulo *modis omnibus* Pisanas *res vrgente, nouo exercitu reip. nihil proficiente,* Franciscus Mantuanus *Senatui se obtulit, si ei pristinum locum gratiæ restituat, illi præstò celeriter futurum, veteremq; suam fidem magno cum reip. vsu tàm dubijs temporibus præstaturum.* Re à Patribus *agitata,* Decemuiri *priore iudicio in* Frăciscum *rescisso, ac lege missionis antiquata,* Senatui *permiserunt, vti de eo, quod sibi è rep. videretur esse, id statueret.* Eo cognito Decemuirûm *decreto,* Franciscus *equites leuis armaturæ septuaginta, quos ad* Catherinam, *miserat, statim reuocauit, &* Rauennæ *iussit esse reip. obtemperaturos: &* Ioannem *fratrem ad vrbem misit actum* Patribus *gratias, tū vt militiæ conditionem à* Senatu *acciperet.* Senatus Francisco *equites cataphractos ducentos quinquaginta,* Ioanni *centum attribuit: qui si numerus in tempore expleri*

pleri

pleri ab illis nō posset, binos equites sagittarios vnius cata phracti loco vterq; eorū conficeret: statuitq; vt ex reliquo equitatu reip. tot ad hos cum præfectis adiungerentur, vt essent omnes octingenti, quos Franciscus secum adduceret. itemq; vt milites ter mille magistratus Taurisani, Viceti*ni*, Veronenses, Brixiani, Bergomates *celeriter conscriberent, qui* Francisco *traderentur, vt* Pisas *vel inuitis ijs, per quorum fines iter esset faciendum, peruenire posset: legatumq; ei* Nicolaum Fuscarenum *declarauit. Senatusconsul to accepto* Franciscus *e uestigiò ad vrbem venit, Principisque pedibus propè aduolutus, tempus dixit sibi exoptatissimum venisse, vt fidem studiumq; in illum suum, atq; amo rem erga remp. quē à puero susceptū constātißimè semper coluisset, improborū eorundemq; inuidorū hominū maledictis offusum & interpellatum, Senatui probaret.* Patres *ei libras auri centū in stipendij partē numerari statim iusserunt, quibus decē dono datæ adiungerentur.* Iis Pisas *rebus celeriter perlatis, ciuitas animos iam propè infractos confirmauit, spemq; cepit, fore vt hostes non diutißimā ex recenti victoria lætitiā essent habituri: seseq; ad omnem op pugnationem sustinendam, dum auxilia instituta adducerentur, comparauit. Neq; tamen ea porrò fama deterreri* Ioannes Bentiuolus *satis potuit, vt per suos vellet fines exercitui reip. Senatu postulante iter dare, quòd diceret, sibi apertißimè* Ludouicū *denunciauisse, si id faceret, exules se* Bononiā *reducturum, atq; illum principatu oppidoq; eiecturum: tanta tamq; atrox in remp. æmulatio, tam auersa à bonis moribus cupiditas eius mentem atq; animū occupa uerat. Sed fuit ea plaga leuior: vel enim vi contendere* Ioannes *noluisset, vel copijs multò maioribus exercituq; fir*

miore per Fauentinos in hostiles iri fines atq; irrumpi potuisset. illa grauis, quòd statim Franciscum à suscepti cura muneris nouis pollicitationibus Ludouicus auertit: misso enim ab Senatu Mantuam legato, cùm ad profectionē suscipiendam admoneretur, quòd reliquæ copiæ iam conuenissent, nolle se dixit proficisci, propterea quòd ab Ludouico meliores ei conditiones proponerentur: quibus quidem conditionibus se addixisset, quoniā Patres, quo se nomine appellarēt, nihildum deliberauissent: itaq; libras auri nonaginta ex centum, quas in vrbe acceperat, Nicolao restituit: decē, quæ essent reliquæ, se dixit reip. militibus adnumerauisse. Conditiones autem erant huiusmodi. Maximilianus bello in Italia gerendo suis illū copijs imperatorem declarauerat: Ludouicus item suis. Florentini præfectum ipsorum loco. equitatus vtriusq; muneris magnus ei numerus ab singulis attributus: itaq; numi etiā eo nomine missi, sed à Ludouico tantùm: Maximilianus enim suam modò vnius autoritatem in commune proponebat, pecuniæ nihil conferebat. Florentini propter belli diuturnitatem, quas afferrent, non habebant. Additum etiam cōditionibus, vt si bellū in reip. finibus geratur, quicquid agri, quicquid oppidorum in regum Mantuanorū ditione aliquādo fuisset, quod nūc Veneti poßideant, id omne Francisco restitueretur. quibus intellectis rebus legatus à Senatu iussus domum redijt. Neq; multò pòst Ioannes Francisci frater se ad vrbē contulit, velleq; reip. stipendiū facere Patribus cōfirmauit. Patres eum missum fecerunt. Verumenimuerò cùm antea de Francisco restituendo Patres agerent, Senatus decreuit, vt is exercitus, qui Marata se receperat, Antoniū Ordelafiū in Fori Liuij regnū induceret expulsa Catherina, quæ Floren-

Florentinis auxilia in remp. miserat. Id cùm propter municipum in fœminam impudicam & crudelẽ odiũ, tum pro Antonij *factione posse ad exitum perduci* Patres *existimauerũt: sed prouisis ad eam oppugnationem ijs rebus, quarum rerum exercitus indigeret, noua occasio* Patribus *oblata,* Senatum *à sententia remouit.* Est *in* Apennino Metaurensium *proximum finibus castellum* Sollianum, *cuius castelli ager ad* Florentinorum *fines pertingit: id castellum* Rambertus Malatesta *obtinebat.* Is *igitur* Rambertus *ad* Petrum Medicem *veniens ei ostendit, posse* Venetos *per fines suos in hostium, qui sibi finitimi essent, agrum atq; vicos penetrare nullo prohibẽte. facillimum esse docet, propterea quòd nemo id cogitet, nemo vereatur, hostes eo ab latere imparatos adoriri, magnũq; ijs terrorem incutere, magnam perniciem inferre, antequã occurri ab eis posit. cupere sese in reipublicæ fidem recipi: non sine reip. vsu futurum demonstrat, si recipiatur.* Medices *explorato ab eo itinere, reliquisq; rebus cognitis ad vrbem celeriter venit,* Patribusq; *rem denunciat.* Patres Rambertũ *in reip. fidem recipiunt, stipe annua quinis auri libris ei cõstituta.* Reuerso *in castra* Medice, *reliquisq; rebus à legato ducibusq; constitutis,* Liuianus, *cui quidem & item* Carolo Vrsino Virginij *filio* Senatus *præfecturam equitum tradiderat, ad eam rem tentandam deligitur.* Is *itaq;* Liuianus *castris, quæ in* Foroliuiensi *erant magno silentio profectus cum equitibus leuis armaturæ ducẽtis quinquaginta, militibus octingentis, per* Cesenæ *agrũ &* Solliani *fines noctu itinere confecto, ante lucẽ ad fanũ* Camaldulense, *quod est in valle angusta magnis montibus circundata, dũ sacerdotes nocturnas preces facerẽt, peruenit: vocatisq; qui portas*

aperirent, esse se reip. Florētinæ milites, qui ad imperatorem mitterentur, patefactis portis fano capto, &, quoniā arcis vicem turri prealta parietibusq; solidis præbebat, præsidio in eo collocato, ac refectis cibo potuq; militibus, Bibienam oppidum eadem vsus celeritate contendit: præmißisq; paucis equitib. Leonis nomen antiqua eorū appellatione clamantibus (ea est enim significatio Florentinæ ciuitatis, quæ voce accipitur, & redditur) magistratum itemq; arcis præfectum ad speciem imperatoris iussu ad se vocatos retinuit, oppidumq; cepit: statimq; ad Marcellū, qui rem ei nunciarent, atque vt ocyßimè cum reliquo exercitu subsequi contenderet, hortarentur, misit. Legatus Carolū Vrsinum & Baliones, qui ad eum aliquando tandem venerāt, auxilio ad Liuianū iußit præcurrere. Ille interim aliud ad castellum profectus, eo capto, Popium venit celebre municipium, & sibi iam exemplo Bibienensiū cauens: quod quidē ad municipium, insidijs cognitis, Florētini milites ducentos cum legato & stipendio miserant: sed eos Liuianus ex itinere cōgressus fudit, interfectis captisq; cōpluribus: parumq; abfuit, quin legatus caperetur, stipendiumq; interciperetur. Popio deinde per imperatorē Paulum militib. sexcentis intromißis confirmato, Carolus Balionesq; adueniunt. Guidus Vbaldus recenso exercitu, in quo erat Hannibal Bentiuolus à Senatu in reip. militiam separatim antea sublectus, itineri se dedit. Liuianus auxilio submisso castella hostium quatuor, quorum in vno erāt milites ducenti, Popio circumfusa vi cepit. Venerat autem Popium cum militibus ducentis, etiam Populoniam obtinens. Guidus Vbaldus eo in itinere tardior, quàm cogitauerat, fuit, propterea quòd milites ad duo millia singillatim

tim fugientes eum reliquerant, Hannibale furtim, vt id facerent, per suos cohortante, sub non dati in tempore stipẽdij querela: eius enim fugæ initium ab ijs qui cum illo venerant, factũ, Legatus postea quærendo reperit: tum illos ipsos, qui aufugerant, propè omnes ex Bononiensibus fuisse cognouit. quinetiam Hannibalis equites clàm se quotidie castris atq; turmis subtrahebant. iamq; Gaspar Seuerinas cum equitibus à Ludouico missus ad ea loca peruenerat, Ranutiusq; vnà cũ illo Martianus: cui, vti Venetis occurreret, Florentini mandauerant. etiam libræ auri centũ Florẽtiã à Ludouico missæ, magno eis vsui ad celeritatem, cuius res magnopere indigebat, adhibendam fuerunt. Liuianus aliud castellum cepit, vulnere in facie accepto, ac diripuit. atque illis ipsis diebus (hyems autem iam aduenerat) milites ter mille, qui Francisco attribui debuerant, Rauennam sunt, vt ad Marcellum contenderent, missi. Dum hæc sic administrantur, Paulus ad Pisas castris positis verberare muros tormẽtis cœpit. Id cùm parum propter murorum firmitudinem processisset, crates in latitudinem quoquo versus pedũ denum, in altitudinẽ senũ, inter se cõiunctas noctu muris admouit, terraq; iniecta milites vti murum suffoderent tecti cratib. imperauit. Pisani aũt cùm in muro consistendi propter tela multitudinemq; hostium potestas esset nulli, fossam intra muros latam atq; altam duxerunt, castellisq; munierũt. Paulus turrim oppidi muro cõiunctã deijcit: ea deiecta per ruinas militib. introire iussis, vbi fossam esse obiectam, & Pisanos in aggere circũiectos hostes operiri, vt in fossa telis atq; ignibus eos conficerent, & magnum irrumpentibus instare periculũ cognouit, receptui cani iussit: paucisq; pòst diebus in hostium captis ab

se castellis præsidio relicto, castra mouit, vt in Clusentinos saltus contra Medices Liuianumq; cōtenderet. Pisanis obsidione liberatis, Græci equites portis emißi castellum Calcem deiecto Pauli præsidio expugnatū diripuerunt. Classis præfectus, qui Pauli obsidionem vnà cum reliquis sustinuerat, cum claßiarijs egressus, eosdem Græcos equites secum ducens castellum ad Pontem stagni ei appositum itineri, quod Triturrita Pisas ducit, magna ipsum opportunitate tormentis concussum ad deditionem compulit, agrūq; Pisanum eo ab latere satis patentem ad sementes faciendas ciuitati colonisq; restituit. Neq; multò pòst ijdem Græci equites, quòd intellexerant in Populoniæ fines Clusentinos homines, vt primùm exercitus reip. ad ea loca venerit, sua, quæ potuerant, armenta compulisse, eò celeriter profecti ingentem inde prædam abduxerunt: deinde Volaterranum percurrentes agrum, præda onusti Pisas redierūt. Paucis autem pòst diebus Tarsias vnà cum Valerio quæstore & præfectis militum equitúmq; Pisis egressus, itinere in fines hostium medio ferè inter Pisas Florentiamq; spatio ad castellum Montopolim noctu confecto oppugnare portas cœpit. Eæ cùm ab oppidanis, qui clamoribus interea exciti vndiq; conuenerant, portæ defenderentur, Tarsias ad aliam castelli partem, quæ quòd ab eo latere nihil timebatur, propugnatoribus vacua tum quidem erat, milites tacitè atq; celeriter misit. horum audacißimi atq; leuißimi murum per hastas subleuati conscenderunt, aliosq; vt conscenderent adiuuerunt. intromißi portas aperuerunt: ita oppidum captum ac direptum est, nuptiarum apparatu, quas erant illo die oppidani celebraturi, prædæ militum atque direptui addito. Vbaldus cùm ad fanum Camaldu-

lense

lense peruenisset, quod quidem fanum eiecto Liuiani præsidio eius regionis homines recuperauerãt, prælio aggressus portas irrumpere non potuit: itaq; discedẽs, Popiumq; versus ducens, Græcos equites, vt præcurrerent, dimisit. Ii milites hostium centum, qui molas frumentarias Popianorum muris propugnaculisq; communitas tormentis circũ dispositis custodiebant, aquula traiecta in fugam verterũt: quorum maior pars tum cæsa, tum capta, tormentaq; incensis ædificijs abducta. Id Populoniam obtinens cùm intellexisset, ne intercluderetur, Popio relicto discessit. Vbaldus Bibienam profectus, tormenta quibus Popianorum muros deijceret, à Senatu missa expectare constituerat: sed ea propter niues, quarum magna vis itinera impeditissima reddiderat, adduci non potuerunt, exceptis leuioribus minoribusq; aliquot, quæ tamen ipsa uix ægreq; sunt perducta. quibus cum nihilo secius Liuianus castellum Orniã obsidens, cui castello milites erant ducenti præsidio, breui spatio cepit. Eo digressus ad castellum Qualianum castra posuit. oppidani casu Orniensium permoti se celeriter dediderunt. itaque duobus captis castellis, cùm pluuiæ continentes omnia itinera illuuie fœdauissent, Bibienã redijt. Tædet me eius belli leuiora consectari: quis enim legat sine fastidio singula, præsertim si ad rerum exitus, vt plerunque fit, tantummodo properet? sed mihi facilè veniam omnes homines daturos puto, cùm scierint illud me assequi hoc scribendi labore vel cum primis cupere, ne cui videar publicè gesta meorum ciuium, quæ nihil habeant dignitatis, silentio dissimulauisse. Hostibus post hæc propter Pauli aduentum ad sese (iam enim is in Clusentinos fines venerat) magnopere confirmatis, in Veneto exercitu

de ducendo bello ducibus diuersa sentientibus, Senatus anni exitu decreuit, vti Vbaldus cum parte copiarũ legatoq; Bibienæ in hybernis se contineret, reliquã Liuianus partẽ ad Auerniam hybernorũ causa deduceret. Is abest vicus à Bibiena septem millia passuum, monti vastæ crepidinis impositus, Francisci in deorũ numerum recepti mora atq; domicilio celeber. Tum vt militum duo millia in Vbaldi finibus cõscriberentur, ad eosq; mitterẽtur præsidij hybernorum causa, eodem Senatusconsulto constitutũ. Liuiano etiã, propterea quòd equites illius octoginta Orniæ præsidio relicti, ab hostibus furtim introductis capti fuerãt, pecunia est amißis sarciendis à Senatu dono tradita. Antè aũt quàm hæc ita fierent, Rãberti suasu, qui diceret, si sibi exercitus tribuatur, in vallem stagni sibi finitimam, quæ in Florentinis esset finibus, se irrupturum, qua capta priorẽ ad exercitum & commeatus supportari, & copiæ submitti facilè possent, Brixia equites cum præfectis septem euocatos, Ioannẽ Paulũ Gradonicũ cum Græcis, quibus præerat, equitibus, & militum non magno numero Rauenna profectum Senatus eò mittendos censuit. Ii Ramberto duce vsi, vallemq; ingreßi, castellis hostium quatuor captis, aliud castellum, quod erat cõmunitius, tormentis leuiorib. adorti, Cyriacũ præfectum virum fortẽ cum militib. sexcẽtis egressum prælio commißo in fugam coniecerunt: Turcam centurionem cum plerisq; occiderunt, castellumq; ceperunt. neq; tamen is exercitus propter niues impeditaq; itinera vlli præterea vsui reip. fuit. Gradonicus etiam aduersa valetudine implicitus, Rauennam, deinde ad vrbem redijt. Anno autem insequente vix inito, ex Caroli Vrsini turma complures, qui nondum in hyberna conuenerant,

sunt cum castello, in quo erant, capti: captus etiam à Gaspare Seuerinate legati scriba Marcelli, ex Vbaldi finibus cum stipendio & commeatu & militibus quatercentis, Græcis equitibus ducentis, Bibienam sese conferens, in quos quidē Seuerinas difficillimis in iugis de superiore loco impetum fecerat. pauloq; pòst cùm equites circiter quingenti à Guido Vbaldo in eius fines propter commeatus inopiam missi per angusta loca iter facerent, ab hostib. intercepti sunt, magnumq; ijs detrimentum est illatum: quorum plerique fuga capta itinerum ignoratione in manus hostium montanorum hominum peruenerunt. His acceptis incommodis, Senatus Nicolaum Vrsinum paulò antè ab se stipendio auctum, cum equitibus grauioris leuiorisq; armaturæ octingentis, militibus quot contrahi & conscribi possent, commeatu, quem oporteat, Bibienam submittendum Vbaldi auxilio censuit. Eius quoq; vxor per sese, & milites, & commeatus, quod ad virum mitteret, comparauit: sed is valetudine tentatus, ab hostium ducibus cùm peteret, vti medico ad se venienti iter darent, nihil impetrauit: sibi autem paulò pòst morbo ingrauescente domum redire cupienti, vti darent, impetrauit; itaque cum paucis suum in regnū discessit. Ad hæc intentis Patribus cùm nuncijs esset crebrioribus allatum, à Turcarum rege classem non spernendam comparari, Andream Zancanium Senatus legatū ad illum misit. Causa mittendi fuit, quòd timebat Baiasetem in remp. cùm alijs de causis incensum, tū propterea, quòd Nicolaus Pisaurus classis legatus nauem onerariam vnius ex regis ducibus, quos illi Bassas appellant, æstatis exitu in Aegæo depresserat, bellum facere Venetis instituisse. Ea res aūt sic acciderat. Dum Nicolaus apud Mitylenem cum

triremibus quatuor iter faceret, & naui onerariæ bellicæ militibus, tormentis, reliquisq; rebus omnibus ad pugnandum idoneis instructissimæ amphorarum plus trecentarum, quam vento ferri viderat, appropinquauisset, vela vti demitterent, vectores admonuit: illi autem non vela modò non demiserunt, sed pilis ferreis tormentis emissis Nicolai præfectum interfecerunt, ac nonnullos ex remigibus sagittis celeriter coniectis vulnerauerunt. Quod vbi fieri Nicolaus vidit, arma suis vti caperēt imperauit, atq; in nauem Thraciam impetu facto eam expugnauit, cumq; omnibus qui pugnæ superfuerant, depressit. Erant ea in naui homines circiter ducenti quinquaginta. Zancanius Byzātium profectus magnum quidem classis apparatum institutum cognouit: à rege tamen nullo ostenso in remp. offensi animi indicio, liberaliter est acceptus: qui cùm reip. bellum facere decreuisset, existimans, propterea quòd ei Ludouicus receperat eodem se tempore bellū in Gallia reip. illaturum, hostibus eo ab latere occupatis omnia sibi prosperè atq; feliciter cessura: vt magis Venetos eluderet, fœdus quidem cum Zancanio renouauit: sed fœderis capita latinis scripta literis ei dedit. Est autem in eorum legibus, vt quæ suæ linguæ verbis scripta non sunt, ea præstari nō sit necesse. Erat tum Byzantij ciuis Venetus Andreas Grittus, qui mercaturam ea in vrbe annos complures exercuerat, vir faciei elegantia, corporisq; pulchritudinē, qua inter Venetos suæ tempestatis omnes facilè præstitit, & morū grauitate ac liberalitate insignis, eiq; nationi apprimè atq; magnopere charus: is, quòd omnia Turcarum instituta callebat, ea de re Zancanium admonuit, atq; vti fœdus verbis Thracijs conscriptum haberet, pro sua in patriam

charitate illum est hortatus. Zancanius re tentata cùm nihil efficere potuisset, cum fœdere latinis scripto literis ad vrbē rediit: néue nihil videretur attulisse, id quod ab Gritto ea de re Byzantij accepisset, Senatui reticuit. Ea fœderis tam propensa renouatio magis etiam suspensos Patres fecerat, existimantes ea de causa regem sua cōsilia suppressisse, vt eos imparatos atq; inermes adoriretur, præsertim quòd missæ ad illum à Ludouico atq; à Florentinis cōmuni consensu paulò antè legationes multa de Senatu questæ, nihil eorum quæ regis animum in remp. inflammare possent, prætermiserunt. quamobrem vt muniti ad omnes casus essent, Senatus decreuit, vti naues onerariæ bellicæ tres confestim ornarētur, eisq; præfectus legeretur: lectusq; est Aloisius Marcellus. vti nauis itē oneraria magna, quā Sebastianus Marcellus ædificari sibi curauerat, quæq; Naupliæ tunc erat, armaretur, classiq; adiūgeretur. literæq; ad illum publicè datæ, vt Corcyram nauem adduceret: vti naues triremes triginta deducerentur: quarum nauium decē ipsa in vrbe, totidem Cretæ, sex in Apulia, quatuor in Illyrico magistratus Veneti remigibus atq; militibus instruerent. pauloq; pòst decem aliæ triginta prioribus sunt additæ. At Aloisio rege Galliæ salutato, vti suprà dictum est, legati sunt ad eum ire iussi tres gratulatum reip. nomine, Antonius Lauredanus, Nicolaus Michaeles, Hieronymus Georgius. Missæ deinde ab Senatu regi dono Aquilæ in Creta insula captæ sexaginta ex earum genere, quibus in aucupio reges vti consueuerunt: pellesq; preciosiores canis ab summo inter nigrum colorem conspersæ ducentæ: quæ ille munera vultu lætissimo accepit, egitq; de ijs Senatui gratias apud legatos, cùm iam ij ad illum peruenissent.

Sed ea dum ad regem legatio proficiscitur, Triultius, qui se Astæ cum equitatu continuerat, Bretolam oppidum, quod quidem illis in finibus fratres duo in Ludouici fidem recepti obtinebant, capit. Ludouicus per legatum ea de re certiores Patres facit, eorumq́; consilium exquirit. Patres molesta sibi esse, quæ intellexissent, legato responderunt: belli enim initium sese factum videre: ita se tamẽ Ludouici prudentia confidere, vt omnib. illum incommodis remedia celeriter adhibiturum esse non dubitent, præsertim cùm is tantum auri possideat, quantum paulò antè ipsemet eius legatus exploratum sibi esse palàm dixerit. Legatis in Galliam profectis rex proposuit, constitutũ sibi esse, Mediolani regnũ, quod sibi hæreditatis iure deberetur, ab Ludouico armis repetere: cupere se remp. eius belli sociã habere. Illi se ad Senatum ea de re literas daturos dixerunt, eiq́;, quod Senatus iussisset, renunciaturos. Illis aũt in literis legati adscripserunt, nihil prætermittere Ludouicũ, per amicos regios orando, pollicendo vt se in Regis amicitiã insinuet. Patres, re complures dies agitata, tametsi viderent periculosum esse, maximum amplissimumq́; regem sibi finitimũ in Italiam adducere, tamen, propterea quòd existimabant neminẽ eo in regno perniciosiorem ciuitati esse posse, quã is erat, quẽ permultos annos habuissent, verebanturq́;, si regis amicitiam repudiarent, ne se is cũ Ludouico in reip. fraudẽ coniungeret, quã certè societatẽ Ludouicus nullis nõ conditionib. esset accepturus, vt bellũ ab se auerteret, ei rei animũ adhibuerunt. Accedebat ad superiores causas etiam hæc, quòd nonnihil recentes ac perpetuæ in remp. Ludouici cõtumeliæ, oblata propè à Dijs immortalibus facultate, ciuiũ animos ad vindictã expetendam incitabant:

tabant:nonnullos etiam augēdi fines imperij cupiditas, iusto præsertim nomine, iustisq; de causis, incendebat, vt sunt plerunq; homines natura proclinati ad ea propaganda, quæ poßident. Itaq; literas ad legatos dant, regi respondēt, se cum eo consensuros bellumq; vnà suscepturos atq; gesturos, modò is ipsorum ditionem tutam ab se atq; tectā velit esse. Ab legatis quærenti regi quanam id ratione vellent fieri, quódue septum suis finibus aut propugnaculum exposcerent: responderunt, si Cremonam oppidum reip. concesserit, cum eo agro finibusq; omnibus, qui citra flumen Abduam sint, tutos se fore existimaturos. Tum rex cōcessurum quidem se reip. eam, quam peterent ex Ludouici regno partem, recepit, quam quidem sciret esse totius regni optimam atq; opulentißimam, Leco tantummodo excepto, de quo nulli cedere statuerat (id est municipium in læua Abduæ è lacu Lario exeūtis ripa) petere autem & ipsum pro ijs rebus ab rep. equites in id bellum septies mille, milites sex mille, auri libras mille: ea sibi datum iri si polliceantur, fœdus se cum illis initurum. His intellectis regis postulatis, Senatus legatis rescripsit, sese milites equitesq;, quot rex peteret, in commune adducturos: de pecunia nihil polliceri, cùm propterea quot tribus gerendis nullo interiecto temporis spatio bellis, Gallico, Neapolitano, Pisano, grandem pecuniam insumpsissent: tum etiam, quia in id, quod ab Turcarum rege in præsentia bellum reipub. immineat, cuius rei fama certioribus in dies nuncijs iam percrebuerat, ad classem comparandam satis superq; ciuitas muneris atq; oneris esset habitura. Ea rex cùm intellexisset, in alium diem re dilata, vbi ea dies venit, pecuniam nisi dent, nihil se de fœdere acturum legatis renunciauit. Id

ea causa fiebat, quod erant nōnulli magna apud illum Galli homines autoritate, qui Ludouici rebus fauebant: ij cùm palàm regi obsistere, ne bellum susciperet, non auderent, existimarent autem Venetos ad conditionem dandæ regi pecuniæ non descensuros, in eo illum vt perseueraret, hortabantur. nonnulli etiam fingi à Venetis, quæ de rege Thracio nunciarent, dictitabāt. Accidit autem, vt dum hæc agitarentur, literæ ab Rhodiorum magistratu ad regem venerint, quibus rex literis certior fiebat, Baiasctem classem ingentē comparare, atq; in ea cura dies atq; noctes versari, vt quàm posset maximam atq; ornatissimam educeret. Ea intellecta re, Venetos nihil fingere vbi rex vidit, quinto Idus Februarias, nulla pecuniæ mentione habita, ijs quibus dictum est legibus fœdus in omne tempus cum legatis percussit, ea etiam conditione fœderi addita, vt si quo rex tempore in Italiam transmitteret, bello Thracio respublica impediretur, ad auxilia ei danda non teneretur. Icto fœdere (quæ quidem res longè alium, ac sibi Ludouicus persuaserat, exitum habuit: is enim, cùm quis ei suorum, consensuros cum rege Galliæ Venetos contra illum diceret, bono es animo, inquiebat, nunquam id Senatus decernet: nūquam Veneti maiorem se finitimum sibi regem statuent esse: itaq; in rempublicā quos volo, meo iure ludos facio, eius rei non dubius, quin me malit, ita vt sum, quàm regem Galliæ mei regni dominum) sed fœdere concelebrato, Ludouicus sæpe se ipse accusans, qui nunquam id in animū potuerit inducere, Ioannem Franciscum Seuerinatem, quem quidem ad Pisanum bellum bona cum manu Florentinorum auxilio mittere statuerat, retinuit, vt Astam versus, vbi iam Triultium copias cogere nunciabatur, cum

eum mitteret. Interea cùm in fines Guidi Vbaldi Nicolaus cum eo, de quo diximus, exercitu peruenisset, neque propter niues difficiliáque itinera, & hostium copias per angustos montium aditus & castella distributas, Bibienam se conferre satis posse tutò consideret, ciuitas verò defessa stipendijs in id bellum erogandis surdior ad tributi vocem fieret, præsertim bello Gallico alia stipendia, alias impensas iam deposcente, Senatus Herculi, qui se reipublicæ pridem obtulerat, si vellet, se cum Florentinis curaturum vti bellum pro eius dignitate componeretur, aures tandē præbuit, permisitq; vt ea de re agere inciperet. Ille primò per Bernardum Bembum patrem meum, qui Ferrariæ Prodominum gerebat, deinde per suos, quos in vrbe interpretes habebat ad fallendum idoneos, sat bonis conditionibus propositis effecit, vt Senatus, existimans illum de conditionibus fidem seruaturum, cùm de ijs ipsis Patres omnibus in sermonibus & collocutionibus antea egissent, atq; inter ipsos Herculemq; conuenisset, potestatem ei faceret de Pisano bello, quemadmodū sibi videretur, ita statuendi: potestate ab vtrisq; tradita, Hercules cum legatione, quam ad illum Florentini miserant, cumq; Ludouici legato ad vrbē venit. In urbe cùm esset, tres ei ciues Principis collegium attribuit, qui ei præstò essent, si quid petere aut cognoscere vellet, atq; ad principē & Patres renunciarent. Scripto autem nequedū prolato iudicio, cùm se id Hercules Patribus ostensurum esse diceret, vt si quid aboleri aut cōmutari vellent, liceret, Georgius Cornelius vnus ex principis collegio Patres est hortatus, afferri ad se libellos iuberēt, atq; inspicerent, ne ignaris ipsis, quid Hercules iudicaturus esset, sententia proferretur. Sed is reprehēsus à Patribus, qui di-

cerent, nō esse æquum datā Herculi per Senatum potestatē suo arbitrio iudicandi, nunc ei leges velle imponere, si quæ scripserit, sint improbaturi: si non sint, frustrà inspici quæ non improbentur, conticuit. Hercules *octauo Iduum Aprilium sententiam tulit, vt remißis atq; abolitis, quæcunq; in* Florentinos *quoquo modo* Pisani *detrimenta eo bello intulissent,* Pisæ *restituerentur: vt reipublicæ auri libras mille octingentas* Florentini *darent annis duodecim expensi nomine: multis capitibus ad speciem* Pisanæ *rei meliorem in statum atq; formam redigendæ, quàm antea fuisset, summæ iudicij additis: re autem, quibus ad pristinam seruitutis conditionem temporis momento* Pisæ *reciderent.* Biduo pòst Hercules *salutatis* Patribus*, quorum nemo fuit qui eum non inuitus & non mœsto vultu viderit, vel etiam qui non de eo magnopere sit quæstus, quòd fidem, quam reipublicæ dederat, tantis præsertim de rebus, non præstitisset, mediam per vrbem verbis contumacibus & sibilis à populo explosus domum redijt.* Senatus Ferdinandum Herculis *filium, &* Bentiuolos *patrem & filium, &* Baliones*, &* Marcum Martinengium*, quo exercitus præfecto* Pisis *vsus fuerat, qui se omnes neq; strenuè nec amanter eo bello gesserant, missos fecit.* Guidum Vbaldum *autem, qui valetudine curata se ad* Patres *salutādos inuisendosq; cōtulerat, præfectura equitū & stipendio confirmato, in reipub. fidem recepit.* Aloisius Galliæ *rex* Ludouico *bellum illaturus, ex eorum numero quos consulere singulis de rebus consueuerat, legatos* Venetos *facit. Ipse legationem ad Senatum mittit. Ad bellum equites eius generis mille octingentos, quorum singuli more Gallico equites sex secum ducerent, militum numerum decem millium habere instituit.* Triultium

suis

ſuis exercitibus in Italia præficit. Veneti vbi fœdus cum rege ictum ab legatis intellexerũt, ſacris in æde Marci ſolẽni ritu factis, foro apparatiſsimo verba fœderis in vulgus pronunciari pro ſuggeſtu voluerunt. Ea dum pronunciantur, ventus coortus vexillum reip. templi turriculis implicuit, vexilli parte abſciſſa. quod quidẽ poſtea ex euentu rerũ portenti loco ciuitas habuit. Neq; *multò pòſt alios regi legatos, Marcũ Georgium, Benedictũ Triuiſanũ Senatus creauit, prioribusq; legatis, cùm hi ad regem perueniſſent, domũ eſt reditionis facultas data.* Rex *æſtate media ſuis in Italiã copijs præmiſsis Lugdunũ venit. Senatus exercitu et ipſe cõparato Melchionẽ Triuiſanum, Marcum Antoniũ Maurocenũ legatos exercitui ſublegit: alteroq; ex duobus legatis, quos ad vrbem rex miſerat, vnà cum illis ad exercitum reip. profecturo, vt rebus omnib. intereſſet, equus pro eius dignitate, ac tentorium, & ferrea corporis tegumẽta cum auri libris duabus à Senatu dono data. Inter hæc* Federicus *rex* Neapolis *per ſuum legatũ Patribus ſignificauit, velle ſe equites quingentos Ludouici auxilio Mediolanum mittere.* Patres, *neq; eum illa copia Ludouico profuturũ, cui longè firmioribus præſidijs ad ſalutẽ opus eſſet, et ſe ea re inferri ſibi magnã ab eo iniuriã exiſtimaturos, regi reſcribere legatũ iuſſerunt, nullos planè homines maiora in* Ludouicum *beneficia contuliſſe, quàm ſeſe: pro quibus ille rebus gratiã vna tantum ſemper re, maleficijs cõtumelijsq; alia ſuper aliam inferendis, reip. retuliſſet: veniſſe nunc tẽpus, vt* Deos *iratos habeat, quos fefellit: rectius itaq; cũ facturũ, ſi quieuerit.* Pauloq; *pòſt* Ludouicus *ipſe, ſi quo pacto* Venetos *placare poſſet, legatum ad Senatum miſit: ſed is cũ* Ferrariam *appuliſſet,* Hercules *ſuum hominem ad* Pa

tres cum Ludouici literis præmisit, petijtq́;, vt Ludouici legato ad eos veniendi potestatem facerent. In Ludouici literis erat scriptum, se magnis vtilibusq́; de rebus suo & Ascanij fratris sui nomine legatũ ad eos mittere: petere à Patribus vt reciperetur, mãdataq́; cognoscerent. Patres lectis literis Herculis internuncio iusserunt, vti statim vrbe discederet: literasq́; Ludouici legato regio legendas dederunt. Triultius, ad quẽ quidem regis duces duo cum equitũ duobus millibus accesserãt, in Ludouici regnum ingressus municipia complura partim vi cepit, partim ad deditionem compulit. deinde Nouium profectus, quod quidem municipiũ Ludouicus septingentis militibus intromißis communierat, tormentis ad murum positis, atq; vno tempore omniũ ferreis emißis pilis oppidanos ita terruit, vt confestim se dederent. Milites in arcem recepti, cùm se ad propugnationẽ comparauissent, tantus Gallorũ militum impetus, et tormentorũ reliquarumq́; rerum apparatus tam subitus tamq́; ardens fuit, vt quinq; horarum spatio arcem expugnauerint, militesq́; Ludouici omnes ad vnum interfecerint. quo successu ad celeritatem vsus Triultius, paucis diebus castella numero ad viginti, Tortonamq́; oppidũ cepit. Iis rebus cognitis Antonius Maria Seuerinas Galeatij frater, qui vnà cum illo Alexandriæ præerat, Ticinum redijt, neq; ab oppidanis est receptus. Veneti, vbi à Triultio belli factum initium cognouerunt, exercitu equitum amplius septem millium, militum supra sex millium coacto, Ollioq́; flumine cũ parte copiarũ Liuiano duce transmisso, plura vno die municipia per deditionem capiunt: reliquaq́; ad priorem exercitus partem adiuncta parte, paruo temporis spacio vicis castellisq́;, quæ cis Abduam flumen sunt, com-

pluribus

pluribus in deditionem acceptis, Carauagium, quod est e-ius regionis caput, exercitum adducunt. Legati ad oppida nos miserunt. si se oppugnari sinerent, sese oppidum militibus tradituros. Ea nocte nullum est responsum datum: itaq; stationibus militum ad oppidi fossas dispositis, legati vt muros manè quaterent se comparabant. Oppidani autem prima luce ad legatos venerunt, seq; eis dediderunt, arce excepta, quæ ab ipsis non tenebatur: eamq; fuisse causam dixerũt, cur nõ se legatis euestigiò permisissent, quòd arcẽ quoq; tradere voluissent. Legatis introductis, mißisq; ad præfectũ arcis internũcijs, postridie eius diei arx deditur, legato Ludouici, qui in ea erat, militibusq; omnibus abeundi potestate impetrata oppidanis postulantibus. Hoc idem Sonzinates fecerunt. Sed arcis præfectus misso ad legatos internuncio, velle se arcem tradere sponte pollicitus, quæ quidem esset tormentis rebusq; omnibus munitißima, ab eis petijt, vt sibi ciuitatem & ius comitiorum darẽt. Illi e-ius rei facultatem se habere nullam cùm respondissent, literasq; ad Senatum daturos recepissent: præfectus se in eo reip. fidei velle permittere, ne qua propterea mora legatis fieret, liberaliter pronuncians, arcem tradidit. Iisdem diebus parte altera Triultio Alexandriam tormentis oppugnante, Galeatius Ludouici gener, qui oppidũ defendebat, cum paucis clàm noctu egressus Mediolanũ abijt: qua intellecta re, cõplures eius equites militesq; oppido aufugerũt: itaq; mane Galli ab oppidanis introducti, oppidũ capiũt. Placentini mißis ad Triultiũ legatis, itemq; Ticinenses, sese ei dediderunt. Mediolani autẽ militibus Ludouici stipẽdium postulantibus, cùm eos Ludouicus ad quæstorẽ suum reiecisset, ille verò morã interponere ei rei vellet, milites

multis illatis vulneribus quæstorē propè interfecerūt. Ciuitatis principes veriti ne diriperētur, simul quòd nouis reb. studebāt, agrestes homines in oppidū adduxerūt, seseq; muniérūt. Quibus rebus cognitis, Ludouicus incitatæ plebis studia, omniumq; planè hominum in se inuidiam pertimescens, liberos & concubinā (nam vxor mortem obierat) et Ascanium Cardinalem fratrem, Federicumq; Seuerinatem item Cardinalem Galeatij fratrem oppido eductos Comū misit. Oppidani vbi Ludouicum suis rebus diffidere ipsum intellexerunt, concilio ciuitatis coacto quatuor ex principibus legerunt, qui rebus omnibus præessent: ij ad Ludouicum profecti, velle se oppidum regi tradere dixerunt: eius autem rei causam ipsum dedisse, qui liberos & familiā emiserit. Ludouicus intellecta ciuitatis voluntate, stipendio equitibus leuis armaturæ quingētis dato, postridie eius diei vnà cum Galeatio genero equitibusq; paulò plus ducentis discessit, cū reliqui stipe accepta eius imperio se subtraxissent: arcēq; artificio atq; immani mole murorū omnibusq; idoneis ad obsidionem sustinendam rebus, tum militū duobus millibus apprimè cōmunitam, Bernardino Curtio vni ex suis maximè intimis, cui supra cæteros cōfidebat, quēq; ipse à paruulo aluerat, cōmendauit, cùm eam tradere Ascanio fratri custodiendā, qui se illi obtulerat, noluisset. Triultius quatriduo pòst à Mediolanēsibus magna hominū gratulatione in oppidum receptus est: reliqua oppida, quæ superērāt, ei se confestim dediderunt. Venetis Cremonæ appropinquantib. ciuitas legatos obuiam misit, qui tēpus ad deditionem peterent. quo tempore missis ad Triultium interpretibus, vbi se principes ciuitatis in ea regni parte, quæ ad remp. ex fœdere spectabat, esse intellexerunt, omni

cum

cum Senatu & sacerdotibus atq; pontifice ad portas progreßi, legatos vnà cum ducibus accersitos sub tentoriolo sacro in oppidum introduxerunt: postulantesq; vt tributis à Ludouico vel impositis nouis, vel adauctis acerbißimè veteribus, ciuitatem leuarent, impetrauerunt. Erat in oppido arx perquam munita, difficilisq; captu, si qua alia: eam Petrus Antonius Battalio à Ludouico acceptam custodiebat. *Legati postridie eius diei, qui arcem reip. nomine ab illo peterẽt, miserunt. à præfecto interpretibus vltrò citroq́ue mißis, cùm ei libras auri ducentas quinquaginta legati partim dedissent, partim se daturos recepissent, ciuitatem & ius comitiorum ipsi patriq; eius posterisq; eorum vnà cum domo vrbana & fundo et villa in agro* Veronensi *Senatus permissu donauissent, arce sunt potiti.* Eodemq; ferè *die* Triultius *auri libris item ducenties quinquagies* Curtio *numeratis, concessaq́;* Ludouici & Galeatij *supellectile sanè regia, quæ in ea erat,* Mediolani *arcem, de qua diximus, tenuit.* Ita is, *cui fides ab sese data rata atq; sancta nunquã fuisset, neminem habuit suorum, qui ei fidem, quam dederat, cùm id facere nullo negocio posset, tam duro eius tempore pauculos modò dies præstaret.* Cremona *in reip. potestatem redacta, magistratus, qui ius dicerent* Dominicus Triuisanus, Nicolaus Fuscarenus *eò mißi: oratoresq́; adlecti duo ad priores alios, qui adhuc in vrbe præstolabantur,* Nicolaus Michaeles, Benedictus Iustinianus: Mediolanúmque *vnà omnes ire iußi ibi regem excepturi, eiq; reip. nomine nouo de regno gratulaturi. quos quidẽ postea rex,* Mediolanum *cũ venisset, nam tum quidẽ esse in* Alpib. *dicebatur, perhonorificè tractauit, apud seq; habuit.* Eorũ tres, *quorũ in numero erat* Antonius Lauredanus, *q ex* Gallia

cum rege venerat, suo functi munere domum redierunt. Petierat ab legatis reip. qui in Gallia transalpina fœdus cum rege percusserant, Ludouicus Lucẽburgius regis propinquus, vt cùm ad vrbem rediissent, sibi à Patribus ciuitatem & ius comitiorum impetrarent: itaq; eius postulatis intellectis, ciuitas vtrunq; munus Ludouico est elargita. Eadem liberalitas in Hannibalem Anguſciolum, qui arcem Sonzinatium reip. legatis tradiderat & Marsilium eius fratrem collata: annuusq; insuper prouentus vtriq; dono additus. Victor quoq; Martinengius Brixianus, vnus ex principibus ciuitatis, Ioannesq; Maria eius frater, ob eorum egregia in remp. officia, ciuitatem & ius comitiorum paucis pòst diebus sunt adepti. Ludouicus in Rhetos profectus, vt exercitũ cogeret ad Gallos repellẽdos (id enim fama vulgauerat) Heluetiis Lepõtiisq; tentatis nihil efficere, quod ex vsu esset, potuit. rex adhibitis legatis, qui Mediolani erant, omnibus, velle se Federico regi bellũ inferre pronunciauit, vt regnũ Neapolitanum, quòd paulò antea Caroli fuisset, suam in potestatem redigeret. Cui statim Hispaniæ regum legatus, Ego verò, inquit, bellum tibi à meis regibus denuncio, si id aggredi statueris: non enim sunt passuri, vt propinquum suum regno quis eiiciat. Rex de eo se cogitaturum respondit. Deinde duos cum menses Mediolani fuisset, Genuensium ciuitatem certis cõditionibus in fidem recepisset, Triultium, cui etiam Vigeuenum in Ticinensi agro oppidum regiis ædibus atq; ad venationes opportunum dono dederat, vnà cum altero ex suis ducibus noui regni rebus omnibus præfecisset, in vlteriorem Galliam rediit.

PETRI

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. V.

COruorum ac vulturum in Apulia prodigiosa pugna. Turcæ ac Venetorum ad bellum apparatus. Venetæ classis cum Turcica pugna. Naupactus à Turcis capitur. Antonio Grimano classis imperium abrogatur. Cæsaris Borgiæ in Flaminia bella. Ludouici Sfortiæ Mediolanum reditus. Ludouicus & Ascanius capiuntur. Turcici belli progressus. Altera Venetæ cum Turcica classium pugna. Methone à Turcis expugnatur. Pylon à Turcis capitur. Corone item & Aegina à Turcis capiuntur. Turcæ se Byzantium recipiunt. Aegina à Venetis recuperatur. Venetæ classis res aduersus Turcas feliciter gestæ. Samothracia à Venetis capitur. Caroli Cõtareni supplicium. Hispaniæ reges classem Venetis auxilio mittunt. Pylos à Venetis recipitur. Cephalenes oppugnatur & capitur. Consaluo ius comitiorum datur. Præmia eorum qui pro rep. mortẽ oppetierant propinquis data. Venetorum cum Vladislao Pannoniæ rege fœdus. Auxilia ab Alexandro Põtifice Venetis contra Turcas data, & sacræ pecuniæ summa. Alexiani se Venetis dedunt. Baptistæ Zeni Cardinalis obitus. Pylos iterum à Thracio rege capitur. Megara à Venetis deletur. Venetorum & Turcarum varia fortuna. Augustini Barbadici ducis obitus. Dyrrhachium à Turcis capitur.

DVM *hæc in Gallia citeriore geruntur, ad Baiasetis nouos motus, qui exercitum & classem magno studio comparabat, Antonio Grimano præfecto classis declarato, vti profectionem maturaret,* Patres *iusserunt.* Is *antequam conscẽderet, propterea quòd ab ci-*

uibus tot superiorum defeßis continentium bellorum mu-neribus lentè ac morosè tributa exigebantur, libras auri octoginta in remigum stipendia reip. mutuò dedit: alteras octoginta secum se laturum est pollicitus, quibus Corcyræ reliquisq; in locis ad classem constituendam vteretur. Cōstat illis diebus in Apulia coruos vulturesq; tanta ex aere vi tantisq; agminibus inter se conflixisse, vt carri duodecim eorum cadaueribus explerentur. Corcyrenses cùm viderent in magnis parandæ claßis difficultatibus propter temporis angustias remp. versari, quòd Baiasetis claßis vela iam facere dicebatur, polliciti sunt, si eis frumentum & tormenta subministrentur, sese gripos sexaginta suis hominibus suaq; pecunia ornaturos, quibus Antonius eo bello vti posset. quod quidem Corcyrensium auxilium opportunè oblatum Senatus libentißimè accipiens, numū aureum in singulos eorum qui conscenderent, ad ea quæ petierant Corcyrenses, etiā addidit. Iamq; ab Hiadertinorum magistratu literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerunt, Turcas equites ad duo millia incursiones in eorum fines fecisse, magnumq; agrestium hominum numerum abegisse, neq; postea discessisse, sed ibidem consedisse. quæ res omnem dubitationē expulit, quò esset classe rex irrupturus, cùm in fines reip. terrestres copias induxisset. nam eum nonnulli Rhodijs bellum esse illaturum etiam nunc arbitrabantur. Lecti itaq; legati duo, Franciscus Ciconia, qui in Aetolia & Achaia reip. oppidis præesset: Andreas Lauredanus, qui Corcyræ: tum Andreas Zancanius item legatus cum præsidio in Carnos missus, cùm Patres eo etiam ab latere Turcas impetum facturos comperissent. latum etiā, vt biremes cōplures ornarentur, quæ maris Adriani præsidio

sidio essent contra biremes Turcarum, quas Eloi *fluminis ostio* Aulonem *deductas Senatus intellexerat: eisq; biremibus* Augustinus Maripetrus *præfectus datus cum trireme vna, quã ipse conscenderet. Ob eas res atq; bellum, quod quidem fore omnium, quæ ciuitas cum* Turcis *vnquam gessisset, maximum & formidolosissimum videbatur, aucta per Senatum vrbis vectigalia sunt parte ex tertia, vini, panis, carnis portorijs tantummodo exceptis: atq; vti magistratus omnes vrbani prouincialesq; mediam stipendiorũ partem vnius anni reip. remitterent, lex lata: cautũ tamen, ne quadraginta viralia iudicia ea lege tenerentur. lecti etiam viri, qui censum ciuibus omnibus pro cuiusq; opibus decernerent, ea conditione, vt is quem decreuissent, reip. à quoq; ciue census donaretur, si auri semunciam non excederet: supra id mutuò erogaretur: neq; tamen auri libras tres vllius ciuis census posset excedere. Simul, quòd illis ipsis diebus terrestres etiam equitatus & peditatus copias ex* Gallorum *regis fœdere Senatus contra* Ludouicum *cogere, atq; in* Galliam *mittere tenebatur, pecuniaq; erat vno tempore in classem atq; in exercitum separatim subministranda, lex est lata, vt quæ ciuitates sub reip. imperio in continenti essent, ijs literæ darẽtur, vellent pro suo in rẽp. studio tam difficili eius tempore subsidij nomine pecuniã publicè ad vrbem mittere, sua cuiq; ciuitati dicta & constituta summa,* Patauinis *auri libris centũ,* Vicetinis *octoginta,* Veronensibus *totidem,* Brixianis *centũ viginti,* Bergomatibus *quinquagintaquinq;,* Taurisanis *quinquaginta,* Cremensibus *viginti, cæterisq; item infra hæc: quæ quidem ciuitates vt in rebus tam vrgentib. lubentes atq; alacriter suam quæq; partem in ærarium contulerunt.* Alexã

der etiam Pont. Max. omnium prouentuum, quibus sacerdotes in imperio reip. fruerentur, partem plus tertiam in id bellum Senatui concessit, Cardinalium sacerdotijs excepts. Iis administratis rebus, æstatis parte iã præterita Baiasetis classis nauium omnis generis circiter ducentarum septuaginta, quo in numero erãt triremes septuaginta, biremes quadraginta, naues duæ onerariæ immani magnitudine, freto egressa, Eubœãq; insulam præteruecta, ad reip. in Achaiæ littora se cõuertit: & exercitus maximis instructus copijs, cui præerat rex ipse, terrestri itinere eòdem proficiscitur: cùm rex, antequam Thessalonica discederet, ciues Venetos, qui Byzantij cõmorabantur, in vincula cõijci mandauisset: in quibus erat Andreas Grittus, de quo supra dictũ est. Is, quòd ad magistratum, qui erat Naupacti, charitate patriæ iuuenilem animum stimulante literas notis cõscriptas omnibus de rebus deq; regijs consilijs dederat, duriore conditione quã reliqui omnes in custodia fuit: parumq; abfuit, quin interficeretur. Antonius magna diligentia omnibus ex reip. maritimis municipijs atq; insulis classe celeriter coacta pulcherrimeq; instructa, quæ quidem erat triremiũ quadraginta sex, longarum nauium ex ijs quæ ad mercaturam proficiscuntur, decem septem, nauium onerariarum numero ad quadraginta, biremium & reliquarum item quadraginta, Methone ex anchoris, quid Turcæ facerent, circumspiciebat: pauloq; pòst è portu apud Acritam egressos appropinquare eos intelligens ad Sphagiam insulam, quæ contra Methonem est, vela cũ omnibus nauibus facit. Venetias cùm esset nunciatũ, classẽ Thraciam ad ea reip. littora processisse, quibus in littoribus & portubus esset Veneta, neq; esse dubium quin sint congres-

congreſſuræ, ſupplicatio eſt à Senatu decreta: tum in ſacra rum virginum & ſacerdotium collegia farinæ triticeæ ſextaria trecenta dono data: atq; auri libræ quinque remigi bus ſenectute aut valetudine affectis, qui aliquando ſtipendia in claßibus reip. feciſſent, per vrbem diſtributæ. Antonius, conſtituto qua ex parte hoſtes, quotq; cum triremibus quiſq; legatorum aggrederetur, quemq; locum præfecti nauium onerariarum maiorumq; longarum caperent: quot naues poſt reliquas, vt ſubſidio laborantibus eſſent, ſe continerent: media ipſe in acie, quatuor circum ſe triremes ducens, prouectuſq; paululum in mare, cùm naues Thraciæ non longè ab eo iter facerent, poſſetq; illas ſecundo vento aggredi, prælium tamẽ diſtulit. At Aloiſius Marcellus nauium onerariarum præfectus, vt ei erat imperatum, pauliſper ſe ad claſſem hoſtium conuertit: qua re animaduerſa, illi ſtatim alia inſulæ parte ſe in portum, qui Lõgus appellatur, receperunt. Conſtat autem illis diebus ita eos reip. claßis nomen perhorruiſſe, vt multi ſe ſuis cum nauibus littori applicuerint, quo facilius, ſi claſſes congrederentur, terra fugam caperent. Antonius Methonem rediit: idq; cũ bis terq; poſtea paucorum dierum ſpatio accidiſſet, vt & Turcæ portu egreßi conſpecta claſſe Veneta in eundem portum redierint, aut in proximum ſe intulerint: & Antonius, eductis nauibus vt confligeret, viſis hoſtibus, cũ ei viſum nõ fuiſſet congredi, eos redire aut progredi ſine impedimento permiſerit: Turcæ audentiores facti, quòd exiſtimarent Antoniũ metu perculſum ea facere, pridie Idus Sextiles ſe, vt iter facerent, explicabãt. Erãt autem non lõgè à Methone, littori, quàm mari aperto, propiores. Antonius claſſe educta, quod ſuperioribus fecerat

diebus, vt quemadmodum ab initio cõmuni legatorum & præfectorum omniũ consilio constituerat, in eos impetum faceret, se cõparabat. Atq; eo ipso tempore Andreas Lauredanus *Corcyræ magistratus aduenit, gripos vndecim, et naues onerarias quatuor, in quibus erant milites plus mille, secum afferens. Is ad Antonium rectà profectus, venisse se ad remp. auxilio iuuandam proponit: petit, vt quid se facere velit, imperet. Erat in Andrea magnus animus, magna virtus, plurima belli & rerum maritimarum experiẽtia: itaq; illo viso vniuersa classis clarum lætitiæ signũ dedit, salutatusq; est plausu vocibusq; militarib. mirãdum in modum. Id an ægrè tulerit Antonius, venisse hominẽ, qui, si quid rectè sit administratum, fauore vulgi atq; beneuolentia eius rei omnem sibi laudem præripiat, explorati nihil habeo: multi quidem certè crediderunt, & testatũ reliquerũt. Sed illi nauem onerariam ex duabus magnis reip. nauibus, quas habebat, vti conscenderet, eiq; imperaret, permisit. Andreas cymba ad nauẽ statim vectus (neq; enim tẽporis exiguitas longiorẽ moram dabat) in eam sese intulit. Altera in naui magna reip. erat Albanus Armerius præfectus. Is, vbi est imperatũ vt in hostes impetus fieret, quòd sciebat de concilij sententia datum sibi negociũ ab Antonio, vt nauem Thraciam alterutrã ex duabus, de quibus suprà dictum est, adoriretur, ad eam ex illis, quæ quidẽ erat vastior, contendit. Lauredanus sua cum naui ad nauem hostium alteram approperat. Sed ea fuga cõparata, in mare sinistrorsum se proripuit. Tum Lauredanus suam & ipse nauẽ in maiorem hostium nauẽ conuertit: quã cùm essent ambo consecuti, iniectis manibus ferreis eam religant. Erant in naue Thracia milites mille, qui se cominus acriter*

forti-

fortiterq; defendebant. Id dum fit, ignis in nauem hostium iactus puppim succēdit: qui extingui cùm non posset, neq; nostris nauibus explicandi se ab illa facultas daretur, vento latus naues Venetas comprehendit: ita tres earum classium maximæ instructißimæq; naues cõflagrauerunt. Sed fuit quidē eorũ, qui in naui Thracia erant, longè casus atq; sors melior, propterea quòd Turcæ reliqui, vbi suã coml u ri nauem viderunt, biremes nauiculasq; aliquot eò celeriter miserũt: eæ biremes atq; nauiculæ, qui se in mare proiecerãt milites, quod necesse erat fieri, eis auxilio fuerunt, omnesq; sustulerunt. Nostri homines, quibus in tempore subsidium adesse non potuit, cæsi ab ijs, qui suis venerant auxilio, omnes interierunt, præter paucos ex vtraq; naui, quos Thomas Duodus, qui in oneraria erat, suæ nauis scapha sublatos conseruauit: præterq; Albanum, quē Turcæ inter suos è mari captũ sustulerunt. Processerat eodem impetu atq; ardore animi vnà cũ Albano cumq; Lauredano nauis alia oneraria non ita magna, vt naues Thracias adoriretur: sed ea pilis ferreis ab hostiũ nauibus pugnæ initio coniectis depressa, suis cum militibus interijt. Vnus Vincētius Polanus triremem, cui præerat (erat aũt ex ijs, quæ ad mercaturã instituuntur) in classem Thraciam magno animo intulit. Is paruo temporis spatio circunscriptus ab hostium longis nauibus omnis generis compluribusq;, cùm se fortißimè horas duas defendißet, nauesq; hostium nonnullas tormentis perforauisset, ipsos audacter in eius sæpe nauem conscendentes interfecisset, aliquot ex suis amisisset, vulnerata parte plurima, coorto fortè vento, velisq; factis sese hostibus eripuit. Ex reliquis reip. nauibus nulla cominus congressa, pilis tantum è longinquo emißis, omnes in

mare dexteram ad partem classe hostium relicta abierunt: ex quibus Aloisius Marcellus in nauem hostium onerariā incidens, iniecta manu ferrea eam secum abduxit, longeq́; ab reliquis nauibus captam atq; direptam incendit. Ibi Antonius animo turbatus, ob eos euentus quos tristes conspexerat, nihil prӕterea tentare ausus, se recepit. Classis Thracia eodem ipso in loco se continuit. Veneti ad Prodonum insulam iactis anchoris constiterunt, cùm tamen naues onerariӕ complures maioresq́; triremes propè omnes biduū ferè, antequam eò conuenirent, consumpsissent. Albanus postea Byzantium productus, dum ei rex vitam se concessurum dixisset, si Mahumetum Turcarum deum deinceps coleret, negans id vnquam se facturum, in duas sectus partes magna constantiq́; voluntate mortem obijt. Petierat ab Aloisio Galliӕ rege iam à primo Baiasetis apparatu Rhodiorum magistratus classem, qua se tueri posset: propterea quòd eam ad insulam atq; oppidum suas esse copias, suamq́; classem Baiasetem illaturum multorum vocibus & nuncijs afferebatur. Rex ne sui regni initio parum diligens ad reip. Christianӕ partes muniendas atq; tuendas videretur, classem nauiū duarum & viginti in Gallia prouincia coactā ad Rhodios miserat: ea classis vti cum classe reip. se coniungeret, quòd Rhodijs nauium nihil opus esset, Senatus ab Rege libentissimo impetrauerat: qui etiam omnes suas opes, seq́; ipsum per literas perq́; legatos in id bellum reip. obtulisset. Itaq; dum Antonius eo loci est, nūciatur ei classem Gallicam Zacynthi esse: qua intellecta re, ipse tota cum classe Zacynthum profectus cum illa se coniunxit: ad quam quidem Rhodij & ipsi naues onerarias tres adiunxerant. Classis interim Thracia inferius aliquāto ad

to ad eum locum, qui Tornesium appellatur, se receperat. Antonius Galliq; eam aggredi communi consilio decreuerunt: itaq; cùm omnes, vt videbantur, alacriter ad eam Zacyntho contendissent, animaduersum est Turcas classem ad littus accommodauisse, sic, vt ferè terram puppibus tangeret, proras nauiũ in mare conuertisse. Ea re cognita Antonius nauiculas onerarias sex minus ad bellũ idoneas, hominibus, tormentis, cæterisq; rebus ablatis, vlua sicca implendas curauit, puluere ad comprehendendum ignem idoneo interiecto, quas incensas classi Thraciæ obijceret. Is dies ea in re consumitur. Postero die manè ijs cum nauibus triremes magnæ sexdecim Antonij iussu vbi se in hostes promouerunt, illi statim classis partem contra eas miserũt: quibus visis, Venetæ triremes sese continent: Turcæ progressi nauiculas sex eas, quæ remulco longarum nauium processerant, ab ijs relictas qui attraxerant, capiunt. Veneti ea re commoti, in illos se concitant, atq; vsq; ad classem insecuti, aliquot eorum nauigia deprimũt, triremesq; tres & biremem vnam cum hominibus capiunt. Biduo autem pòst, cùm omnino aggredi classem Thraciã Antonius Galliq; statuissent, atq; ad eam tã proximè accessissent, vt tormentorum pilæ in hostes mitterentur, nescio quo fato paululum commorati redierunt: id quod à Gallis damnatum fuit. Demum eo triduo hostibus vela facientibus, vt sinum, qui proximus erat, caperent, Antonius classem explicuit, eosq; consecutus cùm aggredi suo vento posset, eodem iniquo fato, vt tunc quidem creditum fuit, se continuit: aliquot tamen naues longas hostiũ audacter progressas, quæ paulò vlterius ex Venetis processerant naues, facto in eas impetu, ceperunt. Quòd si reliquis eadem vis animo

fuisset, hostes deleri facilè potuissent: omnibus enim illis diebus quibus parte aliqua prælium commissum est, cùm plures naues Thracias militibus rebusq; omnibus instructas Veneti ceperint, nulla tamen ex eorum nauibus cum hominibus est capta. Quinetiam illud accidit: extrema erat nauis vna oneraria Gallorum eo in reditu, vt sæpe fit, multò reliquis tardior: itemq; ex Venetis altera: in eas præfectus classis Thraciæ magnam suarum nauium partē conuertit, vt plus triremes ac biremes triginta nauem Gallicā circunsisterēt, Venetam plùs viginti: quæ tamē duæ cùm acriter diuq; oppugnarentur, præter pilas tormentorum quas hostes eiaculauerant, sagittarum vi tanta in eas coniecta, vt mali, antennæ, plutei, latera earum deniq; signorum modo sagittis constipatis fixa essent, complures hostium biremes & triremes depresserunt, vt reliquæ magno accepto detrimento eas reliquerint. Galli post hæc cùm sibi nulla in re defuisse viderentur, cognoscerentq; fortunam omnibus nostrorum conatibus aduersari, Antonio relicto abierunt. hostium classis Naupactum se contulit: eòdemq; antea rex cum magno exercitu erat profectus. Is cùm oppidum terra mariq; vno tempore cinxisset, nullo à nostris auxilio allato, oppidani coacti deditionem faciunt. Hæc ad vrbem allata, ciuium animos, qui longè alium rerum exitum expectabant, magno dolore affecerunt: cumq; vulgò legati, reliquiq; qui separatim aut nauibus onerarijs imperauerant, aut longis præfuerant, hominū sermonibus carperentur, Antonius ante alios, totius populi, quemadmodum imperatoribus qui res minus feliciter tentauerint, plerunq; solet accidere, maledictis lacerabatur, quòd is tantā, tamq; sperātam atq; à dijs immortalibus oblatam ac planè

traditam

traditam augendi imperij facultatem, suis è manibus dimisisse videretur, si eam hostium classem Antonius iusto prælio superauisset, prout eum facere potuisse existimabant, omnem Peloponnesum Græciæq; oram Eubœamq; insulã sub reip. imperiũ redigere illum nullo negocio potuisse: nunc cùm omnia secus, quàm sperauerant, euenisse intelligerẽt, ac Lauredani & Armerij interitus memoriæ hæreret infixus, omnes magno odio in eum ferebantur, acerbiusq; accusabant. His atq; talibus causis Patres moti, legẽ in Decemuirûm collegio tulerũt, vt Antonio præfectus classis sublegeretur, qui statim cõscenderet: ipsi imperium abrogaretur. et quoniã Thomas Zenus, qui magni animi, magnæque virtutis esse vir ab omni planè ciuitate existimabatur, fisco pecuniam debebat, fisci autẽ debitoribus antiqua lege magistratus mandari nullus poterat: vti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne esset, quo minus ei nauiũ præfectura quælibet attribui per Senatum possit, in lege Decemuirûm est additum. Itaq; & Malchioni Triuisano, qui legatus bello Gallico Cremonã illis diebus per deditionem ceperat, maioribus comitijs classis est imperiũ delatũ, et à Senatu præfectura longarum nauium maiorũ decemseptẽ Zeno tradita magna cum potestate: lectiq; à Principis collegio earũ nauiũ præfecti tresdecim veterũ præfectorũ loco: qui omnes statim profecti sunt cum militibus triginta quilibet. Latum etiã de veteribus, vt ob malè gestam remp. ad vrbẽ redirent custodiæq; traderentur. datũq; Triumuiris ex aduocatis reip. negociũ, vt eos in iudicia deducerẽt, quibus à iudicijs, qua meriti essent, pœna cõdemnarentur. Idemq; postea de Antonio constitutũ. Lectus etiã per Senatũ, qui Corcyræ magistratus esset, Lucas Quirinus cũ militibus mille

oppidi præsidio. Is & Zenus sine mora sunt profecti. pauloq; post Malchio Cremona à Senatu accersitus, vexillo reipublicæ accepto conscendit, cùm ei libras auri ducentas quinquaginta quibus in classem vteretur, Patres ex ærario dedissent. Zancanius mense Quintili in Carnos profectus, vt ab hostium impetu, quos eò Patres venturos intellexerant, reip. fines tueretur, ratione hominum, qui ferre arma poterant, earum regionum habita, quorum fuit numerus circiter centum viginti millium, Græcis equitibus, & leuis grauiorisq; armaturæ Italis quamplurimis peditibúsque coactis, munitissimo in castello apud Sontium flumen, quod Gradiscæ appellatur, paulò ante nostrã ætatem publicè exædificatum, multos est dies cõmoratus, dum ad eũ ex Gallico exercitu auxilia conuenissent. Turcæ interea equites septẽ millia magno ac difficili itinere confecto per Iapidum & Liburnorum fines Sontio traiecto, non longè à Gradiscis castris positis se continuerunt, eò consilio, vt si Zancanius castello exiret, prælium committerent. Eorũ dux vbi Zancaniũ extra munitiones non audere egredi animaduertit, duo millia equitũ prædatum mittit, iubet quoquò versus incursiones faciant, celeriterq; vti redeant, monet. Equites planitiem nacti magnã atq; apertã, agrestes homines inopinantes, quòd se ab illis tutos opposito reip. exercitu fore credebãt, capiunt, vi eos diripiunt, incendũt, qui se defendere parãt, interficiunt: in quibus fuerunt agrestes ducenti, qui Vicetia missi, vt ad Zancanium contenderent, in eos ex itinere inciderunt. Ea re à proximis audita, vsq; eò fugere omnibus ex partibus contenderunt, vt cùm duorum fluminum obiectu Plauis Silisq; hostes impedirentur, quorum alterum nullo tempore vado transiri potest,

alterum

alterum ita sæpe augetur, vt magnum etiam detrimentum vicinitatibus inferat, ad vrbis tamen æstuaria pleriq; nullo loco commorati peruenerint: neq; Taurisanorum modò, sed Patauinorum etiam magna multitudo timore se in oppida receperit. A Foroiuliensium magistratu autem Græci equites, Italiq;, qui sagittis vtebantur, ex oppido emißi tre centi, vt si quà poßent, hostibus nocerent, partem nacti cẽtum corũ occiderunt. quòd si Zancanius cum suis, quorum erat magnus numerus, in hostes impetum audacter fecißet, honestiorem res exitum habere potuißet: sed is pedem por ta egredi adoriendi hostes causa nemini omnino homini ex suo exercitu permisit. Turcæ qui excurrerãt, præda facta cùm ad ducẽ redire vellent, atq; ad Tillauenti fluminis ripas, quòd ea nocte creuerat, peruenißent, quò latum flumẽ traijcere facilius poßent, superioris ætatis quos habebant captiuos, in ripa fluminis ad duo millia interfecerunt: reliquos traduxerunt, & præda onusti vnà cum duce, quà venerant, abierunt. Zancanius imperij malè gesti accusatus, cùm in Senatu à magistratib. defenderetur, ijq; legem tulißent, qua lege Zancanio imperium prorogabatur, Franciscus Bolanus Quadraginta virum rerum capitaliũ magister legẽ tulit, vt is ad vrbẽ e uestigiò rediret, carceriq; se dederet: eamq; legẽ Senatus freques damnata altera comprobauit: qua ex re Bolanus magnopere laudatus, paulò pòst, quo die ciues sexaginta suffragijs comitialibus deliguntur, qui annũ in Senatu sint (vsu autẽ semper fit, vt omnes ciuitatis principes, et natu maiores, ad id muneris deligantur) ipse nõ vnus modò ex eo numero fuit, quod tamẽ ipsum ei ætati atq; ordini magnum & inusitatũ videri poterat, sed pluribus etiam suffragijs, quàm cæteri complures, cum ma-

m 4

gistratum est adeptus: quod propè incredibile ante illum diem fuisset, tantam eo tempore imperator legati præfectiq́;, ob ignauiæ opinionem, ciuitatis in se inuidiam excitauerãt: amorem autẽ & beneuolentiam conciliauerat fortitudo. Nam & Antonius Lauredanus Andreæ Lauredani frater, & Aloisius Armerius, Albani frater Armerij, magistratũ sale procurando omnibus suffragijs sunt adepti: quem omnino per sese dignitatis & ciuitatis gradũ decennio pòst vterq; posse assequi ne sperauisset quidem. Et Iacobo Polano, Vincentij Polani, eius de quo sermonem habuimus, patri, magno consensu locus datus est inter sexaginta ciues, qui quotannis Senatui adijci solent. Itaq; Zancanius ad vrbem rediens, custodiæq; traditus, à Senatu condemnatus est, vt Patauij annos quatuor exularet. Neq; ei profuit, quòd Antonij & reliquorũ, qui remp. malè gessisse dicebãtur, necessarij & propinqui ei fauerẽt, vt vel omnino absolueretur, vel leuissimè comdemnaretur, quo Patres huius exemplo iudicij placabiliores in sese fierent: quæ eos opinio fefellit. Naupacto Antonius amisso, nauibus lõgis maioribus et onerarijs compluribus abeundi facultatem concessit. Ea res molestissima fuit Patribus, qui nuncio de Naupacti deditione accepto, per literas Antonio mandauerãt, ne classem diminueret: visumq́; est multis id Antonium nõ satis bono consilio fecisse. Ipse deinde Cephallenem insulã aggressus, vbi nihil se proficere cognouit, Corcyrã reliqua cum classe se recepit: ibi acceptis de Senatusconsulto imperioq́; abrogato literis, classe, pecunia, rationibusq́; publicis legatis traditis ad vrbẽ redijt: cui præstò fuit Dominicus filius, vir Philosophiæ studijs clarus, è Cardinaliũ super collegio, Roma veniens, vt si quid posset apud ciuitatem,

tem, sua pietate atq; officio ordinisq; amplißimi autoritate, patrem sublevaret. Neq; *multò pòst tamen maioribus comitijs, causa in vinculis dicta, quòd Senatus lenitatem Triumuiri, qui eum accusabant, veriti, rem ad multitudinẽ & iudicium totius nobilitatis deduxerant, exilio in* Illyrici *maris insulas* Apsorum & Crepsam *damnatus exulatum abijt.* Nicolaus Michaeles *vnus ex* Triumuiris *magno fauore ciuitatis eius locum ad ædis* Marciæ *procreationẽ suffectus tenuit.* His *rebus ciuitate domi forisq; occupata, quoniam* Alexander *à Senatu atq; ab rege* Galliæ *impetrauerat, vti eorum voluntate aliquot in* Flaminia *oppida, quæ Romani iuris essent,* Cæsari Borgiæ *eius filio obtinenda cederéntur:* Cæsar *sua cum manu, cumq; ijs, quas ab rege altero cũ duce* Mediolani *acceperat copijs, in* Flaminiam *est profectus.* Erat *is antea, vt superioribus libris dictum est, in* Cardinalium *collegio: sed magistratu repudiato, vxorem in* Gallia *duxerat. ac primùm quidem* Forum Cornelij & Forũ Liuij *oppida ipsa, castris ad muros positis tormẽtisque adductis, acri oppugnatione ad deditionẽ compulit.* Arces *verò eorum oppidorũ, quòd erant munitißimæ, varios euentus habuerũt: altera enim complures dies obsessa, conditionibus acceptis* Cæsari *anni exitu deditur.* Foroliuiensium *arcem autem, in qua erat* Catherina *ipsa, diu ac magnis oppugnatã viribus, paulò pòst* Cæsar *muro tormẽtis deiecto militibus irrumpentibus multa cum suorũ cæde tandem cepit:* Catherina *captiua facta.* Interea, *vt suos & eorum fines* Senatus, *quos è* Flaminia *in fidẽ recepisset, ab* Alexandro, *atq; ab* Cæsare *tantũ exercitũ habente, si quid aggredi & conari vellẽt, tueretur, tria militum millia, duo equitum,* Liuiano *duce,* Rauennam *misit, quos per oppida*

distribueret: simul legati duo, Franciscus Capellus, Christophorus Maurus, alter Ariminum alter Fauentiam profecti, qui eis oppidis reip. nomine præessent. Arce Foroliuiensium capta, Cæsar cùm Pisaurũ vellet Patribus permittentibus exercitum adducere, propter nouos Mediolani motus destitit: nam Patres, cùm ad vrbem Ioannes princeps Pisaurensium de Cæsaris in se voluntate certior factus venisset, oppidumq; vellet reip. tradere, modò ipsi aliquid in reip. finib. oppiduli aut castelli Senatus daret, quo se alere & sustinere posset, cõsulto Senatu responderunt, nolle se ei præsidio esse, qui reip. obesse voluisset. Id autem propterea Patres commemorauerant, quòd Ludouici legatos ad Turcarum regem contra remp. missos, Ioannem hospicio accepisse, nauibus, rebus omnibus iuuisse, regisq; item ad Ludouicum legatum naue Pisauri egressum domi suæ habuisse, clamq; ad illum misisse, tũ ipsum singulis de rebus, quæ in vrbe agerentur, literas ad Regem dedisse, antea cognouerant. Sed Mediolani motus fuerant eiusmodi. Ludouicus copijs non maximis in Rhetis comparatis, eorum factione, quos Galli irritauerant, quiq; res nouas moliebantur, magnopere adiutus, in fines se regni contulerat insequẽte anno inito. Eius aduentu Triultius duxq; regius ex duob. alter vehementer permoti atq; perturbati, quòd ciuitatis defectionem timebant, copias regias, quæ cum Cæsare aberant, reuocauerunt, atq; ad se celeriter reuerti iusserũt: itaq; Cæsar multò maiore sui exercitus parte ablata, de Pisauro expugnando cogitationem in aliud tempus omisit, Romamq; se cõtulit. Ludouico ad recuperanda, quæ amiserat, cũ exercitu reuertẽte, Senatus decreuit, vt milites equitesq; reip. omnes in agrũ Cremonensem euestigiò cõtenderent:

rent:

rent: vt Heluetiorum militum tria millia celeriter accerserentur: legatiq; ad bellum Petrus Marcellus, Christophorus Maurus lecti. Ipse interea Ludouicus Como per suos sine vi atq; celeriter recepto (Galli enim, qui in eo erant veriti ne ab oppidanis atq; ab hostibus intercluderentur, municipio relicto discesserant) Ascanium fratrem cum parte copiarum Mediolanum præmisit: quo appropinquante, ciues armis captis Triultium & Gallos eiecerunt, eiq; portas aperuerunt: biduoq; post ipse cum reliquo exercitu adueniens in vrbem est receptus. His intellectis rebus Decemuiri legem tulerunt, vti ciuis probata virtute Cremonam mitteretur, qui arci oppidi præesset: missusq; est ipsorum suffragio lectus Nicolaus Priolus decemuiralis. Missi etiã alij quatuor egregij nominis, qui totidem oppidorũ in Cremonæ Abduæq; fluminis finibus arces custodirent. Mediolani Ludouicus paucos commoratus dies, dum à ciuibus humili subdolaq; oratione pecuniam corrogaret, Ticinum proficiscitur: neq; vllo in loco magnopere impeditus, Gallos, qui se quotidie in vlteriorem regni partem recipiebãt, insequens, postremò Nouariam, quam Triultius præsidijs firmauerat, aggreditur: & quòd erat à muralibus tormentis imparatior, crebris assultibus premere oppidum insistit. Simul ad illum Sequani equites sexcẽti auxilio à Maximiliano missi adueniunt: ijs ad summouendos hostes vsus, et modò per insidias detrimento accepto, modò fusis hostibus illato, abductis demum à Triultio præsidijs, quòd diffidere oppidanis cœperat, neq; iam commeatus interclusis suppetebat, Nouariã se dedentem recipit. Interea exercitus reip. Cremonam Abduæq; ad ripas confestim profectus, Laudẽ Pompeij, quod iam oppidum Ludouici milites introduxe

rat, misso præsidio expulsisq; militibus, regi retinuit. Pla*centiam nutantem per se atq; labantem confirmauit.* Triul*tius reuersis ijs, qui cum Cæsare in Flaminiam ierant,* Gal*lis, simul ab rege mißis ad eum equitibus ex* Gallia *Transalpina, atq; ab* Heluetijs *coacto exercitu, non longè ab* Nouaria *contra* Ludouicum *castra posuit: itineribusq;, ne commeatus* Ludouico *supportari posset, propè interceptis, paulò pòst commisso prælio illum in oppidum repulit: postroq; die, cùm se fugæ dare decreuisset, omni cum exercitu oppido egressum, veste pabulatoria & strigoso in equo inter milites se celantē, permittentibus* Heluetijs *perquisitum cepit.* Ea *re cognita, pars regni omnis, quæ defecerat, ad regē statim redijt.* Ludouico *capto,* Ascanius *principesq; ciuitatis permulti ex ijs, qui* Ludouici *rebus fauebant, vnà* Mediolano *aufugerunt* Padum *flumen versus, vt se in tutum reciperent: verùm ab* Soncino Benzonio *turmæ equitum reip. præfecto, qui id, quod re euenit, opinione existimans futurum, itinera obseruabat, in* Cremonæ *finibus intercepti sunt.* Ascanius *etiam* Venetias *adductus, in comitij turricula publicè obseruatus est: pauloq; pòst rege illum ab* Senatu *petente, septum custodibus in* Galliā *trāsmisit, quò antea* Ludouicus *perductus, custodiæq; traditus, ea in custodia aliquot post annos est mortuus.* Ea *æstate, propterea quòd* Gaspar Seuerinas *reliquiq; fratres* Rober*ti liberi bellum contra remp. gesserant,* Senatusconsulto *Citadella oppidum receptum, & bona eorum fisco sunt addicta.* Sed Naupacto *amisso, vt docuimus,* Aloisiū Ma*nentium in* Decemuirûm *collegio scribam,* Senatus Byzā*tiū ad regem misit questum, quòd nulla laceßitus iniuria, pacem, quam paulò antè cū* Zancanio *legato firmauerat,*

bello

bello terra mariq; illato violauisset: postulatumq; vt mercatores Venetos, qui nihil deliquissent, quorum etiam aduentu eius portoria facta essent meliora, quos belli initio in vincula coniecerat, liberaret: Naupactum iniusto bello captum reipublicæ restitueret: demum, si id nollet, pacem renouaret. Id autem eã de causa sibi tentãdum Senatus decreuerat, quòd ab nonnullis, qui plurimùm apud regem poterant, spes ei proponebatur, fore, vt si legatum mitteret, pax inter ipsos conciliaretur: tum quòd grauißimum ciuitati fore intelligebat, si claßis eo etiam anno esset comparãda, contritis per tot bella non vrbanis modò opibus, sed etiam prouincialibus rep. insuper nihil prosperè contra illum moliente. Nam cùm Naupacto ab hostibus expugnato Cephallenem insulam capere primò Antonius, vt antea dictum est, deinde Zenus, postremò etiam Malchio classe adducta diuturna oppugnatione tentauissent, labor tamen omnis omnium irritus & inanis fuit. Manentius anni initio profectus Byzantium vbi peruenit, nihil eorum, quorum causa missus fuerat, impetrare potuit: rex enim ita respõdit, pacem Veneti si velint, Methonem, Coronem, Naupliam, quæ haberent in Peloponeso oppida, sibi tradant, auriq; libras centum stipendij nomine singulis annis dependant: alia se conditione pacem cum rep. non facturum: itaq; infecta re discesßit. Sed Manentio ab vrbe profecto, quòd nuntij afferebantur in Epiri finibus magnum Turcarũ equitũ numerum cogi, Senatus veritus eam manũ superioris anni præda impunitateq; allectam, in Carnos finésque reip. esse venturam, Petrum Orium, Angelum Barotium legatos creauit, qui vnà cũ Foroiuliensium magistratu earumq; rerũ peritis regiones inuiserent, &, quib. in locis

atq; itineribus operæprecium esset, munitiones instituẽdas curarent, quibus hostes repelli possent: Liuianumq; cum equitibus, quibus præerat, & Gurlinum Rauennatem, qui priores ordines gerebat, cum militibus duobus millibus legatis dedit. Petrus etiam Marcellus, alter ex duobus in Gallico exercitu legatis, iussus cũ copijs in Carnos proficisci. Turcæ tamen, propterea quòd Rex eorum ducem Byzantium euocauerat, se in Carnos non intulerunt. Aestate aũt media, quòd eadem rursus fama crebrioribus nuncijs percrebuerat, parari hostium exercitum, qui sit in fines Reipublicæ impetum facturus, Nicolaus Vrsinus cum magna copiarum parte, cumq; Ioanne Baptista Caratio militum omnium Reipublicæ præfecto, Senatu iubente in Carnos est profectus, omnesq; eius regionis incolæ se & sua in oppida & castella contulerunt. Hostes, vel quòd loca communita scirent esse, vel quòd ijs in bellum Peloponnesiacum, de quo dicturi sumus, vti rex voluerit, ab incursionibus in eam reip. partem se continuerunt. Manentius tantùm ad vrbem redierat, cùm Patres Corcyræ insulæ veriti, propterea quòd ea in potestatem hostium redacta, quæ oppidum munitum & portus egregios haberet, omnis Adriani maris nauigatio, & in Ionium reliquaq; maria exitus magnopere impediebantur: Decemuirûm lege Angelum Quirinum, Aloisium Decanalem cum militibus centum eò misẽrũt, qui duabus oppidi arcibus præessent: quæ quidem arces quòd promontoriolis item duobus oppido coniunctis sunt impositæ, spatiumq; peranguſtum habẽt, multorum propugnatorum non indigent. Nuncij deinde Aprili mense venerunt, classem Thraciam, quæ Naupacti ea hyeme fuisset, magno studio esse refectam, aliamq; in sinu Am-

tea Ambracio institutam classem deduci, vt se cum illa coniungeret: ipsum regem maximo cum exercitu breui in Peloponesum venturum, vt quæ oppida in pacis conditionibus à Manentio petierat, bello persequatur. Iis rebus cognitis Senatus decreuit, vti naues longæ decem ex ijs quæ ad mercaturam instituuntur, onerariæq; magnæ quatuor armarentur: decemq; ijs qui imperaret, Iacobus Venereus datus: singulis autem nauibus suus præfectus cuiq;: auctaq; ijs stipendia, quo libentius proficiscerentur: missusq; ad supplendam classem remigum opportunus numerus, quem ex continenti Senatus conduxerat. Iußi etiam præfecti militum viginti bona cum manu, cumq; ijs rebus quæ idoneæ ad munitiones faciendas essent, Methonem proficisci: pecunia insuper in claßis stipendium missa. Senatus etiam consultum factum, vt naues longæ minores non paucæ prioribus adderentur: biremesq; complures confestim armarentur, claßiq; submitterentur. Malchio & ipse, qui Corcyrã venerat, nauibus aliquot relictis ad Cephallenæ insulæ nõ tam quidem oppugnationem, quàm vt in statione ibi essent, ne præsidium hostibus submitti posset, recentioribus de classe Thracia, regioq; exercitu nuncijs certior factus, vti è Creta milites & commeatus & tormenta Naupliam mitterentur, curam & diligentiam adhibuit. & quòd Naupliam primùm omnium venturum regem multi existimabant, pars ab illo præfectorum militum est eò transmissa: commeatum etiam omnis generis Methonem misit. Ipsi etiam oppidani, qui frumenta in agris pabulaq; omnia circum oppidum corruperant, ædificia combusserant, ne hostibus opportuna fierent, munitionem in portu magni operis effecerunt, aggeremq; in mari excitauerunt,

quo ab aggere naues hostium arcerētur, ne ad muros propius accederent: aditumq́; vni tantum naui reliquerunt, quo se tueri facilius possent, quàm si cum multis vno tempore nauibus eis esset propugnādum. Malchio deinde Zacynthum profectus classem eò conuenire iussit, nauium lō garum & onerariarum circiter septuaginta: in quibus erant naues longæ magnæ sexdecim. Turcæ interea suam classem duobus locis comparatam, apud insulam Leucadiam coegerant magna reip. populorum querela, quòd Malchio quiq́; præerant legati, ne id per hostes fieri posset, minus prohibuissent: partem eius classis vtramlibet separatam ab altera parte atq́; semotam, superari ac deleri non maximo negocio potuisse: nunc eam coniunctam atq́; plenam nihil nō ausuram, ad exitumq́; perducturam. Adiungebatur ad eas querelas etiam hoc, quòd Malchio laborare aduersa valetudine cœperat. Sed rex, coacta classe nauium omnis generis plus ducentarum viginti, cum exercitu in Naupliæ fines est ingressus, missa equitum parte, qui ad oppidū accederent. Cum ijs oppidani equites congressi mille quingenti, prælium secundissimum fecerunt: itaq́; Nauplia relicta rex Methonem venit. Præmissi autem ab eo Turcæ Pylon oppugnare sunt aggressi, quod quidē abest Methone millia passuum decem, loco edito impositū, portu adiecto. Ii, quòd eo ipso tempore Contarenus legatus cum nauibus longis aliquot adueniens, auxiliū propugnatorib. attulerat, repulsi, spe castelli capiēdi amissa, abeuntes cū reliquo se exercitu cōiunxerunt. Inter hæc Malchio apud Cephallenem moritur: pauloq́; pòst legatorum & præfectorum omnium suffragio Hieronymus Contarenus legatus Malchioni pro imperatore sufficitur, quo-

ad

ad Patres, quem præesse velint, imperent. Rex Methonem omni cum exercitu acerrimè oppugnans, magnam proop-pidi murorum partem tormentis deiecerat. Milites, qui priores ordines gerebant, à Senatu missi, principesq; mu-nicipij veriti non posse se eam partem tueri, rebus omni-bus & materia, quæ in eo erat ablata, atq; in oppidum ab-ducta, prooppidũ reliquerunt. Hostes ingressi maiore iam spe murum oppidi deijcere labore non intermisso institerunt. Dum hæc ad oppidum geruntur, Contarenus omni cum classe Zacyntho proficiscitur, vt si quà posset, aut afferret oppidanis auxilium, aut classi hostium noceret: cu-ius classis naues onerariæ Sphagiam insulam circumuehe-bantur: reliquæ naues è Pyli portu se promouebant. quas vbi Veneti è longinquo viderunt, eas aggredi magno ani-mo decreuerunt: itaq; tribus effectis ex omni classe corni-bus, in hostes contenderunt, quorum in vno naues erant longæ, minores, vniuersæ: in altero maiores cõtinebantur: tertium cornu naues onerariæ conficiebant. atq; hoc aper to mari, illud littori propius erat. Naues triremes magnæ medium, satis idoneo inter vtrasq; spatio relicto, classis lo-cum obtinebãt. Hostes vbi contra se venire animaduertũt, naues longas circiter centum in Venetos conuerterunt. Venerius medio è cornu, cui præerat, signo pugnæ dato, om-nium primus impetum in hostes facit, triremem q; contra se venientem vnam ex prioribus aggreditur: ex eaq; trireme magnus hostium numerus tormentis est interfectus: ex reli quis triremibus magnis sex & ipsæ cladem non paruam classi Thraciæ intulerunt, compluresq; triremes depresse-runt, ex minoribus viginti prælium commiserunt: eoq; res est deducta, vt Turcæ, quemadmodũ postea cognitum est,

littori naues impingere, fugamq́; capere cogitarent. reliquæ triremes congredi non sunt ausæ. Obfuit autem plurimum etiã fortuna ipsa, quæ multum in bellis potest, quòd naues onerariæ tranquillitate magna oborta se mouere nõ potuerunt. Turcæ vtrunq; conspicati, & naues onerarias vento silente detineri, & longarum magnam partem à pugna conserenda deterreri, animum sumpserunt, prælioq́; redintegrato atq; ad noctem perducto, cum horas tres continenter pugnauissent, ex Venetis triremibus maioribus vna depressa interijt, altera interfectis quamplurimis est capta, cùm omnibus abeuntibus tamen sola totam noctem impetum hostium sustinuisset. Contarenus proimperator, naui sua perforata, atque aqua eam degrauante, in aliam se contulit, Zacynthumq́;, vt & illam & reliquas aliquid ex concursu passas incommodi reficeret, est profectus. Interea cùm de Malchionis aduersa valetudine Senatui esset nunciatum, Patres e vestigiò, vt ei classi imperator sublegeretur, decreuerunt: qui si eum saluum offendisset, reip. nomine hortaretur, vt ad vrbem rediret: idq; eo deliberatius fecerunt, quòd de Malchione quotidie, quæ non magnopere vellent, audiebant. Itaq; maioribus comitijs Benedictus Pisaurus magna cum potestate lectus, pecunia in stipendium largiter ei curata, die ab ea die tertia conscendit. Contarenus refectis nauibus auxilium & commeatum Methonem mittere cùm decreuisset, veritus ne oppidani omni subsidio desperato sese hostibus dederent, naues longas quinq; omni ex classe delegit, atq; in ijs quæ opportuna essent, imposuit: n è tamen optimum esse ratus oppidanos ea de re certiores facere, vt se ad frumentum atque arma reliquasq́; res celeriter ex nauibus extrahendas compararent, hominem fortem

fortem atque audacem cymba ei tradita cum remigibus decem eò misit: is per mediam hostium classem omnibus inspectantibus, quòd erat meridici ferè tempus, celeritate adhibita peruolans, mandata Contareni oppidanis pertulit: posteroq; die, qui dies erat ante diem quintum Iduum sextilis, Contarenus nactus idoneam tempestatem Methonem versus vela omnibus cum triremibus facit. Hostes classe visa, id quod erat rati, ad oppidi se portum opposuerũt. Contarenus præfectos cohortatus, vt magno animo ad oppidum contenderent, remq; suorum ciuium opis & virtutis egentem subleuarent, eos ab se dimisit. Ex ijs quatuor triremes inter hostium naues elapsæ, se ad oppidum magna difficultate contulerunt. vna quòd erat tardior, multis hostium nauibus iter impedientibus, cùm reliquarum celeritatem se imitari posse diffideret, ad Contarenum redijt. Oppidani nauibus auxiliarijs conspectis, vt ea quæ afferebantur, celeriter in oppidum asportarent, læti ad portum conuolauerunt: tantaq; fuit eius rei cura, vt ij etiã qui muros alia ex oppidi parte contra hostium exercitum seruabant, cum festinari ab alijs viderent, eodem & ipsi accurrerent, stationesq; relinquerent, sic, vt murus defensoribus spoliaretur. Id vbi hostes ab exercitu conspexerunt, occasione rei bene gerendæ non omissa, per ruinas murorum, quas tormenta fecerant, scalis positis nixi, paucis defendentibus interfectis, se in oppidum intulerunt. Oppidani præfectiq; & milites præsidio & commeatu iam è nauibus abducto ea de re certiores facti, hostibus medio in oppido occurrerunt, atq; ibi prælio acerrimè commisso cùm diu fortiterq; pugnauissent, ac magnum eorum numerum occidissent, demum crescente hostium multitudine, plenis

iā omnibus & obsessis vijs, circūsepti vndiq; ac pressi, propè omnes interfecti sunt vnà cum præfectis nauium, qui tunc venerant, duobus, remigibusq; permultis. Ex municipibus *ij qui superfuerant, omni ex parte oppidum incenderunt, suaq; omnia & suos comburere voluerunt: ita oppidum ardens ac semicombustum capitur, cùm quidem* Veneti *multam in noctem se defendissent.* Eo capto Rex Pylon *ducem suum misit: is vt fidē oppidanis faceret* Methonem *in regis potestatem venisse, magistratum reip. qui* Methone *erat in vinculis adductum eis ostendit, cum ciuibus* Venetis *nonnullis: quibus visis, ea conditione, vt neq; libertatem, neq; quicquam ex rebus suis amitterent, oppidum regi tradiderunt.* At *classis* Veneta *cùm* Zacynthum *reuerteretur, magna coorta tempestate cursum non tenuit: itaq; nauibus omnibus disiectis, nonnullæ longinquas insulas,* Cretamq; *vsq; delatæ, vel amissis gubernaculis vel malo infracto, vel dissutis contignationibus iactura facta, ægreq; se in tutum receperunt: triremis vna impacta littori saluis hominibus interijt.* Coronem *post hæc cum magna exercitus parte vnus ex ducibus ab rege missus oppidanis proposuit, si se, antequam oppidum obsidione cingeretur, regi dederent, fore vt bonis conditionibus vti possent: sin vim expectarent, omnes ad vnum interituros. quibus intellectis rebus* Coronæi *casu* Methonēsium *perterriti, spretis præfectorum imperijs, qui se ad propugnationem comparauerant, æquissimis conditionibus ducem intromiserunt.* Rex *deinde* Naupliam *eadem qua* Coronē *celeritate suo se imperio adiecturum existimans, exercitus partē in* Naupliorum *fines induxit: missoq; ad oppidum cum suis equitibus* Paulo Contareno *ciue* Veneto *egregia virtute,* Bernardi

Contareni,

Contareni, eius qui bello Neapolitano *Epirotarum equitum præfectus mortẽ obierat, fratre, qui Corone vxorem duxerat, illisq; in regionibus erat notißimus, quemq; rex, vt ad id vteretur, Corone in deditionem recepta habere se cum voluerat, iußit illum oppidanis suadere vt se regi dederent.Is medio in sermone, quem cum* Nauplijs, *ad vrbis muros atq; portam vocatis, ingressus fuerat, equo incitato equitibus imprudentibus se subripuit, atque in oppidum, vallo saltu equi superato, est receptus.* Oppidani *primò cùm* Pauli *hortatu ac studio, tum per sese planè paratißimi, magno animo impetum hostium sustinuerunt: egreßiq; præterea per occasiones prælia nonnulla secundiora fecerunt: postea verò quàm rex cum reliquo exercitu eò venit, portas clauserunt, & munierunt: itaque inclusi magna se virtute atq; constantia tuebantur.Interim ex classe* Thracia, *quam rex* Naupacto, *vt terrorem hostibus incuteret,* Naupliam *veterem conuenire vniuersam voluerat, naues triginta* Aeginam *ad insulam missæ oppidum capiunt: relictisq; regio nomine qui præessent,* Naupliam *reuertuntur. Hæc dum sic administrarentur,* Benedictus Pisaurus Corcyram, *deinde* Zacynthum *profectus, dies ibi aliquot, antequam claßis, quæ propter tempestatem aberrauerat, eò conueniret, se continuit. Coacta classe nauium longarum maiorum duodeuiginti, minorum vigintiquinq;, onerariarum plus viginti, quam quidem paucorum dierum spatio magna cum diligentia, tum verò etiam seueritate adhibita, remigibus, militibus, rebusq; omnibus ornatiorem melioremq; reddiderat, ad hostium classem insequendam sese promouet, eo animo, vt si assequi posset, prælium committeret.Sed* Rex *de illius ad* Zacynthum *aduentu cer*

tior factus, suæ classis præfectis, vt domum redirent, Byzantiumq; se reciperent, imperauit: postroq; die ipse, qui quidem non magnopere suis iam copijs confidebat, propterea quòd neq; paruam, neq; sane spernendam militum equitumq; partem eorum, qui Methonem obsedissent, eo in bello expugnationeq; amiserat, omni cũ exercitu abijt. Eodẽ tempore Pisaurus Naupliam *speculatorijs præmissis nauibus classem* Thraciam *& exercitum abijsse certior factus,* Aeginam *contendit, expositisq; militibus,* Turcas, *qui præerant, interfecit, eorum duce capto: atque insulam reip. restituit.* Mitylenen *deinde triremibus leuioribus accelerans, quò appulsos hostes intellexerat, ferro atque igni omnia demetens, prædam, & quidem opulentã, quam abegerat, remigibus & militibus concessit: postroq; die* Tenedum *diripuit, incendit, classisq; hostium fugientis atque in* Euripi *angustias iam ingressæ reliquias assecutus, naues complures extremo in agmine cum hominibus cepit: fixisq; vtroque in littore non vnis crucibus, captos* Europæ *atq;* Asiæ *spectaculo reste suspendit, agros & vicos depopulatus, vt qui oras incolerent magnopere perterrerentur.* Samothraciam *ad insulam post hæc eadem celeritate adueniens, cùm intellexisset oppidanos ægerrimè* Turcarum *imperium perpeti,* Aloisio Decanali *triremis præfecto ad oppidum misso, eos libentißimos in deditionem recepit: petentibusq; ciuem* Venetum *qui præesset, pollicitus est se missurum.* Illi *partem decimã suorum fructuum quotannis ei se daturos receperunt.* Deinde Carysto *direpta, ad naues longas maiores onerariasq; rediens,* Naupliam *se contulit, municipibusq; & militibus collaudatis, stipendio, quos oportuit, recreauit, & sua liberalitate subleuauit.*

uit. Iis confectis rebus discedens, dum Corones littora prætervehitur, de Carolo Contareno, qui magistratus reipub. Pylo præfuerat, oppidumq; situ & natura communitum, hostibus nulla coactus vi obsidioneq; tradiderat, in suæ nauis prora supplicium sumpsit. Ibi cognoscit Hispaniæ regum classem reipub. auxilio missam Zacynthum venisse: ij enim Reges Aloisij Galliæ regis prædicatione permoti, qui regnum Neapolitanum bello aggredi statuisset, tum classe ab rege Thracio comparata, ne insulam Siciliam sine præsidio relinquerent, classem & ipsi confecerunt, illoq; miserunt, Consaluo Ferdinando præfecto, qui bello Neapolitano dux eorum fuerat. Eam classem vt reges auxilio reip. vellent esse, postquam suis iam finibus nihil timerent, Senatus ab ijs impetrauerat, Alexãdro adiuuante. Ea erat nauium plus quinquaginta: quibus in nauibus milites imposuerant numero ad septẽ millia. Cognito Consalui aduẽtu Pisaurus Zacynthum ad illum venit: quem quidem reip. magnopere prodesse cupientem cùm reperisset, rebus belli rationibusq; omnibus vnà cum illo communicatis, ex ipsius & reliquorum Hispanarũ nauium præfectorũ, quos Consaluus in concilium adhibuerat, & legatorũ sententia statuit ad Methonem recuperandã vnà proficisci. Eam ad profectionem atque bellum quòd res multæ materiæ indigebat cùm ad castella, quæ parare instituerant, excitanda, tum ad nauium scaphas contegendas, quibus in primis vti decreuerant, dato omnibus qui aderant iureiurando, ne quis quid enunciaret, cõcilio dimisso Cephallenem ad insulam, quæ syluis admodum abundabat, vterq; suam classem adduxit. Illis propè diebus cùm ex Ioannis Crispi, de quo dictum est, qui Naxum insulam obtinebat, liberis, is

qui natu erat maior, Matthæi Lauredani filiam in matrimonium duxiſſet, Senatui placuit, vt magiſtratus reip. amplius eò non mitteretur, Naxijq; Ioannis filio iam adulto reſtituerentur, dum is paterni regni formam ne vellet imitari, Senatuſq; liberalitate ad iuſtitiam & temperantiam vteretur. Interim autem dum ad Cephallenem materia cæditur, & turres reliquaq;, quæ ſanè plurima eius belli adminiſtratio requirebat, per fabros conficiuntur, ne reliqui milites tempus temerè contererent, communi conſilio ſtatuerunt Cephallenes oppidum aggredi, turpe futurum exiſtimantes, ſi ab inſula re nõ tentata diſceßiſſent: poſſe Turcas gloriari, duabus claßibus tam paratis atq; tantis, animum ad id capiendum defuiſſe. Iis conſtitutis rebus nauis vna oneraria trium millium amphorarum Genuæ ab Aloiſio rege Galliæ auxilio reip. comparata Cephallenem appellitur, vt Piſauro præſtò eſſet. ad eius nauis præfectum, qui erat infirma valetudine, Piſaurus legatos miſit ſalutatum, actumq; regi gratias, quòd in remp. liberalis tam opportuno tempore fuiſſet. Præfectus expectare ſeſe nauem alterã dixit, quæ item Genuæ inſtructa ſecum vnà ſoluiſſet, tempeſtateq; acta curſum nõ tenuiſſet: earum nauium, & militum mille quingentorum, qui in illis erant, trium menſium ſtipendia regem ſubminiſtrauiſſe: ea ſtipendia deſinere ad diem duodecimum Calendarum Decembris. Is autem dies, quo die illa dicebantur, erat ante diem ſextum Iduum Nouembrium. eis ſi nauibus poſt eum diem vti vellent, ipſos ſtipendia præſtare oportere. Ad ea Piſaurus reſpondi iußit, ſe niſi de Senatus autoritate nihil acturum, literaſq; de eo ad Senatum daturum. Præfectus vbi ei rei moram eſſe interpoſitam vidit, nactus idoneam tempeſtatem

vela

vela fecit, atq; abijt. de naui altera post illā nihil est auditum. Pisaurus *interea* Consaluusq; *tormentis muralibus eductis, oppidi muros verberare complures dies institerūt: nam quòd erat loco editiore, monti etiam pluribus à partibus prærupto oppidum impositum, ea res magna cum difficultate administrabatur. deinde suo cuiq; legatorum & præfectorum nauium attributo munere, vt quā quisq; oppidi partem signo dato aggrederetur, irrumpereq; conaretur, antea cognosceret, statuerunt experiri quantum in hostibus ad propugnationem animi virtutisq; inesset.* Erant *autem, quemadmodum à profugis intellectum est, milites oppidi præsidio trecenti.* Die *oppugnationis dicta eiusmodi tempestates fuerunt, vt res deferri oportuerit: demum pluuijs remittentibus, pilis ferreis frequentioribus eiaculatis, omnes se ad muros contulerunt: conscendereq; scalis positis aggressi, hostibus saxis, sagittis, omni missiliū telorum genere acerrimè se defendentibus, oppidum capere non potuerunt: itaq; nonnullis interfectis, vulneratis compluribus, se in castra receperunt: quorum ex numero fuere* Hispani *præfecti aliquot,* Venetiq; *ciues sex, &* Gurlinus *vir egregia explorataq; virtute, quem* Pisaurus Nauplia *obsessa plurimum oppidanis profuisse, & præclara multa oppido tuendo instituisse effecisseq; cognouerat, & secum abductum militibus suis omnibus tum præfecerat: atq; is magno nostrorum omnium, &* Consalui *dolore, qui ei largiter iam tribuebat, paucis pòst diebus est mortuus.* Eo *accepto detrimento, duces vallum excitari vsque eò, vt munitionem, quam hostes intra oppidum deiecto muro fecerant, superaret, suis militibus mandauerant.* Dum *hæc ad* Cephallenem *geruntur,* Pylos *per insidias ad rēp.*

rediit. Erat in Pisauri triremes miles signifer Demetrius quidam Methonensis: is amicum Epirotam item militē in Pyli præsidio cum haberet, ad eum bis terue amicitiæ nomine vbi venit, hominē spe pollicitationibusq; impulit, sibi vt socius magni facinoris vellet esse. Re constituta ad Pisaurum reuertitur. Pisaurus ei milites quinquaginta ex omni classe deligendi potestatē facit: eos ei milites attribuit. Ille cū ijs trireme impositus Pylon noctu proficiscitur: expositusq; clàm in Epirotæ domum oppidi muro vicinā se atq; milites occuluit, quo ad die inlucescente portæ oppidi aperirentur: apertis portis Demetrius cum suis in oppidū irrumpit, & Turcas, qui in oppidi erant præsidio, imparatos obtruncat circiter quinquaginta, paucis elapsis, qui se muro deiecerunt. Ita oppidū recipitur. Ad id Pisaurus triremes duas cū militib. & Hieronymo Pisano legato, qui præesset, oppidumq; cōmuniret, Venetoq; ciue Syluestro Trono, quem is magistratū ibi relinqueret, statim misit: nam quòd erat portu egregio, reip. fore vsui ad classes recipiendas & tuendas mirū in modum existimabatur. Eo capto equites centum quinquaginta cū vxoribus & liberis Corone se Pylon euestigiò contulerunt, oppidumq; munierūt. Sed iā vallo ad Cephallenē excitato, vti de superiore loco nostri in oppidū introspicerent, duces oppugnare, quibus à partib. poterāt, vno tēpore sunt adorti, eo vterq; animo, eaq; cura, vt vtrius plures essent eo in bello partes, non facilè dignosceres, Consaluusq; ciuis esse Venetus & ipse videretur: neq; eius quidē milites vllo in munere à nostris se militib. relinqui sustinebant, homines duri, parcoq; victu assueti, & cùm audaci in primis virtute, tū maximè habiles qui oppidorū oppugnationibus adhiberentur. Ea

in

in aggreßione Marcus Orius nauium onerariarũ præfectus, vna cum Hiſpano homine impigro, quem ei Conſaluus muneris ſociũ dederat, militesq; aliquot ſe in muro atque munitionib. primi omniũ illatis ſignis oſtenderunt. Ea re hoſtes perterriti, cedere, ſeq; recipere in arcẽ oppidi cũ vellent, irrumpentib. omni ex parte reliquis, cæſi captiq; ſunt, præter paucos, qui ſe primo impetu in arcem intulerunt: qui tamen paulò pòſt ſe Cõſaluo dediderunt, cùm Venetorum iram, quos & ipſi ſæpius eluſiſſent, & rex eorum maximis incommodis affeciſſet, non iniuria pertimeſcerẽt. Cephallene in reip. ditionem anni exitu redacta, oppido Aloiſius Salomonius, arci Ioannes Venerius, toti inſulæ Franciſcus Leo à Piſauro ſunt præfecti dati in annos duos. Arx etiam vt multò cõmunitior fieret, inſtitutum. Miſſaq; Pylon nauis oneraria magna, qua in naui Coronæi, qui cũ familijs eò venerant, Cephallenem adueherentur: nã quòd eam inſulam propter bonitatem agrorum maximè eſſe feracem intelligebãt, & illi, qui liberè Pylo exire atq; agros colere hoſtibus Methonem obtinentibus non poterant, & multi præterea homines Turcas peroſi, eò ad incolendum è continenti cõmigrauerunt. quam quidem ad rem portus perampli perq; optimi facultas, quo nullus eſt to toto mari ferè præſtantior, magnum adiumentum afferebat. Itaq; paruo temporis ſpatio à magna eſt aduenarũ multitudine coli cœpta, cùm per biennium à claßibus reip. vexata, cultoribus infrequẽtior fuiſſet. Illis diebus triremes duæ Naupliã à Piſauro miſſæ, dum redeunt, biremes Thracias quatuor expugnauerunt, birememq; vnã Venetã, quam illi ad Aeginam inſulam ceperant, recuperauerunt. Conſaluus, qui ſuam claſſem in aqua mẽſes complures habuiſſet, ma-

gnamq; nauium partem inutilem ad nauigandum breui futuram videret, Methones autem recuperandæ negotium Pisaurus in aliud tempus distulisset, quòd Turcæ, Pylo amisso, eam militibus apprimè communierant, diligentiusq; tuebãtur: se reuersurum Vere ineũte pollicitus, ad classem reficiendam primis anni diebus in Siciliam rediit. Antè autem quàm proficisceretur, vini Cretici amphoræ quingentæ, casei libræ sexaginta millia ei dono à Pisauro datæ. alia etiam ab vrbe munera pretiosiora à Senatu mitti nunciatum, quæ ille Senatui gratias agens se non cupere præ se tulit: suorum enim regum in remp. beneuolentiæ causa venisse, quibus satis omnibus pro muneribus esset, par atq; mutua Senatus in illos voluntas & beneuolentia. Senatus tamen posteaquam de Consalui abitu est ei nunciatum, legẽ tulit, vti Consaluo ciuitas cum iure comitiorum daretur, ciuisq; Venetus cum libris argenti fabrefacti ducentis sexaginta sex in Siciliam ad illum mitteretur, qui eum de rep. optimè meritum diceret. lectusq; Gabriel Maurus, vnus ex magistratibus qui res maritimas in Senatu procurãt, paulò pòst est profectus. Pisaurus cùm sciret in sinu Ambracio naues longas complures, quas hostes fabricari curauissent, esse iam deductas, nauibus longis aliquot, onerariaq; vna Cephallene præsidio relictis, decimo Calendas Februarias sua cum classe triremiũ leuiorũ quatuordecim, grauiorũ, octo, nauium onerarium quatuor (reliquas enim missas fecerat) ad insulam Leucadiam est profectus. Eius in insulæ portu, in quo nihil offendi poterat ex omni triremium numero leuioribus lectis octo, atq; in illas ex reliquis nauib. quos visum est, remigibus et militibus impositis, cũ iis ad sinum Ambracium prouehitur, reliquis nauibus in portu relictis.

lictis. Is habet sinus aditum perangustum, quà naues commeant, vt lapide manu iacto ferè traijciatur: reliqua latitudo vadis breuioribus impedita, nauigia triremesq; non recipit. In eius ore sinus, turris est communita ad arcendos, si qui ingredi vi experiantur. Pisaurus citatis remigibus dũ turrim præteruehitur, iactu ab ea tormentorum tribus aut quatuor militibus interfectis, ad triremes Thracias numero vndecim, rebus iam omnibus armamentisq; instructas processit. Portus est in sinu Ambracio, in quem flumen, quod nunc appellatur Preuesa, influit: eo in portu naualia ad tuendum locum idoneo sunt castello proxima: aditus verò ad portum eiusmodi, vt singulæ tantum triremes ingredi possint. ijs in naualibus fabricatæ naues Thraciæ tum in portu stationem habebant. Eò ingressus Pisaurus, expositisq; militibus, hostes castello egressos, quiq; naues adseruabant, acerrimè cum ijs congressos fudit, incensisq; ædificijs, præda etiam rerum ad armandas naues cõparatarum ingenti facta, triremes hostium nouas omnes remulco è portu abduxit: duas veteres, quæ semiplenæ aqua ad littus erãt deligatæ, incẽdit, cùm ijs in rebus administrãdis quadraginta ex suis præda cupidius allectos, temereq; procurrentes amisisset. abductas deinde lateri suarum nauium adglutinãs, atq; ad turrim conuersas trahens, reliquis omnibus incolumibus, ad eos, quos in portu Leucadiæ reliquerat, redijt, Corcyrãq; omnibus cũ nauib. ad supplendã classem ante diẽ Calendarũ Februar. venit. Ibi Hieronymo Cõtareno legato reperto, qui ex Leucadiæ littorib. valetudinis, vt aiebat, causa nullo Pisauri permissu Corcyrã discesserat, eũ ignominia notauit, vt legatione præfecturisq; omnib. annos duos careret. Eodẽ tempore, vti qui pro rep.

mortem oppetijssent, inornati ne relinquerentur, in Senatu lex est lata, vt Gurlini Rauenatis, *qui Cephallenæ*, Antonij Fabri, Pauli *Epirotæ præfectorum militum, qui Methone interfecti fuerant, liberis, quoad viuerent, pensiones annuæ curarentur: ipsorum præterea filiabus sex, dos sesquilibra auri singulis constituta.* Neq; *multò pòst* Aloisij Michaelis *liberis, & Ioãnis* Maripetri *fratribus, quos vtrosque triremium præfectos auxilio* Methonensiũ *à proimperatore missos ab hostibus interfectos dixeramus, arcis Mestrinæ, itemq;* Patauinæ *ad Medoaci in oppidum influxũ præfecturas, alteris per annos quindecim, alteris quoad eorum maior natu viueret, & vni virgini dotem ciuitas dono dedit.* Reliquis *triremiũ præfectis, qui* Methone *capti eodem impetu fuerant, seq; pecunia redemerant,* Alexandro Gotio *Corcyrensi, in ea insula magistratus:* Nicolao Cucaro Hydruntino, *in sua vrbe item magistratus, & auri libra vnciæq; septem annuæ:* Iacobo Balbo Parensi, *auri itidem librã vnciæq;.* Item *singulis omnium tributorum immunitas attributa: præmia insuper in complures viuos, qui se fortiter atq; amanter gesserant, ex* Pisauri *literis honorificè collata: dataq; lectis ad id magistratibus cura, vt Methonensium, quibus quidem aut parẽtes, aut fratres, aut liberi pro rep. interfecti fuissent, qui* Venetias *venissent, causas cognoscerent, deq; eis ad* Patres *referrẽt, vt pro cuiusq; incõmodis et iacturis à* Senatu *sarcirentur, aut omnino subleuarentur.* Latũ *præterea de* Nauplijs, *vt eis, bello confecto, immunitas per annos decẽ concederetur: domusq; eorum, quas ipsi dirui permisissent, vt oppidum cõmunitius fieret, reip. pecunia restituerentur.* His *rebus domi forisq; administratis,* Cæsar Alexandri *filius, cui paulò antè à rep. petente*

te patre cum iure comitiorum ciuitas data fuerat, puellam ex Elisabetæ Metaurensium reginæ famulatu, ad Carratiũ reip. militibus præfectum, cui erat nuptui tradita, proficiscentem, medio inter Ariminum Rauennamq; itinere, missis Cesena suis equitibus vi rapuit, comitatu eius pulso, vulneratis compluribus. Eius ille oppidi paucis ante mensibus regnum obtinuerat, Alexandro tradente, tum Pisauri atq; Arimini rep. ægrè illa quidem, quod ad Ariminum attinet, ac penè subinuita, sed tamen vt perpetuis Alexandri postulatis precibusq; satisfieret, vnà cũ Aloisio rege Galliæ, qui suas ei copias iterum dederat, annuẽte atq; permittente. Ea erat puella miræ pulchritudinis: itaq; amore incẽsus adolescens, cùm precio aut precibus assequi sese posse nihil videret, sumptis à nouo regno animis, ad vim faciendam se conuertit, & virgine per scelus est potitus. Ea re ad Patres celeriter delata, Decemuirũm decreto Aloisius Manentius est ad Cæsarem eo ipso die iussus contendere (is erat Fori Cornelij) questum de iniuria tam insigni, quam resp. pro suis in eum beneficijs nihil meruisset, puellamq; repetitum. Posteroq; die Aloisij regis legatus, re à Patribus grauiter apud illum expostulantibus cognita, sua sponte ad Cæsarem ijsdem cum mandatis est profectus, cùm eam fraudem atq; iniuriam etiam ad suum regẽ, qui Cæsarem, vt Flaminia potiretur, adiuuisset, existimaret pertinere. nihiloq; secius literæ sunt ad Alexandrũ à Senatu datæ magna cũ querela: Sed neq; Manẽtius, neq; regis legatus quicquã apud eum valuerũt, nedum literæ ad patrẽ missæ proficerẽt: pernegauit enim ille suo iussu id fecisse, qui puellam rapuissent, neq; se, qui essent, adhuc quidem comperisse: repertis autẽ raptoribus, cui quidem rei omnẽ esset diligen-

tiam adhibiturus, se daturum operam, vt & rex, & Senatus Venetus, & omnes homines intelligerent, quàm ægrè tulerit suis in finibus id fuisse facinus atq; flagitium perpetratum: puellas sibi non deesse, quas habere facilè possit: ne hac tanta cum reip. offensione atq; inuidia, & suo cum probro, per vim atq; fraudem potiri concupierit. Patres *verba sibi dari intelligentes, cùm mittendis nuncijs ac literis multos dies consumpsissent, quòd rebus belli ab ea cogitatione auocabantur, Carratium, qui ad eos questum venerat, consolati, eius vindictam sceleris in alitud tēpus distulerunt. Post hæc autem reip. legati, qui ad* Vladislaum Pannoniæ *regem anno superiore missi fuerant, vt illum ad bellum in* Turcas *incitarent, fœdus cum regè aliquando tandem percusserunt: quo ex fœdere bellum regi* Thraciæ *inferre omnib. copijs* Vladislaus *iubebatur: res verò pub. mille auri libras tribus pensionib. regi* Pannoniæ *mittere quotannis tenebatur, quoad bellum esset confectum. Ei fœderi feriendo* Alexander *& autoritatē adhibuit suā, misso* Roma *legato è* Cardinaliū *collegio, & auri libras annuas quadringentas regi* Pannoniæ *per triennium pollicitus est se daturum.* Domi *verò inter hæc, ne ad bellum pecunia deesset, lex est lata, vti qui fundos atq; agros in continenti possiderent, pro quoq; soli culti iugero, siliquas argenti septem in ærariū conferrent, semel quidē tantùm, præter* Carnos, *quorum se in fines* Turcæ *superiori anno intulissent: literæq; ad ciuitates datæ, quæ eas hortarentur, tam duris reip. temporib. ne deessent, atq; vrbē laborantē subleuarent.* Pisaurus *classe* Corcyræ *remigib. reliquisq; rebus instaurata, ad naues lōgas, quas* Turcæ *in* Loi *fluminis ripis ædificauerant, atq; in flumen deduxerant, capiendas*

aut

aut incendendas animum adiecit: itaq; cùm sciret eius fluminis ostium adiri magnis à nauibus non posse, alueo diffundente sese magis quàm demittente, nisi cùm flumen ex imbribus creuisset: tametsi inuecta hostium nauigia satis alta aqua excipiebat: onerariarũ & longarum nauium scaphas complures integi iussit, quibus in scaphis atq; in biremibus duabus milites imposuit, Marcumq; Orium *nauiũ onerariarũ præfectum, qui se obtulerat, ei negocio præposuit: ipse* Aulonam *cum longis nauibus est aggressus, vt hostes occupatos ea in propugnatione distineret, ne suas peti naues existimarent.* Porrò Turcæ *vel de ea re, vt sæpe fit, certiores facti, vel ipsimet propter recentem in sinu* Ambracio *nauium suarum iacturam idem in* Loo *flumine metuentes, eas naues longius ab ostio in flumen introduxerãt, passuum millia quatuordecim, atq; vnà composuerant sic, vt proras secundum cursum fluminis conuersas haberent: ipsæ, quòd remi nondum erant impositi, inter se coniũctæ totũ flumen caperent.* Ripas *autem* Turcæ *tormentis communierant ad naues hostium repellendas.* Orius *audacissimè superato flumine, cùm nauibus* Thracijs *appropinquauisset, eas magno militum præsidio fultas atque instructas est conspicatus: tum missis in eum ex vtraque ripa frequentibus tormentorum pilis, ad illas propius accedere non potuit: itaq; omnem aditũ frustrà expertus, crescẽte hinc atq; hinc hostiũ multitudine, scaphas retrahi imperat.* Redeũtibus Turcæ *summis in ripis atq; ipso propè in flumine occurrerũt, nauiculamq; vnam truncis ramisq; arborũ, quos in flumen deiecerant, impeditã oppresserũt.* Ipse *cum reliquis incolumibus ad ostium fluminis cùm reuertisset, atq; interim mare, quod vadosum latè erat, ma-*

gno coorto vento se excitauisset, erumpere ausi medijs in vadis naufragium fecerunt: quorum pars interijt, atq; in his Hieronymus Maurocenus *propinquus meus, nauis oneratiæ bellicæ præfectus, magno animo, magnáq; virtute: reliqui pleriq; in littus eiecti, ab hostibus capti sunt, præter nauiculas pauculas, quæ tẽpestate superata se* Dyrrhachium *contulerunt, quò iam venerat* Pisaurus, *eáq; illum de re certiorem fecerunt.* Marcus Orius, *&* Vincentius Pascalicus, *nauis item bellicæ præfectus, capti. ac fuit eorum qui interierunt, & qui in manus hostium peruenerunt, numerus circiter trecenti.* Pisauro Dyrrachio *digresso,* Georgij Castriotæ Epirotæ *hortatu &* Antonij Boni *legati, spõte se* Alexiani *dediderunt.* Est Alexiũ *in* Drino *flumine, quod vado transiri non potest, insula triquetra, mare vno ab latere attingens, ab reliquis flumen, quod ipsa dirimit.* Eorum *quodq; laterum tria millia passuum efficit: ipsa vallo circũ munita: quam ad insulam, capta ab rege* Thracio Scodra, *eorum locorum sese homines contulerũt, atq; incolere cœperunt.* Ea Turcæ *ad mercaturam vtebantur, magnumq́; frumenti numerum, quo montani latè homines earum regionum alerentur, neq; paruam salis copiam quotannis eò conuehebant: picis autem ceræq; ac mellis magnã vim eôdem ab interiorib.* Illyrici *finibus, atq; ab* Epiro *importari solitã coemebãt. ijsq; reip. vsui futurus locus videbatur.* Eo *tẽpore* Alexander *triremes reip. viginti pecunia sua sacraq; se armaturũ pollicitus, quibus ciuitas bello* Thracio *vteretur, quindecim modò per suos ministros, vt instruerẽtur, diligentiã adhibuit: reliquas quinq;* Senatui *armandas remisit, cùm ei pecuniã sacrã, quã homines in imperio* Veneto, *vt criminibus & maleficijs obnoxij, ob cõmissa post*

mortem

mortem apud inferos pœna liberarentur, ex Alexandri literis persoluerent, bello Thracio insumendam permisisset: quarum omnino viginti nauium imperium legatus ab sese datus obtineret. Is fuit Iacobus Pisaurus Episcopus Paphiorum ex Veneta nobilitate: qui etiam maiori earum nauium parti, quam Venetijs armandam curauit (nam reliquā in Flaminiæ maritimis municipijs Anconæ instruxerat) præfectos ciues sibi Venetos adlegit. Pecuniæ verò sacræ summam libuit mihi huic loco adscribere, vt intelligi possit, quanta quamq; ardens eo tempore fuerit in hominum mentibus religionis existimatio, & Deorum immortalium timor. Porrò in vrbe auri libræ ducētæ nonaginta septem eo nomine sunt confectæ, Pataui vna & sexaginta, Vicetiæ sexagintaquatuor & semilibra, Veronæ vna & triginta, Brixiæ quadraginta octo, Bergomi ferè quadragintaquatuor, Cremonæ duodecim, Cremæ plus nouem, Taruisij vigintiquatuor, Feltriæ duodecim & semilibra, Ciuidali Carnico nouem, Vtini quadraginta duæ. atq; vt à claris vrbibus ad tenuiora oppida descendamus, Fossa Clodia libras auri paulò minus octo facilè contulit: Portus, quem Gruarium appellant, ferè vndecim: Colonia, qui quidem vicus est in Vicetinorum finibus, quatuor: itemq; suprà quā quis crederet alia in continenti castella, viciq;: vt esset summa omnis auri libræ septies centies & nonies, eo que amplius. Atque illo ipso tempore Cæsar Alexandri filius diu pressam armis atq; acri obsidione Fauentiā, à qua Patres Alexandri precibus legatū suum reuocauerant, certis conditionibus tandem cepit: Hestoriq; pucro ea lege se dedenti, vt saluus sospesq; esset, fidem fregit: Romamq; adductum, atq; in custodia complures ad menses adseruatū ne-

cauit. Per eos etiam dies Patauij Baptista Zenus è Cardinalium collegio moritur, grandi pecunia, argentiq́; fabrefacti magno pondere testamenti tabulis suæ genti, & propinquis, & sacerdotium collegijs, & reip. relicto. Absconderat is Roma veniens, aliquot ante annos auri libras ducentas sexaginta Anconæ in ædis sacræ pariete: de eo Alexander à Senatu certior factus, aurum abstulit. Zeno ad vrbem delato, funus amplißimũ publicè curatum. Laudauit Angelus Gabriel. Postea ei ex testamento Senatus in ædis Marciæ porticu sepulchrum ex ære ponendum locauit. Interea in Achaia magnum incommodum publicè est acceptum, Pylo ab rege Thracio iterum capta. Is enim cùm eò & terrestri itinere equitum millia complura, & mari triremes quatuordecim, & biremulas quinq; (sic enim naues eas appellant, quæ ferè semitriremium loco sunt) Camali præfecto misisset, essentq́; in Pyli portu triremes reip. tres sine nulla statione aut specula, eas Camales improuisò aggressus, non magno negocio cepit. aliquot ex ijs, qui in eis erant, fuga in scaphis elapsi, ad triremes quinq; maiores reip. quæ cum mercibus Beryto illo ipso tempore venerãt, erãtq́; in anchoris portui vicinæ, se cõtulerunt. Eæ quinq; eadem formidine vsæ, cùm terrori esse hostibus potuissent, velis factis abierunt. quarum conspecta fuga, qui Pylo præerant, sese hostibus dediderũt. Earum triremium præfectis eo minus ignoscendum fuit; quòd paulò antè Cretæ cùm essent, à Pisauro eis erat imperatum, vt se Pyli expectarent: isq́; postero die cum triremibus quindecim eò venit. Sed Camales, cùm Pisauri classem è longinquo venientem ij qui in specula erant positi conspexissent (id enim ne accideret, verebatur, vt in Pisaurum, quem breui eò vẽturum

rum à captiuis intellexerat, imprudens incideret) e uestigiò triremes captas abducens, littusq; proximum legens, ei se vitabūdus eripuit. Pisaurus deinde Corcyram aduenies, quòd audierat naues longas Turcas è Loo flumine, quæ in eo erant, breui educturos, triremes aliquot misit, quæ ostium fluminis adseruarent: ipse cum reliqua classe longarum nauium vigintiquinq; in Achaiam reuehitur, atq; in Corones finibus magnum hominum numerum cum vxoribus & liberis suis in nauibus imposuit, quos Cephallenem ad incolendum traduceret. Paulò post Aeginæ cùm esset, intellexissetq; Megaræ & biremes fabricari & frumenti magnam copiam esse, Aloisium Lauredanum legatū cum nauibus octo, si quid ex vsu efficere posset, eò misit. Is bireme vna cum hominibus, altera vacua captis, expositis militibus, & equitibus Nauplij adhibitis, prælio cum Megarensibus commisso eos fudit: atq; arcem, quæ à Thracib. defendebatur, magno impetu cepit: ac restè suspensis ijs, qui oppugnationi superfuerant, quosq; cum biremi ceperat, frumentoq; omni abducto, oppidum incensum ac solo æquatum deleuit, ne impedimento Nauplijs esset, quo minus eo ab latere quàm vellent liberè vagari eis liceret. Idē postea complures ad insulas, postremò ad Eubœam profectus, prædam, & quidem opulentam, abegit, oppidaq; aliquot & castella multa incendit, ac magnum propugnatorum numerum interfecit, ingenti vndiq; omni illo in mari terrore hostibus atque formidine incussa. Quo quidem tēpore captis ab se oppidis rex metuens, Coronem, Methonem, Pylon, muris & propugnaculis, reliquisq; rebus ad hostem repellēdum idoneis, & militum præsidio apprimè cōmuniuit. Nauplij aūt equites, cùm hostes ad illos lacessen

dos in eorum propè suburbia irrupissent, egressi eos fuderunt: ex quibus ducenti quinquaginta interfecti atq; capti. Idem paulò pòst alij hostiũ equites Catarbeio duce aggressi, omnes à Nauplijs capti sunt præter ducẽ, qui cum duobus equitibus aufugit. Reuerso Corcyram Pisauro, vt classem regis Galliæ, itemq; regis Lusitaniæ, de quibus proximo libro dicetur, expectaret: magistratus reip. qui Dyrrhachio præerat, morbo affectus, vt valetudinem curaret, Olcinium se cõtulit cœli salubrioris gratia. Eam occasionem nacti hostes, noctu Dyrrhachium furtim aggressi, scalis ad murum positis se in oppidum intulerũt: interfectisq; paucis somno expergefactis oppido sunt potiti. Sed ea æstate foris Pylo atq; Dyrrhachio amissis, nullo autem negocio, quod magnopere ex vsu esset, confecto, domi Augustinus Barbadicus vita functus est, de mense Septembri, cùm annos XV. ciuitatis principatum obtinuisset.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. VI.

NOuarum terrarum gentiumq; narratio. Galliæ regis cum Maximiliano Cæsare pax. Leonardus Lauredanus princeps Venetijs declaratur. Gallica & Lusitana classes Venetis auxilio missæ re infecta recedunt. Federicus rex, ab Galliæ & Hispaniæ regibus regnum inter se diuidentibus pellitur. Venetorum cũ Turcis belli progressus. Pannoniæ regis cum Thracio bellũ. Mitylenes à Veneta & Gallica classe oppugnatur. Ericus pirata capitur comburiturq;. Antonij Minij & Lauredani principis, de stipendijs magistratuum dimidijs accipiendis

piendis cõtrariæ actiones. Triremium præfecti qui rem ignauiter gesserant ignominia notati. Lucretia Borgia Alphonso Atestino nubit. Res à Pannoniæ rege contra Turcas feliciter gestæ. Ciues Veneti Byzantij libertati restituti. Metaurensium ducis regnum à Cæsare Borgia insidijs occupatur. Anna Candala Pannoniæ regi nubit, & Venetias uenit. Aloisius rex iterum in Italiam venit, eiusdemq; cum Hispaniæ regibus ob imperij fines in regno Neapolitano bellum. Leucadia à Venetis capitur. Guidus Vbaldus nullo apud Aloisium regem præsidio inuento se Venetias confert. Deinde Vrsinorum auxilio in regnum suum redit. Multi populi se reip. dedere volẽtes reijciuntur. Hispaniæ regum ad Senatum legatio. Guidus Vbaldus iterum à Cæsare regno pellitur, & ab eodem multi principes necantur. Lex in eos qui sacerdotia emerent lata. Ioannis Michaelis Cardinalis interitus. Baiasetis cum Venetis & Pannoniæ rege pax. Galliæ rex nouum cum Venetis fœdus petit. Alexandri Pont. interitus & Cæsaris Borgiæ calamitates. Benedicti Pisauri obitus. Guidus Vbaldus iterum in regnum suum redit. Pius Tertius Pont. creatur & moritur, eiq; Iulius II. succedit. Multa Flaminiæ oppida reip. deduntur. Florentinorum contra Venetos artes. Pandulphus Malatesta Ariminum Venetis tradit. Fauentia à Venetis capitur. Iulij Pont. contra Venetos consilia. Nicolao Vrsino imperium prorogatur.

TALIBVS *iactatæ incommodis ciuitati, malum etiam inopinatum ab longinquis gentibus & regionibus extitit. Petri enim Pascalici apud* Emanuelem *Lusitaniæ regem legati literis Patres certiores facti sunt, regem illum per Mauritaniæ Getuliæq; Oceanum conuehendis ex Arabia Indiaq; mercibus itinera, suis tentata sæpe nauibus, demum*

explorata compertaq; habuisse: nauesq; aliquot eò missas, pipere, & cinnamis, eiusmodiq; rebus onustas Olysipponem reuertisse: itaq; futurum, vt eius rei facultate Hispanis *hominibus tradita, nostri in posterum ciues parcius angustiusq; mercarentur: magniq; illi prouentus, qui vrbem opulentam reddidissent, toti penè terrarũ orbi rebus* Indi*cis tradendis, ciuitatem deficerent.* Eo *nuncio* Patres *accepto non paruam animi ægritudinem contraxerunt, quam tamen compendijs aliorum populorum solabantur.* Simul *& illud cogitabant, amabile profectò esse, nouas regiones alterumq; propè acquiri orbem, gentesq; abditas atq; sepositas celebrari.* Ac *postaquam hunc ad locum meorum me commentariorum cursus perduxit, non alienum esse arbitror, quod eius rei omnium, quas vlla ætas vnquã ab hominib. effectas vidit, maximæ atq; pulcherrimæ fuerit initium: tum quæ terrarum portio: post id, quæve gentes, & quibus moribus sint repertæ, quantum suscepti operis ratio permittet, breuiter dicere.* Erat Columbus *homo* Li*gur ingenio peracri, qui multas emensus regiones, multũ maris &* Oceani *perlustrauerat. is, vt est humanus animus nouarum rerum appetens,* Ferdinando *&* Isabellæ Hispa*niæ regibus proponit, edocetq; illud, quod omnis ferè antiquitas credidit, quinq; esse cœli partes, quarum media caloribus, extremæ duæ frigoribus sic afficiãtur, vt quæ sub illis sint totidem terræ plagæ, incoli ab hominibus non poßint: duæ tantùm inter eas sub eisdem positæ cœli partibus poßint: inanem esse antiquorum hominum fabulam et nullis veris rationibus fultam, & confirmatam descriptionem: improuidum propè necesse esse haberi* Deũ, *si ita mũdum sit fabricatus, vt longè maior terrarum pars propter*

nimiam

nimiam intemperiem hominibus vacua, nullum ex ſeſe vſum præbeat. globum eſſe terræ hunc eiuſmodi, vt commeandi per omnes eius partes facultas hominibus ne deſit. cur ſub media cœli conuerſione degi non poſsit, vbi diei calor cum noctis frigore pari dimenſo vtriuſq; moræ ſpatio temperetur, præſertim cùm tam citò ſol in alterutram declinet partem? cumq; ſub ijs cœli conuerſionibus, in quibus noſtro vertici propior longinquam ſol moram trahit, tamen degatur? algentes ſub Septentrionalibus eſſe terras, ſed eas hominibus non defici, ſic ſub Auſtrali terras eſſe frigidas vertice, eſſe animantium atq; hominum genus. quem Oceanum ſcriptores appellarint, eum non eſſe inertis magnitudinis, ſed inſulis atq; terris ſcatere, quas homines inhabitent: itaq; vigere atq; incoli vniuerſum globum, qui vbiq; ſit vitalis auræ particeps. Hac oratione apud reges habita petit, vt ſibi liceat eorum opibus nouas inſulas, noua littora quærere: ſpem ſe habere, non defore inceptis fortunam: ditionemq; ipſorum magnopere iri auctum, ſi rem ſuſceperint, confirmat. Ab regibus noua ſpe allectis ſententia Columbi, quam quidem totum ſeptennium reiecerant, ad extremum comprobata, quam tamen multò antea Poſſidonij philoſophi Panetij diſcipuli primùm, deinde etiam Auicennæ medici fuiſſe video, magni & præclari viri: anno ab vrbe condita milleſimo ſeptuageſimoprimo, tribus cum nauibus Columbus ad inſulas Fortunatas, de quibus ſuperioribus libris ſermonem habuimus, quas Canarias appellant, profectus, atq; ab ijs tres & triginta totos dies occidentem ſequutus ſolem, ſex numero inſulas reperit, quarum ſunt duæ ingentis magnitudinis, quibus in inſulis luſciniæ Nouembri menſe canerent, homines nudi, ingenio

miti, lintribus ex vno ligno factis vterentur. Frumentum *hi habent, quod maicem appellant, multò quàm nos, spica & culmo grandioribus, arundineisq; folijs, & plurimo ac rotundo grano, quod spicæ infixum membrana pro aristis vestitur, quam quidem maturescens reijciat. Animalium quadrupedum genera habent perpauca: ex his canes pusillos, qui muti etiam sint, nec latrent: auium verò longè plurima, nostris tum grandiora, tum etiam minora, adeò vt auiculæ inueniantur, quæ singulæ suo cum nido vigesimamquartam vnciæ partem non exuperent. psitacorum magnam copiam, forma & colore variam. vellera sponte nascentia ex nemoribus atq; montibus colligunt: sed ea cùm volunt candidiora melioraq; fieri, ipsi purgant, atq; apud domos suas serunt. Aurum, quod in fluminum arenis legunt, habent: ferrum non habent: itaq; præduris atq; acutis lapidibus, & ad lintres cauandos, & ad reliquam materiam in vsum domesticum formandam, aurumq; molliendum, pro ferro vtuntur. Sed aurum cultus tantummodo gratia molliunt, idq; auribus & naribus perforatis pendulum gerunt, neq; enim numos nouerunt, neque stipis vllo genere vtuntur. Harum duarum insularum vnius cum rege amicitia fœdereq; inito Columbus, duodequadraginta ex suis apud illum relictis, qui mores & sermonem gentis addiscerent, seq; breui rediturum expectarēt, decem ex insularibus secum ducens in Hispaniam redijt. Hæc illorum itinerum origo, institutæq; ad incognitas orbis terrarū oras nauigationis initium hoc fuit. Anno autem insequente, vt pollicitus fuerat, Columbus cum nauibus decem septem, & militibus, & fabris, & commeatu omnis generis missu regum eôdem rediens, cùm se ad læuam versus parum-*

per

per flexiſſet, quamplures ad inſulas eſt delatus: quarum partem homines incolebãt, feri trucesq́; qui puerorum & virorum carnibus, quos alijs in inſulis bello aut latrocinijs cepiſſent, veſcebantur, à fœminis abſtinebant, Canibales appellati. Vicos hi habebant, vicenis aut tricenis domibus ſingulos: domusq́; erant omnes ligneæ, ac rotunda forma, palmis & ſtipulis contectæ, certarumq́; arborum & arundinum folijs, ad arcendos imbres. Aere vtebantur adeò temperato, vt Decembri menſe auium aliæ nidos ponerent, aliæ pullos educarent ſuos. Sed cùm ad illam inſulam, à qua reditũ anno ſuperiore apparauerat, Hiſpaniolamq́; ipſam appellauerat, Columbus reuertiſſet, propter ſoli bonitatẽ magnitudinemq́; inſulæ, oppidum opportuno loco condere, ac terram colere cœpit. Arbores frondibus nullo anni tempore ſpoliabantur, vna aut altera exceptis, quarum Hiſpani, præter pinum, palmamq́; nobis cognitam viderunt nullam. Inſulares duobus ſe è ſpecubus terra proditos atq́; natos dicunt. Deos penates, quos appellant Zemes, colunt. eos plebs habet cõmunes. Suum verò ex regibus quilibet, eorumq́; ſimulachra lana contexta in bellum profecturi capiti alligant, iuuariq́; ſe ab ijs maiorem in modum putant. Noctu vagari mortuos credunt, poſſeque omnia humana membra ſumere præter vmbilicum. Ab ſuis Zemibus eiuſmodi reſponſa non multos ante annos accepiſſe illos conſtat: venturum eò indutam veſtibus gentem, quæ regionem ſubigeret, & ipſorũ aboleret Deos. Sed vicinæ huic inſulæ hominibus alterius ex duabus, de quibus ſuprà dictum eſt, inſulis, quam quidem & propter magnitudinem Hiſpani terram eſſe continentem crediderunt, & hominũ genere atq́; auri copia multum præſtare cæteris in-

tellexerunt, & Cubam appellari didicerunt, serpentes noua totius corporis specie ac forma præditi, sesquipedis plerũq; longitudine, qui ex terra & ex aqua viuunt, in lautioribus erant epulis. Verumenimuero & illi, & qui proximas obtinebant insulas, quarum magnus erat numerus, pleriq; auream ætatem agere, nullum agri modum noscere, non iudicia, non leges habere, non literis, non mercatura vti, non in posterum sed in dies viuere. Ac dum hæc conquiruntur, Ioannes Lusitaniæ rex per legatos apud Hispaniæ reges queritur, sua littora, suasq; regiones ab ipsis tẽtari: eas quas reperissent insulas ad se spectare, qui Hesperides habeat, & cuius maiores Oceanũ percurrere ante omnes alios sint ausi. Contrà Hispaniæ reges dicere: quæ non fuerint vllo ab homine antè parta, omnib. hominib. patêre: se nulli esse iniurios, si ab cæteris ignorata, labore & studio acquisiuerint suo. Itaq; magnis ex ea re obortis inter eos disceptatiõib. ne cõtrouersiæ eiusmodi ad bellũ deducerentur, vtriq; se Alexãdri Pont. Max. iudicio staturos spondent. Alexander tota re cognita statuit, vt à Septentrionibus directa ducta in Australem polum linea, quæ à Gorgonum insulis tercenta millia passus in occasum distaret, quæ pars orbis in Oceano ad occidentem solem esset, ea Hispaniæ regibus cederet: quæ ad orientem spectaret, iuris Lusitani censeretur. Ita orbis terrarum ab ea Oceani ora in duas diuisus partes, duobus regibus perquirendus & obtinendus est traditus. ad quã quidem certè rem magna vterq; diligentia consequendam se dedit. Sed Hispanis vlteriora tentantibus, terra est obiecta continens paulò minus decies centena millia passuum ab Hispaniola protensa meridiem versus: atq; in ea populi sub rege bellum cum finitimis

finitimis gerente occurrerunt: quorũ fœminæ virum passæ, nullam partem corporis præter muliebria, virgines ne illam quidẽ tegebant. Regem ij suum honoris gratia sublime in humeris ferũt. Tum alij deinde populi capillo promisso, & liberali aspectu, auro atq; gemmis culti. Vino ij vtuntur albo nigroq́; ex quibusdam confecto fructibus, sapore delectabili. Post hos item alij, qui certarum se herbarum coloribus pullo & purpureo inficiunt: aspectuq́; sunt in pugna eam ob rem tetriore ac horribiliore. Demum gens inuenta agilis admodum, & item nuda, genitalibus tantummodo cucurbitula vel marina testa inclusis. Cadauera ibi regum & magnorum hominum desiccata in domibus asseruantur, eaq́; in honore magno habent. est etiã, vbi arida facta conterant, eoq́; puluere in epulis & poculis honoris causa vtantur. Postremò autem ad meridiem audacius in dies iter flectentibus Hispanis, cum vertex se subducere noster cepit, tum è regione alia quædã magnopere splendentium quatuor stellarum forma atq; series extitit, quã esse Australis verticis faciẽ crediderũt. Visi post hæc homines nostris longè proceriores, & magno ad obeundas pugnas animo. tum flumen refertũ insulis immani latitudine: patet enim amplius passuũ millia cẽtum: & syluæ arborum, quæ materiam habent ad tingendas lanas idoneam, aliarumq́; ita procerarum, vt eas viginti hominum extremis se manibus contingentium capere complexus sæpe nequeat. Siliquas hæ producunt longitudine palmari, pollice crassiores, lanæ mollissimæ concisæq́; plenas, quæ quidem ob tenuitatem & breuitatem deduci in subtegmina fusis non possit, sed ad farcienda strata culcitrasq́; magnopere sit idonea. Animal eæ syluæ nutriunt cuniculi

magnitudine, gallinis infestissimum: quod quidem fœminà loculum habet è pelle vtero adnexum, quasi vterum alterum, fœcundum vberibus, in quo catulos secum gestat, emittitq́; cùm vult. itaque si animal noxium videt, si venatores adesse intelligit, loculo illos recipit, & inclusos fugiens aufert: idq́; tandiu facit, quoad catuli per se, & quæ sibi vsui ad victum sunt, quærere, & vitam tueri possint. In ea terrarum parte homines impuberes in omni ætate sunt propè vniuersi, neq; vllos habent pilos. Iidem magnopere natandi artem callent, tum mares tum fœminæ: eiq́; rei à paruulis insuescunt. filios ex sororibus sibi hæredes instituunt, quoniam nō dubiè suæ gentis sunt. Mulieres adolescentes párere, seruile ducunt esse: itaq; si prægnantes fiunt, herba ad eam rem idonea abortum faciunt. cùm verò ætatis flos exaruit, tum pariunt, ac proli student. Sed quæ regio sunt sanguine, negare aliquid vlli viro, qui ex nobili sit genere, in turpibus habent rebus, ferè semper cū rege mortuo vxor vna & altera sepeliri vult eo cum ornatu, quem viuens adamauit: tum serui etiam, & clientes: ita enim se cum illo apud superos tota tempora victuros putent. Nonnullæ gentes Deorum imagines filiorum suorum infantium spargunt sanguine. Mitiores aliæ, sacerdotes ita habent institutos, vt barbam, si quam habent, aut capillum neq; tondeant, neq; pectant totius vitæ tempore. Quibusdam in locis propter paludes incolæ domos in arboribus ædificant, easq́; inhabitant cum vxoribus & liberis. Atq; omnibus ferè in continentis regionibus aurum ex fluminibus colligunt, aut ex vicinis fluminibus locis, non magna tamen diligentia (neq; enim numos cudunt) minutis plerunq; cum terra globulis, sed sæpe etiam librali pondere,

dere, ac nonnunquam multò maiorib. Gemmas verò maximeq; margaritas ij habent populi, qui Cubagæ, & Cumanæ, & Terarequi insulis (sic enim eas appellant) in Septentrionem versis paulùm à media cœli conuersione declinantibus sunt proximi: vbi eas vrinatores expiscantur, tanta cum mari assuetudine, vt semihoræ interdum spatiũ conchis margaritarum conquirendis sub aqua se contineant. Earum magna vis ab incolis regibus Hispanis tradita, nobilium fœminarum mundum facilè auxit. Atq; ea quidem omnia ante hos plane annos, quibus hæc à nobis conscribi cœpta sunt, contigerunt: nam quæ proximè gentes bello ab Hispanis sunt deuictæ, eæ porrò & vestiũ cultu, & oppidorum nobilitate, & bellandi studio, & hominum frequentia, & finium ac regnorum amplitudine, reliquis earum regionum omnibus multùm præstant, quorũ nonnulli solem & lunam, vti virum & vxorem, colunt. neq; impuberes planè sunt, venusta etiam forma, & probis moribus fœminæ, tum ornatæ gemmis præter cætera extremas quoq; suras ad talos vsq;. auro autẽ sic abundãt, vt parietes templorum ac domorum reges eo vestiant: & vasis ad victum domesticum propè omnibus, vti nos ab ahenis aut testaceis, sic illi aureis vtantur. itaq; victi magno auri pondere Hispaniam referserunt. Cum ijs, quos superius diximus, populis, Meßicum Temistanæ regionis oppidum egregium in lacu salsæ aquæ situm, sub Cancro ferè ad conuersionem positum, numerare nos oportet, cũ plerisq; non oppidis modò, sed etiam regionibus, ac magno terrarum spatio vectigale factum. quòd si quas etiam terras ad Australem verticem positas Hispaniæ imperio adiecerint æstimabitur, nullus propè antiquorum hominũ la-

bor eorum industriam æquauerit. Aliæ ex parte Lusitani, *classe ab rege comparata, in Austrum ab Hesperidib. conuersi, Africæq; promõtorio, quod Bonam spem appellant, traiecto, Aethiopici Oceani se primùm ostendentibus littoribus, ad continentem nigrorum hominum terram, quæ appellatur Cephala, naues appulerunt, auro diuitē, quod interiores eò important populi, vt res alias contrà mercentur, nullo id pondere aut mensura, sed tantum frustis ex oculorum fide atq; arbitrio permutantes, vt qui accipiunt, sæpe lucrum centupli faciant, atq; ibi arcem condiderunt.* Deinde ad Mogambicem regionem delati, portu egregio, *& aduenarum frequentia nobilem, arce item posita, eius sunt imperio potiti.* Labrum inferius hi sibi homines perforant, ossulaq; aut gẽmas foraminibus appendunt cultus honestioris gratia. Quiloæ deinde regem bello deuictum expulerunt, eumq; tenuerunt. Oppidani domus nostro more habent exædificatas, colore ipsi inter nigrum albumq; vestibus liberaliter induti. Alijs post hos relictis populis, mare Rubrum ingressi complures nigrorum item & bonorum hominum ac bello fortium ciuitates adierunt, qui natis statim fœminis naturam consuunt, quoad vrinæ exitus ne impediatur: easq; cùm adoleuerint, sic consutas in matrimoniũ collocant, vt sponsi prima cura sit, cõglutinatas atque coalitas puellæ oras ferro interscindere: tanto in honore apud homines barbaros est non ambigua ducendis vxoribus virginitas. Ac Lusitanis mediam Rubri maris partem transgressis, Zides se oppidum obtulit amplo cum portu, ad quod quidẽ Indici populi suas merces conuehebant: eas Aegyptij, qui eò loci mercaturæ causa quotannis conuenire consueuerunt, camelis imponebãt, Alexandriamq; perferebant:

ferebant: quas quidem Veneti merces, stato anni tempore eam ad urbem adnauigantes, coemebant, domumq́; conuectas omnium gentium mercatoribus, ea se de causa vulgò petentibus, venditantes, incredibili auri prouentu ciuitatem locupletabāt suam. Sed postraquā ad eas regiones Lusitani venerunt, magna rerum commutatio est consequuta: quicquid enim ferè mercaturæ causa ex omnibus Arabiæ Indiæq́; locis mare Rubrum importabatur, ipsi emere domumq́; conuehere cœperunt: qua adductus necessitate rex Aegyptius anno ab vrbe condita millesimo octogesimo, Zidēsium in portu, qui quidem in intimi eius maris sinu sunt, classem magno sumptu comparauit, vt ab Indiæ maris nauigatione Lusitanos auerteret, sed ab illis ad Dium in ostio Indi fluminis oppidum victus, classe capta atq; incensa, rem inchoatam reliquit. Zidenses nullam postea, vel omnino modicam rerum Indicarum aduectionem habuerunt: ita Aegyptios Venetosq́; instituta antiquitus mercaturæ ratio, quæ intercipi nullo posse tempore videbatur, aliò conuersa propè deseruit. Neq; hercule propterea Lusitani finem progrediendi fecerunt, sed ad complures Arabici, Persici, Indiciq́; insulas Oceani, atq; ad innumeros continētis portus cōuentusq́; hominum profecti, syluis felicibus odorum omni genere, ebore, argento, auro, gemmis beatos, se contulerunt: & Colocuete, oppido propter affluentem earum rerum quas in primis quærebant atq; adamabant; copiam, maximè omnium opportuno, prælijs secundis factis, & munitionibus institutis in potestatem redacto, eas regiones tenuerunt: Taprobaneq́; insula multorum mensium itinere post tergum relicta, quò nemo vnquam penetrauit, sui regis signa audacissimè felicissimeq́; intulerunt. Tametsi

maiore omnino audacia, felicitate autem nunquam aliàs audita, si vixisset, Ernandus Maglaianes Lusitanus fuit, qui Hispaniæ regum opibus classe comparata, vix initio in Austrum se flectēs, atq; vltra mediam cœli cōuersionē propter continentis terræ oras dextrorsum velificans, magno spatio ad polum versus peracto, vt illum longius altiorem, quàm nobis noster sit, eo in itinere habuerit, & freti, quod nunc Maglaianis appellant, angustijs trecentorum milliū passuum in longitudinem decursis, iterum ad medium cœli spatium se conuertit: deinde ad auroræ populos atq; insulas odoratarum arborum plenas, quas Molucas appellant, medium cōplexus globi solidi spatium peruenit, ibiq; pugnans interijt: postremò illius comitatus per Lusitanorum partis Oceanum labore plurimo vniuersi orbis terrarum nauigatione triennio confecta, in Hispaniam redijt: cumq; totius itineris enumeratis diebus rationem quam in tabulis habebat, repetisset, vno sibi annos illos die longiores factos, de dierū nominibus domi audiēs, reperit: qui omnino anni, si se is ad Orientē, domo profectus, conuertisset, ac contra solem vsquequaq; currens illud ipsum iter vniuersum confecisset, vno breuiores die redeūti sanè fuissent: semper enim tanto citius orienti soli occurrens, quanto plus itineris post se circumuectus reliquisset, emēso demum totius terræ globo, die vno prius solem sibi orientem, quàm cùm viæ se dederat, profectò habuisset. Eodem ferè tempore, quo legati Pascalici literæ ad Senatum venerunt, Aloisius rex Gallorum Tridenti per legatum suum Cardinalem Rotomagēsem, cui Mediolano proficiscēti (illi enim vrbi atq; regno præerat) Georgium Cornelium Brixiæ magistratū reginæ Cypriæ fratrem Senatus legauit, pacem cum Ma-

ximiliano

ximiliano imperatore certis cõditionibus fecerat: quarum illa erat maxima, vt is se regem Mediolani appellaret, ipse in corona, ex qua Maximilianus iure imperator dici posset, more institutoq; maiorum à Pontifice Max. Romæ tradenda, autoritate opibusq; suis præstò ei esse teneretur. Cardinali per fines reip. cum magno comitatu eunti & redeunti sumptus est publicè factus. Sed Barbadici, quem vita functum dixeramus, loco, Leonardum Lauredanum plurimis necessitudinibus & propinquitatibus atq; affinitatibus fultum, ciuitas sibi principem declarauit. Eo comitia primum habente, ædis Marciæ procuratio, quo in magistratu Philippus Tronus, cuius pater Nicolaus annos sex ciuitatis principatũ obtinuerat, illis ipsis diebus erat mortuus, Benedicto Pisauro classis præfecto magno fauore ciuitatis est delata. Eiusdem verò ædis procurationem eam, ex qua Lauredanus summum locum inierat, Marinus Garzonius alteris comitijs est adeptus. Classis interim Gallica itemq; Lusitana, quas vterq; rex, vt reip. auxilio essent, sese receperat missurum, non vno tempore altera Corcyram altera Zacynthum aduenniunt: tametsi neutra omnino earũ vlli reip. vsui fuit. Galli enim priores apud Zacynthum cũ essent, Pisauro non expectato, quem Auster ventus Corcyræ multos dies perincõmodè flans detinuerat, Rhodũ versus profecti sunt. Sed naues illas Aloisius ad Federicũ regẽ Neapolis regno expellendum inita cum Hispaniæ regibus societate comparauerat: itaq; pulso illo ac diuisis regni regionibus ex fœdere, vt Apulia Calabrisq; Consaluo eorum duci traditis, reliqua omnia Aloisius obtinuerit, classem, cuius præterea non magnopere indigebat iuuandæ ad speciem reipub. illò misit. Lusitani autem paulò pòst à Pisauro

Corcyræ perliberaliter accepti, cùm ille ab eis petijsset, vt secum aut ad Dyrrhachium recuperãdum, aut ad insulam Leucadiam oppugnãdam accederent, neutro negocio suscepto, quod dicerent suum sibi regem mandauisse, vt contra classem Thraciam vnà cum Veneta omnem belli fortunam experirentur, ab oppidis obsidendis aut omnino tentandis abstinerent, quo itinere venerant, domum discessérunt. Ea erat classis nauium onerariarum vna de triginta: quarũ quinq; satis magnæ, reliquæ pusillæ, sed omnes magna tormentorum vi & numero militum pulcherrimè instructæ, tum opertis singularum tegumento versicolore puppibus, vt latè aquã tentoria tangerẽt, fluctibusq; verrerẽtur (quoniam in nostris classibus id non fit, præterquam in nauibus longis: neq; illo impendio, sed ad vsum tantùm) inusitatã atq; egregiam classis faciem præbuerunt. illis destituti Patres classibus rogationẽ iusserunt, vt triremes in Creta insula decem armarentur, eisq; triremibus, quo libentiùs ciuitates imperata facerent, præfecti Cretenses imponerentur. Itaq; triremes ex naualibus, pecunia in stipendiũ ex ærario est in Cretam missa. Latum etiã, ne quid intentatũ Patres relinquerẽt, vt Frãciscus Capellus, cui legatione apud Aloisium functo Dominicus Triuisanus, Hieronymus Donatus de regno Neapolitano sub eius imperium redacto gratulatum à Senatu missi successerant, ad Henricũ Britanniæ regem socium atq; amicũ reip. proficisceretur auxiliũ in Turcas postulatum. Tametsi nuncij venerant, Baiasetem à rege Pãnoniæ bello lacessitum, suas vires eò conuertisse, nauiũ ædificatione intermissa: nam è Pannonia literæ ad Senatum datæ certiores Patres fecerant, Turcas equites, cùm Danubiũ flumen traiecissent, vt in fines hostiũ incursiones

fecerent,

facerent, à regio exercitu fusos, duobus millibus interfectis reuertisse: tum transmisso ab eodem exercitu flumine Turcas duobus itineribus interclusos maleq; habitos, partem suorum non spernendam, vnà cum duce filioq; ducis amisisse. Pisaurus profectis Lusitanis, vti classe Gallica se coniungeret, omnem diligentiam adhibuit: itaq; eam demũ ad Maleam nactus, muneribus & commeatu largiter præfecto classis missis ad Mitylenem expugnandam propè inuitus vnà se contulit, cùm Galli nihil ea de re antea cum illo communicauissent, neq; quid sui consilij esset, ab eo petijssent: nihilo tamen secius omnibus in rebus suam illis operã præstitit. Itaq; tormentis expositis Galli nostriq; oppidum aggressi, muro deiecto, repulsis atq; occisis propugnatoribus, magno impetu ipsum ceperunt. Arcẽ oppidi aũt, sine qua teneri oppidũ nõ poterat, cùm iã Veneti turri deiecta signa in muros intulissent, idemq; Ligures ex classe Gallica Venetis proximi fecissent, tamen capere non potuerũt, quòd duorum præfectorum interitu, quos hostes interfecerant, Galli perterriti se in castra receperunt. Erant autem ex Armoricis finibus plerique, qui suorum ducum dicto audientes non fuerunt: eos se recipientes cæteri omnes subsequuti, oppugnationem reliquerunt: ita victoria iam planè parta, si suum Galli munus obijssent, interpellata pedem retulit. Accidit autem ab Thracibus ea in oppugnatione res permira, quæ virtutẽ illorũ atq; animum ostenderet. Nam cùm tot nauibus oppidum obsideretur, tot hostiũ millia circunfusa ad muros stationes haberent, vna in biremi & tribus nauigiolis milites trecenti à Baiasetis filio è Magnesia, cui præerat, auxilio missi, in arcem se inferre velle non dubitauerunt: sed ab Gallis intercepti, cùm se fortissimè defen-

dissent, reliquis interfectis viginti eorũ Gallos elapsi, quò intenderant, tenuerunt, atq; in arcem recepti sunt. Praefectus classis ea spe deiectus, Pisauro relicto discessit: tempestate turbidissima deprehensus ad Cytherã insulam, naui sua elisa, ex hominib. quingentis, qui in ea erant, ipse perpauciq;, qui se in parte nauis fracta scopuloq; infixa continuerunt, euaserunt. Nauis ex huius classe altera cum sexcentis hominibus interijt. Pisaurus, multis diebus ad bellũ gerẽdum idoneis Gallorum causa frustrà consumptis, hyeme praecipiti se ad Melum insulã contulit. Fortè ibi Ericus Thrax, qui piraticam multos annos exercuerat, plurimaq; damna Venetis hominibus intulerat, quod ex Africa veniens naufragium ad insulam fecerat, captus à Melijs in custodia tum erat. Id simul est Pisauro nunciatum, Ericum ad se adduci imperauit, proptereaq; quòd is aliquot ante annos ciuem Venetum Ambrosium Contarenũ Francisci filium, cum quo mercaturae societatem inierat, nihil ab eo metuentem, cum eius naui per insidias contra iusiurandi religionem, apud Thessalonicam à se captum igni excruciatum necauerat, viuum comburi iussit. Haec dum foris administrãtur, domi, quòd pecunia publicè deerat, Senatus decreuit, vti quam ipse legem prius, deinde comitia huius belli initiò iusserant, vt magistratus omnes prouinciales atq; vrbani mediã stipendiorũ partem reip. remitterent, ea in annum vnum prorogaretur: itaq; primis anni diebus cùm in comitio Lauredanus, quiq; illi assident sex viri, & quadraginta virûm magistri eam legem pronunciauissent, Ioannes Antonius Minius, ciuis in dicendo satis audax, qui omnem suã aetatẽ, erat enim iam senex, causis agendis in priuatorum patrocinio cõsumpserat, eiusmodi concionẽ habuit.

Non

Non ignoro ciues magnam me rem, & multorum inuidiæ propositam suscepisse, qui sim contra Senatus præiudicia, contra magistratuum voluntatem, pro vestris commodis & vestra incolumitate liberè, quæ sentio, dicturus: neq; dubito, quin me pleriq; arroganter facere existiment, quòd ea quæ Patres conscripti iampridem iusserunt, vosq; ipsi rata esse voluistis, nũc Patribus iterum iubentibus, ego vnus, tanquam plus omnib. prouideam, improbaturus surrexerim. Sed me præstat omnem inuidiæ aleam atq; pericula subire, dum vos decipi, & reipublicæ muneribus spoliari, quoad potero, non patiar. Legem hoc bello, quod cum rege Thracio gerimus, in Senatu latam, vestris sententijs sancitam, præteritis expletam mensibus prorogare Patres decreuerunt, vti magistratus omnes, qui per nos creantur, mediam stipendij partem annum reip. remittant: itaq; Senatu approbante ad vos veniunt, vt eam ratam & sanctam habeatis. quid est hoc aliud, quàm velle vos qui liberos, qui vxores, qui domos familiasq; vestras, qui vos ipsos beneficio reip. magistratibus obeundis sustinetis, quando annum iam omnibus in difficultatibus confecistis, alterum non habere annum, vnde inopiam leuare & vitam tolerare vestrã queatis? An, quoniam diuitibus ea lege parum iri nocitum vident, reliquos, qui re angusta vtuntur, non respiciunt? est ne id alteros tanquã seipsum diligere? quo vno mediusfidius præcepto omnis humana societas continetur. Ego verò ciues sic existimo: quòd contra hostes nihil prosperè gerimus, aduersa verò multa & misera singulis diebus nunciantur, hoc ex fonte manare, quòd ipsi inter nos non amamus, neque quisquam alteri consultum vult: nemo, qui opibus pollet, ei qui debilior est, prospicit. Dij profectò immor-

tales, qui acta & cogitationes nostras perspiciunt, irati nobis infensiq; sunt, conatusq; nostros frustra suscipi, euanescereq; omnes sinunt, hostibus virtutem & consilia subministrant. Tria sunt omnino hac in vrbe ciuium genera: vnũ locupletum atq; potentiũ: aliud eorum, qui sunt dignitate opibusq; tenuißimis: mediæ inter hos fortunæ tertium. Primũ illud atq; summum, propter potentiam in tributa sæpe nihil dat, propterea quòd nemo principes viros cogere audet, qui plerunq; in magistratibus sunt, remq; pub. administrant. à medijs, quæ imponuntur publicè onera, multi magistratus exigunt: ab infimis planè vniuersi: nam ab ijs minimè resistitur: ita fit, vt qui rei minus habẽt, plus in ærariũ conferant: illi, qui omnia poßident, nihil tribuãt, nisi cùm libet: tanquam reliqui seruiant, ipsi regnent atq; imperent. quòd si diuites, fisco quæ debent, etiam dependant, nihil sit necesse curarum & laborum vestrorum obeundis magistratib. mercedem reip. condonari, vt in bellum pecunia suppeditet: ea summa omnis pro parte media tercentũ auri libras non exuperat. locupletũ & potentiũ reliqua si ratio subducatur, tantundem decies aut plus etiam conficient: illa exigite, qui præpositi estis pecuniæ publicæ magistratus: neq; vos fisco debentiũ autoritas deterreat, ne quid facere contra ipsorum voluntatem audeatis: abundè vobis aderit, quod quæritur: neq; tenuiorum, sed bonorũ tamen ciuium sudorem, aut potius sanguinem exugere cogemini. Quid autem? nónne ciues illud etiam vos impellere ad legem repudiandam potest, quòd multi magistratus, vt sit vnde se, liberosq; suos alant, non tam iustitiam in iurisdictionibus agitare, quàm seruire quæstui, & studere lucro statuent, dum ea, quæ iniuria sibi erepta existimabunt,

quoquo

quoquo modo sarciant? Quamobrem omnia passim erunt venalia, neq; immeritò, quoniam ita Senatus & ciuitatis principes decreuerunt. Animus mihi ciues eo anno tum, cùm primò lex est lata, suadebat, vt eius lationi contradicerem: sed me Senatus autoritas continuit, quòd existimabam ea vestra incōmoda annum tantùm duratura, neq; legem tam iniquam iri prorogatum verebar: ita me meæ cogitationes fefellerunt. nunc eò res est perducta, vt in vestra manu atq; sententijs tamen sit totius rei exitus. quòd si vos legem iterum iusseritis, quid erit causæ, quare non aut eam optimates singulis annis ferāt, aut vos, quod secundò probauistis, tertiò etiam & quartò sanciatis? ita res in exemplū cesserit: vos, cùm rumor belli aliquis paulùm excitabitur, statim plectemini: ea semper erit magistratib. opportuna erogandæ pecuniæ ratio: semper reip. beneficio spoliabimini, quod esse vestrum solidum atq; propriū debuerat. quare censeo vt legem reijciatis, ne, vestra quæ sunt, ipsimet proijciatis, néue vllis ab hominibus ludibrio vobis libentibus habeamini. Hæc cùm esset Minius concionatus, magna perturbatio comitium tenuit, quoad, quis ei respōsurus esset, sciri potuit, Lauredano Principe sua se è sella subleuante, qui stans dicere sic est exorsus: Valde me hodie ciues à mea de Ioāne Antonio Minio spe atq; opinione deceptum fateor, qui cum mihi heri esset dictum, contra legem, quam ferimus, verba illum apud vos velle facere, non credidi: neq; enim persuadere mihi poteram, huiusce ciuitatis hominem quatuor & sexaginta annos natum, qui aliquando rempub. attigisset, tam æquam, tam etiam necessariam rogationem, quam Senatus ipse frequens probauisset, esse impugnaturum. Quanquam fuere qui dicerent,

quoniam Minius *ad senectutem sine vlla dignitate peruenerit, semel tantùm anno superiore in magistratu adolescẽtulis mandari solito fuerit, id illum cogitauisse, si causam tenuiorum ciuium suscepisset, qui stipẽdio munerum reip. fraudari se magnopere indignantur, fore vt fauorem sibi atq; suffragia illorum ad magistratus adipiscendos conciliaret. quod quidem ego, vt reliqua, falsum esse facilè putaui: vos, qui melius hæc cognoscitis, quid sibi is hoc suscepto negocio voluerit, vobiscum reputatote.* Tu verò *Mini, solúsne es omnium, qui, quo impliciti bello duos iam annos versemur, quantas in eo impensas fecerimus, quantas facere necesse sit, quibus in difficultatibus cogendæ pecuniæ dies totos soliciti noctes insomnes conficiamus, vt hoc imperium ab hoste omnium acerrimo tueamur, nescias? remigum, militum, præfectorum nauium nostrarum, quos innumeros alimus, stipendia immane auri pondus requirunt: in arcium & oppidorum præsidijs multum pecuniæ insumitur: naualia vrbana tot classibus exhausta, magni æris singulis mensibus indigent, vt naues, vt tormenta, vt reliqua, quæ bello vsui sunt, nostris imperatoribus subministrent.* Regi *Pannoniæ, vt cum nostris hostibus bellum gerat, mille auri libræ ternis curationib. sunt ex fœdere quotannis dependendæ: his tot atq; tantis impẽsis pecunia suppeditari qui potest? ciues enim nostri, tributis innumerabilibus persolutis, amplius quod tribuant, non habent.* Pro*uinciales, noua pecunia imperata, agrisq́; suis præter morẽ censui addictis, conquerũtur: neq; quicquã, nisi coacti, fortunisq́; suis diuenditis, in ærarium conferunt. vectigalia reip.* portorijs *propter bellũ impeditis angustè redimũtur.* mercatores *nostri ad exteras nationes, exteri ad nos*

mari

mari cōmeare non permittuntur. Itaq; nisi nos, quorū maximè interest, quibus possumus rationib. reip. belli fluctib. iactatæ opē ferimus, quis omnino erit reliquorū hominū, qui ferat? omnes enim nobis alieniores sunt, quàm nos ipsi. Numi autem nerui bellorum sunt: sine ijs bellū gerere nulla natio potest. Nos quidem ciues, quos huic vrbi atq; imperio præesse voluistis, reliquiq; magistratus, qui nobiscū vnà remp. administrant, hanc inuiti legem, magnoq; nostro cum dolore ad vos ferimus, propterea quòd vrbes nostras ab hostibus capi, dirui, teneri, regiones vastari, populos dissipari, ciues nostros aut interfici, aut in seruitutem abduci multò peius est, quàm hanc munerū mercedis portionem pro sua quenq; parte reip. remittere. quæ adhuc mala & acciderūt, & deinceps accidere necesse est, nisi bellum magno apparatu, magnis opibus gesserimus. opes autem hæ pecunia comparantur. Minius, qui vobis, vt legem repudietis, suadet, illa suadet vt perpetiamini, dum, ne pecunia cōparari posśit, nititur efficere. Ego verò huius sum animi atq; sententiæ, vt à fanorum & templorum adytis aurum atq; argentum sacrum omne numis cudendis auferamus, quibus bellum commodius administrari posśit, potius quā ea, quæ cōmemorata sunt, perferamus, remq; pub. periclitari, atq; hoc imperium proteri ab hoste impurissimo, deterrimoq; permittamus: idq; nos Dijs ipsis libentissimis, quorum templa spoliabuntur, facturos puto. Verùm adhuc quidem ad id nos descendere nulla res cogit, modò vos hoc, quod multò est æquius, quodq; vobis facere nulla religione impeditis licet, quod ordo amplissimus probauit, vestris hodie sententijs, vestra in patriam liberalitate pietateq; iubeatis. Nam quòd Minius Deos nobis esse ira-

tos commemorauit, mihi quidem dubium non est, quin qui malè atq; perperam agunt, ij Deorum sibi iram pariant: itaq; præfecti nostri, qui improbè remp. gesserunt, partim interierunt, partim exilio ignominiaq; mulctati, Deorum numen suis infensum rebus, dignitatibus, rationibus habuerunt. Vos, si quæ decet, quæ tempus exigit, quæ status reip. turbulentus, quæ pecuniæ cogendæ difficultas in præsentia postulat, statueritis, nihil ab Dijs immortalib. timetote: prospera vobis omnia ab illis secundaq; aduenient. Quid, quòd vos iniustitiæ Minius insimulat, quos lege iussa in magistratibus obeundis iurisdictiones vestras ad quæstum cõuersuros putat? coniecturam scilicet de aliorum moribus à se ipse capiens, qui linguam atq; ingenium, ex quo primùm loqui cœpit, vsq; ad hos annos, atq; senium in lucro & quæstu semper habuerit, atq; opes sibi amplas ea tantũ ratione cõpararit: quasi nesciat, qui natura boni sunt, magistratibus initis in rebus difficilib. meliores porrò fieri, qui praui & mali, eos à Triumuiris, vel qui ad vrbem sunt, vel quos querelis populorum cognoscendis in prouincias mittitis, ad vrbana iudicia deduci, quibus à iudicijs improbè factorum pœnas luant: ita fit, vt aut suopte ingenio ciues duris in rebus afflictati, tanquam in cote virtutem subigant & exacuant suam: aut metu iudiciorum à maleficijs nullo non tempore aut rerum casu absterreantur. Ausus etiam tu quidem es Mini tria esse genera nostrorum ciuiũ dicere, locupletum, mediocriũ, tenuiorum: atq; hæc inter se dißidere ostendisti, dum à diuitib. in tributa nihil penditur, à reliquis onera omnia sufferũtur. regnare etiam illos dixisti, hos seruire, atq; in ea ciuitate, quæ, ex quo nata est, libera & sui iuris semper fuit. Id te non puduit in cõcione

esse

esse mētitum. Hoc quidem, esse tria genera, nihil impedio: id enim omnibus in ciuitatibus accidere consueuit: neq; aliter propemodum se habere hominū conuentus vllus atq; societas potest. Diuites verò nihil cōferre, cæteros omnia, hoc falsum & iniuriosum est: nulli enim homini parcitur: omnes peræque, quòd fisco debent, etiam soluunt: aut, si id per se nō faciunt, ab ijs qui præsunt, facere cogūtur. quære à fisci magistratibus rationes: subduci iube: reliqua ciuium inspice: nihil eorum reperies, quæ dixisti. An, quòd bona locupletum minus hastæ subijciuntur, mediorum autem et tenuiorum quotidie, propterea tu diuites conferre nihil existimas, reliquos omnino vnos omnia? malè tu quidē vrbis nostræ mores & rerum conditionem dispicis, aut te dispicere simulauisti. Diuites, quia soluendo sunt, sua distrahi nō sinunt, sed in ærarium sponte conferunt. quod cum reliqui nō faciunt, sæpe fit, vt eorum insulas, fundos, prædia, magistratus ad licentes transferant. Sed quid illud tandem est, quòd tu seruitutis & regni nomina in hāc remp. induxisti? alteramq; ciuium partem in alterius inuidiā trahere his impuris vocibus excogitauisti? an, qui ab vrbe cōdita vni atq; ijdem semper fuimus, nunc vt dissideamus inter nos, vt secessiones facere incipiamus, tibi vni esse optabile & conducibile existimas? id vis, id postulas, id efficere conaris. Vos appello magistri Decemuirū, qui sedetis, cui antiquitus magistratui ciues improbos coercēdi omnis est potestas attributa, uos ab eo huius rei causam reposcite. Bello, quod cū Ligurib. quartum gessimus, Italis populis atq; in reip. tēperatione constitutis, ærario exinanito maiores nostri edixerunt, si quis remp. pecunia iuuisset, cum se ciuitate & iure comitiorū muneraturos: itaq; bello con-

facto, eā ob causam triginta homines ad remp. admiserūt: ij totidem familias in nobilitatē intulerunt, quæ nostro iure, nostris munerib. nostro imperio deinceps sunt vsæ. Nobis hoc tempore bellū cum barbaris nationib. cum gente à nostra vitæ ratione, à nostris morib. alienißima, cū rege infestißimo ferocißimoq; gerentibus, vos huius reip. alumnos, vt patriæ laborāti succurratis, eius pecuniæ, qua vnà cum magistratib. ab ipsa rep. donamini, mediam partē eidem reip. pigebit restituere? Illi suam ciuitatem, nobilitatē, iura, imperia in exteros, propterea quòd in ærariū contulissent, libenter transfuderunt: vos vestrorum stipendiorum partem vestræ patriæ, vestris aris atq; focis, vestris liberis cedere grauabimini? nam nunc quidem, vt vestri liberi ne seruiant, est à vobis cautio atq; curatio adhibenda. Quis hoc in animum, nisi huius vrbis, horū templorum, huius comitij atq; curiæ hostis & euersor, posset inducere? Inuentus tamen est Minius, qui hoc vobis suadere sit conatus. Sed illū sua mens, suus animus, sui mores punient. Vos autem ciues, vos inquā ciues, quos scio vestræ ditionis atq; imperij, quemadmodum semper estis participes, ita nunquam non amantes fuisse, ne desinite, quod semel libentissimè fecistis, legem iterum velle iubere, iterum pro vestra in patriam charitate hoc, quicquid est incommodi, alacri animo annum alterum sufferre & perpeti, dum hæc reip. procella decedat, quæ lōginqua esse, nisi me meus fallit animus, non potest. confirmate vestris sententijs illud, quod eorum, qui ad gubernacula reip. sunt positi, sentētijs optimum esse factu videtis, statuite hoc iudicio, quàm cuiq; chara esse debeat suæ patriæ libertas, cùm ipsi vestræ libertatis causa, vestra vitæ præsidia reip. condonetis. ostendite

prouincia-

prouincialibus, atq; ijs, qui vestris legibus parent, quid ipsi facere debeant, quando vos, qui cæteros cogere potestis, communis omniũ vtilitatis causa, leges vobis vnis detrimentosas imponitis. nemo erit hac in vrbe, nemo in reliquis, vbi nomen Venetum viget, qui non vos summis laudibus efferat, atq; omnibus regendis populis & gentibus dignos putet, cùm intelliget, nihil vos muneris alijs præcipere, quin prius alterum tantũ, eoq; multo amplius, vobismet imperaueritis. Hac à Lauredano concione habita, vbi ille consedit, lex est ferri cœpta. Erant omnino in comitio iudices mille quadringenti quadraginta duo: ex ijs mille octoginta octo legem probauerunt, trecenti quadraginta septem reiecerunt: quibus non liquêret, fuerunt septem. Itaq; magno consensu ciuitatis lege iussa, Lauredanum omnes laudare, bonum esse Principem dicere, cui resp. curæ esset. Postridie aũt eius diei Minius ob concionem seditiosam à Decemuiris condemnatus est, vt in Arba Illyrici insula, quoad viueret, exularet, triginta auri libris ei, quicũque illum extra insulam captum magistratib. tradidisset, ex eius bonis cõstitutis: eiq; rei bona sunt pignori addicta: ipsi, vt laqueo vitam finiret, pœna addita. Illis diebus ignominiæ notam, qua Pisaurus in triremium præfectos quinque vsus fuerat, Patres in foro promulgari voluerunt. Ea nota erat eiusmodi. Dum classem Gallicam Pisaurus consequi cuperet, Paulus Nanus, Georgius Triuisanus, Marcus Antonius Decanalis, Nicolaus Barbadicus è colonia Cretensi, Petrus Capitellus Apulus, eius missu ad Malcam profecti, quòd Galli esse illis in locis dicebantur, in biremes Thracias septem inciderunt, quæ nauem onerariã hominum Cretensium à se captam remulco trahebant. Ea ro

animaduersa, biremes aggredi communi consilio statuerunt, itaque incitatis remigibus ad illas contenderunt. Sed cũ eis appropinquassent, timore impetiti remiges inhibuerunt, seseq; turpiter à congressu dimicationeq; continuerunt. Accidit autem paulò pòst, vt naues triremes aliquot è classe Gallica, quæ non longè aberat, idem conspicatæ, biremes Thracias magno animo aggrederentur, quæ quidem res auxit illorum dedecus, quòd eos reip. hostes, quos propter formidinem ipsi dimiserant, Galli, quorum minus intererat, virtute essent atq; animi præsentia consequuti. ob eam imbecillitatem atq; formidinem Pisaurus annos quinque à præfecturis omnibus illos remouit, stipendiaq; ab ijs emerita fisco addixit. Iisdem diebus Gabrielem Maurum, Andream Fosculum, Senatus legatos creauit, qui Ferrariã proficiscerentur Lucretiæ Borgiæ Alexandri filiæ, quam pater Alfonso Atestino Herculis filio in matrimonium spopoderat, Roma ad illum venienti, & ipsi soceroq; eis de nuptijs reip. nomine gratulatum. E Pãnonia verò crebriores allatæ literæ, Turcas pluribus locis fusos à regijs ducibus occidione, & præda ingenti facta, Senatui attulerunt: neq; tamen ob eas res classis curam vlla ex parte Baiasetes intermittebat: quam quidem curam cum magnopere agitaret, reficiq; naues veteres suis ducibus mandauisset, atq; id ei tardius negligentiusq; agi ab illis atq; administrari videretur, arcum sibi afferri & sagittas imperauit: quibus adductis, stantem ante se illum ipsum ducem, qui priore apud se erat loco, indignabundus transfixit. Restituerat idem rex paulò antè ad libertatem ciues Venetos, quos belli initio Byzantij in vincula coniectos in turri ad fretum seruandos miserat: ij se libris auri centum redemerunt: quorum è

rum è numero Andreas Grittus Id. Mart. ad vrbem redijt: eiq; est vniuersa ciuitas gratulata. Attulit is ab Admete Baiasetis duce literas ad Senatum, cum mandatis, vt si bello, quod inter ipsos & Baiasetem vigebat vellent finem imponere, mitterent Byzantium aliquem ad pacis conditiones tractandas: ei se adiutorem futurum. Interea Cæsarem Alexandri filium augendi regni cupiditas magnum in scelus & proditionem impulit. Nam cùm Guidi Vbaldi Metaurēsium ducis regnum, quod vnum ei deerat ad omnem Flaminiam obtinēdam, propter mirificum populorum in illum amorem aggredi aperto bello non auderet, neq; Venetos sibi permissuros vt illum expelleret, arbitraretur, neq; vllam haberet suscipiendi belli causam, Guido Vbaldo omnibus in patrem suum obsequijs, in se officijs beneuolentissimi coniunctissimiq; hominis planè functo, velle se bellum Camertibus inferre simulauit, vt ad fines Vrbinatium, quà iter erat ei faciendum, sine Guidi Vbaldi suspicione, tanquam aliò tendens, cum exercitu accederet: atq; vt bono se in illum esse animo fidem ei maiorem faceret, & suis eum opibus exueret, ne tueri sese posset communitior, à Guido Vbaldo, vt auxiliares ad id bellū copias cum tormentis muralibus ad se mitteret, pro amicitiæ iure per legatos postulauit. Iis impetratis, atq; missis, cùm ad fines regni venisset, repentè in illos hostiliter irrupit, & magna celeritate adhibita, quòd neminem obuium habebat, Vrbinum contendit, parumq; abfuit quin Guidum ipsum Vbaldum caperet. Sed is paucarum horarum beneficio, in iumētis agricolarum, & veste rustica, itineribus deuijs, quòd omnia nota loca per Cæsaris milites obsessa tenebantur, fugiens, Rauennam se recipit, atq; inde Mantuam est pro-

fectus, quam ad vrbē paulò antè vxor eius Elisabeta, Franciſci Mantuanorum ducis ſoror, pudiciſsima lectiſsimaq; ſe contulerat, cùm officij cauſa Alexandri poſtulatu Lucretiæ Borgiæ ad maritum proficiſcenti comes itineris fuiſſet. Ea re permotis Patribus, equites quingenti, pedites mille Rauennam ſunt miſsi, vt cum ijs copijs, quæ ibi erant, coniuncti, oppidi præſidium augerēt, ſi quid à Cæſare conſilij, cui fides haberi nulla poterat, contra rempub. iniretur. Neque multò pòſt Anna Candala, natione Aquitana, Aloiſij regis Gallorum propinqua, ad Vladislaum Pannoniæ regem, cui erat nuptui per legatos tradita, proficiſcēs Venetias venit cum magno vtriuſque regis comitatu. Ei fines reipub. ingreſſæ, ſumptus eſt publicè atque largiter factus. Ad vrbem vbi fuit, omnia in illam liberalitatis & beneuolentiæ officia profuſe collata, vt cùm exacto menſe diſcederet, Lauredano Principi dixerit, tum primùm ſe reginam ſibiipſi viſam, cùm apud illum fuit: poſtea verò quàm in Pannonia regiam exercere dignitatem cœpit, amica & beneuola reipub. omnibus in rebus ſemper fuerit. Interim Aloiſius rex domo diſceſſerat, vt in Italiam ſe conferret, Neapolitano bello, quod cum Hiſpaniæ regibus propter finium controuerſiam gerebat, auxilia comparaturus. Eo Mediolani finibus appropinquante, Senatus Bernardum Bembum patrem meum è prætura Veronenſi, qua in prætura tunc erat, legatum miſit, vt Aloiſio reip. nomine ſalutare iuſſo de aduentu gratularetur. Is regi ad Vigeuenum oppidum occurrit, eſtq; apud illum commoratus, dum is Mediolani fuit: ſed rege in Liguriam profecto ad auxilia in regnum Neapolitanum mari tranſmittēda, Veronam rediit. Dum hæc domi adminiſtrantur, à Piſauro apud Chryſopolim,

polim, atq; in sinu Thessalonico depositis militibus damna sunt plurima illata, prædæq; ingentes factæ: tum in Aegæo captæ naues onerariæ duodecim, biremes vndecim. atq; is ad Maleam cùm venisset, naues triremes Rhodiorum tres, onerarias duas, regis Gallorũ triremes quatuor ad se missas reperit. Neq; multò pòst Iacobus Pisaurus Alexandri legatus suas triremes cum Pisauri classe coniunxit. Erat autem vniuersæ classis nauium omnis generis numerus ad septuaginta: quibus cum nauibus de legatorum consilio ad insulam Leucadiam oppugnandam se conuertit. Eò cùm appropinquaret, Pontificis legatum præmisit, qui per vada eo ab latere, quod ad orientem spectat, oppidum aggrederetur. vadis autem ea parte insula maximè cingitur. Is accelerans per Diorictum in vada sese inferẽs, duodecim biremes, quæ ibi stationem habebant, eaq; maria percurrentes, Venetorum nauibus infensissimæ diu fuerant, & tunc, vt aditu classem prohiberent, occurrebant, omnes fugauit, pauloq; pòst vacuas hominibus occupauit, cùm ij sese raptim in littus eiecissent: quos oppidani fugientes receperunt. Iis captis, quòd illis in vadis erat à continẽti ad oppidum via aquis tecta, sic, vt equites commeare ea possent, ibi naues aliquot disposuit: quibus nauibus Thracum turmas equitũ tres, qui per illam viam, vt essent oppidanis auxilio, vicinis ex locis aduentabant, repulit: cùm tamen antea munitionẽ pro tempore, quæ transitum impediret, media in via effecisset. Ea Thraces munitione retardati, dum perrumpere conantur, tormentis se nauium vulnerandos præbuerũt: amissisq; perpluribus, duce eorũ equo deiecto, nulla parte munitionis perrupta, vnde venerant redierũt. Atq; idem interea legatus suorum militum partẽ equitesq;

omnes, quos in nauibus eam ad rem habebat, cum primo aduentu in terram exposuisset, atq; in oppidum contende re iußisset, illi itinere, quod quidem erat passuum millium quatuor, celeriter confecto, circumuecti audacißimè pugnantes, eo ipso die prooppidum capiunt. Pisaurus præfe ctus, quem mari reliquam classem ventis non secundis, qui eo die flauerant, circunducere oportuit, postero die ad oppidum oppugnandum sese contulit, ac muros quatere tormentis cœpit. Erant in oppido milites Thraces quingenti, qui se acerrimè vnà cum oppidanis defendebant: ij cum magna tormētorum vi oppugnatione non intermissa premerentur, septimo die deditionem facere voluerunt. is fuit dies ad diem tertium Calendarum Septēbris. Sed dum inter se ea de re consulunt, militibus irrumpentibus oppidum capitur. ipsi atq; oppidani captiui facti, præda omnis viritim diuisa. Hostes prima oppugnationis die Gabrielem Superantium triremis præfectum interfecerunt, capite pila ferrea disiecto. Eius frater Hieronymus adolescēs nullo reip. munere antea functus, paucis pòst diebus quàm id est Venetias allatum, magno comitiorum fauore in Senatu allectus est præteritis quamplurimis, qui & magistratus gesserant, & ætate longè præstabant. Patres vt primùm ex Admetis literis in spem pacis venerunt, propterea quòd hyems suberat, Pisauro mandarunt, vt triremibus viginti apud se retentis, classem reliquam domum remitteret. atq; ad regem Pannoniæ literas dederunt, quibus literis, quid ab Admete habuissent, certiorem illum fecerunt, velleq; se suum hominem Byzantium mittere significauerunt, atque ab eo petierunt, vt & ipse suum hominem eódem mitteret, quo maiore cum dignitate pax æquioribusq; conditionibus

bus

bus tractari conficiq; posset. Vladislaus intellecta re Patrū consilium probauit, facturumq; quod vellent, de legato se recepit. Illi Zachariam Frescum, Decemuirûm scribam, ire Byzantium iusserūt. Guidus Vbaldus regno amisso ad Aloisium regem Galliæ Mediolanum sese conferens auxilia in Cæsarem postulatum, vbi nihil in eo probitati & innocentiæ, contra perfidiam & crudelitatem esse præsidij cognouit, cum vxore Venetias venit. Patres eum lubentes exceperunt, & domo pro illius dignitate publicè tradita, bono esse animo iusserunt: qua ex domo paulò pòst, cum Metaurenses, Cæsaris arcium præfectis & militibus interfectis, oppidisq; aliquot receptis, eius imperio se subtraxissent, suum in regnum facilè rediit: atq; in eo ab Vrsinæ gentis principibus adiutus, deuictis hostibus suam dignitatem aliquot menses obtinuit. Ea rerum mutatione pleriq; se populi reip. commendauerunt, orantes vt se in deditionem reciperet. Est in Ariminēsium finibus mons excelsus, duplici iugo, quà mare prospicit, præruptus: alia parte decliuitatem habet latè in occasum patentem, vinetis & segetibus vberem. Illis in iugis duæ arces sunt summa in crepidine, quibus oppidum subiacet, ciuitasq; montanorum hominum, qui remp. administrant, neq; vlli regi seruiunt. Crepidines Pinnæ Marinianæ appellantur. Ii & ipsi, ne ab Cæsare in seruitutem redigerentur, cùm magnopere timerent, Senatui eo tempore significauerunt, velle se sub eius imperio esse: mitteret ad se aliquem reip. nomine, se illius dicto audientes futuros, imperataq; facturos. Sed neq; hos, nec cæteros, qui se reip. dedere cupiebant, Patres recipiendos censuerunt. Miserant inter hæc reges Hispaniæ ad Senatum Laurentium Suarem, illum eundem qui legatus eo-

rum bello Gallico apud remp. fuerat: is clàm itinere per Galliam confecto, paucis ante Calend. Decembris diebus ad vrbem venit: atq; illi auri libra singulis est mensibus in sumptum à Senatu cõstituta. In primis apud Lauredanum Principem & Patres sermonibus Suares de Aloisio rege Gallorum questus, quòd fœderi cum suis inito regibus nõ stetisset, vt cui neq; sua, neq; aliena satis essent: ab eius amicitia Patres auertere modis omnibus est conatus, illum affirmans propterea Cæsaris rebus tanto studio fauisse, vt esset qui reip. finibus immineret, neq; quiescere illam sineret. gaudere implicitam esse bello Thracio ciuitatẽ. quam ad eos classem miserit, ad speciem, non ad vllam reip. frugem misisse. id euẽtu patuisse, quòd obfuerit potius, quàm vlli vsui fuerit. Hispaniæ regum voluntatem omni tempore cum reipub. voluntate consensisse, quoniam vtrique fidem & pietatem colerẽt: si se ij fœderibus vnà firment, neminem nocere eis posse. Hæc & his similia de Suare non semel à Patribus audita, tametsi vera esse pleraq; cognoscerent, illos tamen non mouerunt, vt quod ipsis cum Aloisio fœdus intercedebat, vlla ex parte violarent: tantùm dicere, sese Hispaniæ regum fidem atq; virtutem, & propensum in remp. animum, plurimi sanè facere, semperq; facturos: cum Aloisio fœderis conditionibus se teneri: molestè ferre bellum inter ipsos exerceri potius, quàm vigere pacem: si quid possent ad reconciliandam inter eos gratiam, de eo si admoneantur, se non defuturos, amicißimorumq; hominum officio in vtrunq; functuros. Cum Vladislao autem Pannoniæ rege, de legati ad Baiasetem mißione diem ex die ducente, propterea quòd pace cum illo à Senatu inita, nisi nouæ sponsiones intercederent, stipendijs reip. carendum

rendum ipsi erat:ne res tanta differretur, legati reip. pacti sunt, vti mille auri libræ, regi annis singulis ab Senatu bello Thracio dari solitæ, ad tercẽtum redigerentur, quoad Baiasetes viueret, tribus item pensionibus persoluendas. Alexãder cùm vidisset Guidum Vbaldum Vrsinæ gentis studijs regnũ suum recuperauisse, orando, territando, magna pollicendo, eius familiæ principibus in suas traductis partes, fœdus cum illis percußit. Simul ab Aloisio missis ad se auxilijs Cæsar, magnisq; copijs vndiq; comparatis, Guidum Vbaldum, quem quidem sine spe, sine opibus destitutum amici deseruerant, iterum regno expulit, cùm tamen ille munitißimum natura totius regni oppidũ, misso ad id custodiendum Octauiano Fregosio adolescente sororis suæ filio, cum militibus, & omnium rerum pro tempore copia, cõmunitius factum obtineret. Vrbinatibus receptis ad Senogalliam oppugnandam Cæsar primis anni diebus rectà profectus, vbi ciuibus sine mora se dedentibus oppido est potitus, Vrsinæ gentis principes eos ipsos, cum quibus paulò antè fœdus percusserat, quiq; secum vnà venerant, omnes in vincula coniecit: eaq; de re Alexandrum patrem mira celeritate certiorẽ fecit. Ille statim Baptistam Vrsinum Cardinalem, qui fœderis autor fuerat, magna apud suos autoritate, nihil eiusmodi verentẽ, ad se vocatum custodiæ tradidit: qua in custodia paucis pòst diebus est mortuus, coniectis ab Cæsare in vincula partim nocte proxima, reliquis in Senensium fines adductis, quò Cæsar cum exercitu contenderat, laqueo gula fracta. Idem vitæ finis Venantio & Octauiano adolescentulis, Camertium regis liberis captis à Cæsare, Pisauri datus. Pater eorum regno amisso clã elapsus, paulò pòst ad vrbẽ venit. Ob eas Cæsa-

ris actiones, qui cum Camertibus Ariminum etiam in suã ditionem redegerat, Senatus, vti suos fines magis cõmuniret, Liuianum Carracciolumq́; cum equitibus & militibus Rauennam misit. Guidus Vbaldus hostem fugiẽs cùm se Pitilianum in Hetruriam contulisset, diesq́; cõplures ibi fuisset, Cæsare Pitilianum bello aggredi velle dictitante, vt illum interciperet, magno cum periculo per Senarũ & Florentinorum agrum in fines reip. atq; ad vrbem se recepit: cui à Senatu libra auri dono in sumptum singulis mensib. constituta. Quoniam autem libido ea inter ciues creuerat, vt quamplurimi sacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, Romæ coemerent, quæ in vrbe eius rei consuetudo facultasq́; ab Alexandro instituta latè palamq́; inualuerat, Decemuiri sanxerunt, si quis in posterum id faceret, eius bona fisco inferrentur, ipse ab vrbe atq; vrbis finibus quandiu viueret exul esset. Neq; multò pòst Ioannes Michael ciuis Venetus Cardinalis, qui Pauli secundi Pont. Max. sororis filius fuerat, Romæ veneno interijt, quod ei Alexander à præfecto Michaelis epularum dari iußit. Causa interficiendi hominem fuit aurum atq; argentum, quod is habere existimabatur, quarum omnino rerum inexplebilis Alexandri animum cupiditas ad omnem iniquitatem incendebat, vti filio pecuniam exercitib. alendis suppeditaret, quo is Italorum principum regna occupare celerius posset se iam sene. Minister veneni haud multò pòst, Iulio Pont. Maximo re per indicium enunciata, in vincula coniectus, quæstione habita sui sceleris pœnas persoluit. Baiasetes interim inducijs cum Sophi Armeniæ rege initis, cũ quo sibi atrox bellum intercedebat, ad bellum Venetũ solutior factus, animos, quos deiecerat, sumpsit, deq́; pace cũ

repub.

repub. nihil se facturum dixit, nisi Veneti Leucadiam sibi insulam restituerent. Patres de eo per Admetis ad Andream Grittum literas per'q; nũcios certiores facti, ne diutius eo bello contererẽtur, pacem cũ Baiasete fecerũt, Leucadiamq; insulam, cuius oppidum magna impensa Pisaurus longè firmius iam communitiusq; fecerat, Baiaseti restituendam curauerunt, Pisauro domum reditione permissa. Ea de pace vti Dijs immortalibus gratiæ agerentur, atque auri libræ tres dono in sacerdotium collegia distribuerẽtur, Senatus censuit. Et quoniam Baiasetes legatũ suum vnà cum Zacharia domum redeunte ad vrbem miserat, vt quando ipse legato reip. iusiurandum dederat, fore de pace, vti pollicebatur, ita is dando item à Lauredano Principe iurijurando præsens adesset: Senatus Andream Grittũ legauit, qui ad Baiasetem cum eodem legato reuerti properante proficisceretur. cui legato vestis aurea, & itẽ serica, cum ternis auri libris dono data. Eadẽ est pax aliquot pòst menses à Baiasete cum Vladislao rege Pannoniæ inita. His rebus ita constitutis, ab Aloisio rege Galliæ missus ad Senatum legatus paucis ante Calendas Quintiles diebus postulauit, vti nouum suo cum rege Patres fœdus sancirent. Is fuit Ioannes Lascaris Byzantius, græcis literis eruditus. atq; id ea de causa rex procurandum sibi & contendendũ statuerat, vt quoniã Consaluus Hispani dux exercitus in Brutijs suũ exercitũ interfecto duce fuderat, fugauerat, regnumq; Neapolitanũ propè omne sub regum suorum imperio redegerat, renouato fœdere Veneti cum Hispaniæ regibus bellum vnà facere tenerentur. atq; vt ad eam rem Patres animum inducerent, amplissimæ ab Aloisio cõditiones proponebãtur: quas omnes Senatus respuit,

veteri se fœdere contentum dictitans. Alexander veneno, quod furtim dari Adriano Cardinali familiari suo iusserat, cuius in hortis vnà cum Cæsare filio cœnabat, per ministri imprudentiam epoto, quintodecimo Calendas Septembris excesit è vita. Cæsar eodem haustu penè absumptus, difficilem in morbum incidit. qua in re Deorum immortalium mens & voluntas visa est magnopere affuisse, cùm ij, qui plurimos & Romanæ reipublicæ principes, & clientes suos, vt eorum opibus & thesauris potirentur, veneno necauerant, & tunc suum hospitem atq; alumnum adiungi ad reliquos, necariq; mandauerant, eo ipso in ministerio semet pro illo interficerent. Illis diebus Benedictus Pisaurus claßis præfectus vir egregia virtute, cùm se ad reditum compararet, valetudine impeditus Corcyræ interijt. Patres ob Alexandri mortem id, quod re euenit, existimãtes fore, vt multa oppida malis artibus ab Cæsare capta eius imperium essent detrectatura, præfectis aliquot Rauennã mißis, copiarum, quæ ibi erant, numerum duplicauerunt. pauloq; pòst Decemuiri Christophorũ Maurum, vnum ex quinqueuiris, qui res bellicas in Senatu procurant, legatũ creauerũt, atque in Flaminiam contendere iusserunt, vt, si quod ex Cæsaris oppidis sponte reip. se dederet, ab eo reciperetur. Cumq; complura iam Romanorum principũ castella pagiq; eiectis aut interfectis Cæsaris ministris ad priores dominos redijssent, Pisaurum, Ariminum, Camerinum Senogallia, etiam Populonia, cuius regẽ Cæsar expulerat, oppidumq; cœperat, idem factura dicerentur, Guidus Vbaldus, & ipse suum ad regnum recuperandum à popularib. accersitus, triginta auri libris à Senatu mutuò acceptis viæ se dedit, eoq; adueniẽs omnibus ab oppidis magna gratulatione

tione est receptus. Cæsar, non tam quòd esset morbo implicitus, quàm propter Romanorum *ciuium in sese odia vitæ suæ metuens, quicquid equitum & militum habebat, in vrbem introduxit. Ea re accidit, quòd accidere erat necesse, vt Cardinales qui iam propè omnes conuenerant, ad nouũ* Pontificem *legendum, ne facere id possent, Cæsaris exercitus timore impedirentur. qua intellecta re Senatus literas ad eos dedit, si ita opus esse ducerent, se celeriter omnes suas copias* Romam *missurum, quibus facilius* Romanæ *reipublicæ maiestatem, & suam dignitatem tueri, &, quæ ex vsu essent, administrare liberè ac sine metu possent.* Antonius *etiam* Iustinianus *legatus coràm idem est pollicitus Senatus reip.q; nomine: quod quidem illis tam suspecto tẽpore gratũ ac per opportunũ fuit: ea enim re permotus, ne in se remp. incitaret,* Roma *cum suis omnib. egressus copijs* Cæsar, Vaticanum *sacro Senatui reliquit. Interim à* Guido Vbaldo *nuncius ad Senatum venit, sese regnum & salutem suam illi acceptam referre, cupere cum equitibus grauioris armaturæ centum, leuioris, qui sagittis vterentur, centum & quinquaginta, stipendia reip. facere: milites se habere paratißimos numero ad duo millia, quibus sine stipẽdio mẽsem eoq; amplius Senatus vti poßit: rogare, vt in eius fidẽ recipiatur. Cognitis his postulatis, satis est ei omnib. in rebus ab Senatu factum, atq; auri libræ centũ annuæ in stipẽdium constitutæ. Cardinalium collegium, Cæsaris abitu liberum factum, Cardinalem Senẽsem Pont. Max. creauit, qui se* Pium *tertium appellari voluit. Huic ante mẽsis exitũ vitiatæ tibiæ doloribus mortuo, succeßit* Iulius *secundus* Ligur, *quem resp. Pontificẽ fieri maiorem in modum cõcupiuerat, eiq; rei omnem suam operã adhibuerat. Sed* Pio *vita*

fruente Iacobus Venerius Rauennæ præfectus, Cesenam ab eius oppidi ciuibus accersitus, qui se reip. dedere volebãt, cum militibus noctu se contulit frustrà, propterea quòd non ea, quæ inter ipsos conuenerat, sed nocte postera eò venit: illi autem cùm se superiori nocte ad illum recipiendum comparauissent, neq; is se ostendisset, studium & diligentiã remiserũt. Accidit autem ob eiusmodi moram, vti Cæsaris militibus res in suspicionẽ veniret, qui ad portas & in muris stationes habuerunt: itaq; Venerius infecta re Rauennã rediјt. Paucis pòst diebus Petri Remiri Hispani, qui Fori Liuij arcem munitissimam Cæsari custodiebat, nuncius Rauennam ad legatum venit, si resp. eam arcem velit, Remirum illam traditurum, modò ei liceat, quæ in arce sit supellex Cæsaris, Rauennam atq; ad vrbem asportare: tum ab Senatu præfecturam habeat equitum quinquaginta, totq; in vrbe insulas, quibus ex insulis duarum auri librarum fructus annuus ad sese redeat. Ea intellecta re Senatusconsultum factum est, legato licere præfecto arcis fidem dare reip. nomine, fore, quemadmodum velle se ostẽdisset, arcemq; ab eo accipere, atq; ea de causa Forum Liuij accedere cum ea copia, quam ex vsu esse reip. statuisset: neue quis eam rem enunciaret, à senatoribus omnibus iusiurandum datum. Deinde Romani interregni diebus cùm Pandulphum Malatestam, qui Ariminum à Roberto patre traditum aliquot annos iniustè regnans obtinuerat, & ab Cæsare eiectus oppido fuerat, eò cum copiјs accedentem oppidani repulissent: Guidus Vbaldus per legatum suũ Senatui significauit, Pandulphum cupere, vt quoniã oppidani adduci non poterant vt ei sese dederent, reip. autem imperiũ magnopere optarent, Senatus oppidũ reciperet: spera

re

re sibi ab rep. nō desore vitæ pro dignitate traducēdæ facultatem: itaq; si Senatus iubeat, ipsum eam rem curaturū, quo Ariminenses magnopere cōsiderent. quamobrē Senatus censuit legato respōdi oportere: si Guidus Vbaldus, vti Ariminum oppidum reip. se dederet, suo studio & autoritate, quā cum illa ciuitate habeat, effecisset, eam rem Senatui gratā fore. postremò cùm Guidus Vbaldus aliquot pagos & castella ex Ariminensium & Cesenatium finib. valde vel cōmunita, vel propter agrorum bonitatē opportuna, vi expugnauisset, & Senatui significauisset, ea se omnia reip. traditurum, modò id se non nolle ostendat, alterū Senatusconsultum factū est, ea recipi Senatui placere. Tū Fauentinis ciuib. aliquot, qui Rauennā ad legatum venerant, reip. sese dedere cupientib. idem vti legatus eis ostenderet, imperatum. & quoniam Arimini, Fauentiæ, Foriq; Cornelij arces munitißimæ singulatim à præfectis Cæsaris obtinebantur, quorum pars reip. eas vendere cupiebat: latū, vti de cōditionib. cum eorum nuncijs legatus ageret. Russium præterea in Fauentinorum, & Archangelianum ac Sauinianū, in Ariminensiū finib. pagi frumentarij, & magna vterq; fertilitate, itemq; castellū Vrbinatib. finitimum summo in iugo, quod incolæ Montisflorē appellant, reip. deduntur. Etiā Fauentiæ ager propè vniuersus vnà cū arce oppidi egregia, legato cū copijs accedēte in fidē recipitur. Quo ferè die allatū est, Iuliū Pontificē Max. esse factū: itaq; in vrbe omnes magnopere lætari, oppido egregio ad reip. imperiū accedente, & Iulio Pōtifice, in quē Senatus largiter omnia sua studia atq; officia cōtulisset, lecto. Ipse verò Iulius cū ad eum gratulatū Antonius legatus accessisset, hominē hilariter cōplexus, omnia se reip. debere profi

teri: nihil esse quod de se Senatus polliceri sibi non posset. Cumq; ab legato sermo de Cæsare institutus esset, propterea quòd nonnullis ab hominibus prædicabatur, illum ab Iulio fotum ac defensum iri: legato, vti nihil eiusmodi vereretur, fidem fecit. Illud etiam se dixit cupere, vt quæ Cæsar poßideret in Flaminia oppida, ea illi eriperentur. quæ quidem certè oratio gratißima ciuitati fuit. Inter hæc Pandulphus, nonnullorum factione inter eos excitata, ab Ariminensibus recipitur. Florentini quòd ægrè ferrent Fauētiam in reip. potestatē venire, copias miserant, quæ ciuiū parti, qui secū sentiebāt, auxilio essent, vt sibi potius, quàm reip. se dederent. Ea pars milites & agrestes homines in oppidū introduxerat: ab ijs reliqui perterrebantur, ne portas legato aperirent: itaq; milites, quos Guidus Vbaldus Senatui pollicitus fuerat, legatus ab eo accersit: alios cōparat, et delectum habet: tormenta adduci imperat, equites mittit, qui Florentinorum copias in montibus morentur et repellant. Dum hæc foris administrātur, Senatus legatos creauit, qui Romā proficiscerentur Iulio Pont. Max. gratulatū, ob propensam in illum reip. voluntatē, octo: quod ante eam diem nunquam acciderat, vt tot legati ad Pontificem non Venetum mitterentur. Florentini, cùm potiri Fauentia nō possent, per Frāciscum Soderinum ciuem suum Cardinalē egerūt, vt is suspectā Iulio remp. faceret: omnes eius oppidi fines, arcemq; oppidi iam in reip. potestate esse: oppidū etiam breui futurum: id illam, non tā vt ab Cæsare malè parta extorqueantur, quàm vt sibi acquirat, contendere, et tantopere conari: quod semel Veneti ceperint, nunquā eos reddere cōsueuisse: ipsum eam rem serò cogniturum, cùm iam ij rerum domini eius permissu fuerint. De eo Antonius legatus

gatus certior factus, vt Senatum purgaret, Iulium adijt, rogauitq; ne reipub. calumniatoribus aures tribueret, quos non defore sciebat. cumq; quod visum fuit in eam sententiam dixisset, Iulius neq; se quicquã credidisse ijs, qui maledictis remp. insectati essent, respondit, neq; in posterum crediturũ: scire, se amari à Veneta ciuitate, eiusq; rei permulta habere indicia: & ipsum contrà amore summo erga illam affici: gaudere etiam, cùm quis se ob id non Ligurem, sed Venetum appellet: quod quidem iam fieret ab ijs, qui tantam ipsius & reip. coniunctionem, & inter ipsos beneuolentiam molestè admodum ferunt. Sed quod ad Cæsaris regnum ditionemq; attinet, cupere se, vt quæ in Ro. reip. imperio ante illum erant oppida, eidem reip. restituantur. Hoc sermone habito ab se legatum dimisit. Inter hæc Pandulphus ad vrbem venit: qui cũ vereretur sese Ariminum propter ciuium infensam in se voluntatem obtinere diutius non posse, ad id, quod per Guidum Vbaldum paulò antè Senatui proposuerat, redijt, atq; Ariminum reip. certis cõditionibus tradidit. Itaq; Dominicũ Maripetrum legatum, qui oppidũ, & Vincentium Valerium qui arcem reciperet, Patres Ariminũ miserunt. Pandulpho posterisq; eius Citadella oppidum in Patauinorum finibus, & paulò pòst ciuitas cum iure comitiorum ipsi et Carolo fratri eius data. Pãdulphus etiam in reip. militiam receptus, eiq; præfectura equitum attributa, vxori & fratri Carolo quinque auri libræ annuæ vtriq; constitutæ: alteri ex liberis duobus sacerdotia liberiora promissa, quot petierat. ipsi datæ dono in præsentia auri libræ centum. Ea de re per Antonium legatũ Senatus Iuliũ certiorẽ facit, qui in eo perseuerat, vt velle se ostendat, quæ fuerint Ro. reip. oppida, ei restitui:

itaq; petere à Senatu, vt auxilio suo atq; opibus ad ea recuperanda sese iuuet. Miserat ante illos dies Senatus alterum Fauentiam legatum, Nicolaum Fuscarenum, ad oppidi oppugnationem maiore studio & celeritate procurandam, lentè adhuc administratam existimãs. Iusserat etiam, vt Nicolaus copiarum reip. præfectus cum ijs Fauentiam contenderet. Is statim viæ se dedit. Sed antequam Rauennam perueniret, muro tormentis percusso, legatisque proponentibus se oppidum ad prædam militibus daturos, si ciues deditionem differant, ante diem tertiumdecimũ Calendarum Decembrium Fauentia deditur. Venetias vbi de eo est allatum, Senatusconsultum fit, ne Iulij animus irritetur, nihil oppidorum Cæsaris recipi amplius ab legatis oportere: satis in Arimino atq; Fauentia reipu. factum. Deinde legatorum alter iussus Ariminum se conferre, honestandi oppidi causa. Iisdem diebus Andreas Grittus, quẽ Senatus ad regem Thraciam miserat, pacis conditionibus aliquot in reipub. vtilitatem recognitis, ipsa rectè firmata domum redijt. At cùm paulò pòst Roma Antonij legati literis Patres intellexissent, multorum sermonibus confirmari Iulij permissu Cæsarem ad suum in Flaminia regnum propediem reuersurum: proximo Senatusconsulto rescisso literæ sunt ad legatos ab Senatu datæ, vt quiquid possent, de Cæsaris ditione reipublicæ addere capereq; festinarent. Ea re euenit, vt Meldulam in Ariminensi agro, & Tosinianũ in Foro Corneliensi, pagos muris arcibusq; cõmunitos, missi ab legatis equites ad reip. imperiũ libentissimos adiecerint. Post hæc Angelus Episcopus Tiburtinus, qui Alexandri legatus aliquot annos apud remp. fuerat, eoq; mortuo Romã redierat, iterũ missu Iulij Venetias venit

nit eodem legati nomine. Is primo aduentus sui die sa[illegible]e ab Iulio Lauredanum Principem & Patres iußit huma-nißimis amantißimisq; verbis: eisq; gratias ingentes agere illum dixit, quòd in se iuuãdo, vt Pon. Max. legeretur, multum operæ studijq; contulissent: plurimumq; ex ea se re debere Senatui libenter profiteri, neq; vnquam eius officij memoriam abiecturum: amare insuper sua spõte Venetam ciuitatẽ, remq; pub. optimis vtẽtem & institutis & legibus: itaq; omnia ei omni tempore tributurum, quæ ex dignitate sua tribui amicißimis hominibus poßint. Hoc sermone habito appellatis suo nomine Patribus, quibus cũ priore legatione assueuerat, discedit, mandata reliqua, quæ longioris essent moræ, in aliam se differre diem pronuncians. Ea dies vbi venit, secretò apud illos, Decemuirûm adhibitis magistris proponit, velle Iulium & petere, vti Ariminũ & Fauentia, quæ interceperint de Romana ditione oppida, ea ipsi restituantur: rogare etiam, vt ad reliqua recuperanda eum iuuent: decreuisse enim, ne vlla Cæsari turricula, cui imperet, relinquatur, sed omnia eò redeãt, vnde recessere. Patres questi, non esse hoc illud, quod ob suã in Iulium pietatem & studium ab eo expectarent, rem ad Senatum deferunt. Senatus censuit legatò respondi oportère, quòd Ariminum & Fauentiam resp. ceperit, ea ab Cæsare homine importunißimo crudelißimoq; cepisse, Iulio ipso, antequã Pontifex Maximus fieret, hortãte, facto autẽ permittente atq; assentiẽte: eaq; oppida, vti à vicarijs obtineri solita, remp. modò sua fecisse, reliqua nõ attigisse: quæ si uoluisset, non fuisse difficile capere, atq; retinere: eorũ duorũ oppidorum nomine se vicariã Romanæ reip. velle esse, vti priores domini fuissent. quid in eo Iulius amitteret? qua-

re, ea sibi esse retinenda statuisse. quod ad eum ad reliqua iuuandum attineret, suas omnes copias atq; opes polliceri: eis ille tanquam suis vteretur. Hæc responsi lex. Illud autem hortatorem Iulium eius negocij fuisse, verißima Senatus oratio fuit: nam cùm apud Iulium Antonius legatus Pij Pontificis regno in eum sermonem esset ingressus, vt de Cæsaris iniustißima Flaminiæ possesßione quereretur, autor reipublicæ eius magnopere consilij Iulius fuerat. Is de rebus sæpe vltro citroq; datis ad legatum Roman literis & acceptis, Iulio à sententia non recedente, affirmāte interdum potius, quoniam sibi ad bellum cum rep. gerendum vires non suppeterent, se à Christianis regibus auxilia contra eam imploraturum, quos sciret Romanæ reipublicæ opes eorum egenti nunquam defuisse. Antonio autē legato ipsum illum ab eo nondum Pontifice habitum secum sermonem repetente, atq; vt eius reminisceretur, ab illo postulante, cuius omnino rei Iulius satis idoneam afferre excusationē non poterat: tantùm inquiebat, quæ nō Pōtifex dixerit, ea se expēdere non oportuisse. Annus ad exitum labitur: itaq; prima insequentis anni die Antonius oratione apposita & leni Iulium satis hilarem aggressus familiariter petijt, vt quoniam ea die clientibus atq; amicis dari munera consueuissent, ipsi dono reip. tam illi deditæ, tam affectæ atq; amanti daret, vt Ariminum & Fauentiam eo libente obtineret, quo ipse vellet nomine. Ad quæ subridens Iulius ita respondit: Ageret ipse cum repub. vt Toßinianū, quod esset in Fori Cornelij finibus, postremò captum, ante omnia restitueret, post id de Arimino atque Fauentia peteret, aliquid fortasse impetraturum. Hoc Iulij sermone ad ad Senatum Antonij literis celeriter perlato, dum de eo Patres

tres consulunt resq; altercatione magistratuũ ex die in diem reijcitur, Angelus legatus literas Iulij Patribus reddit: quibus literis omnem illis spem Iulius adimit, aliter inter se remq; publicã non posse conuenire, quàm si ablata restituantur: id ni fecerint, Deos se & homines in auxilium vocaturum, atq; ad omnia descẽsurum minatur. Tum verò Patres magnopere turbari, idq; se ab Angelo magis, quàm ab Iulio agnoscere, qui de Senatus in illum voluntate perincommode sæpe scripserit, cùm moderatius atq; sedatius agere debuisset, Iulijq; animum, quem quidẽ cùm iracundum per se, tum calumnijs maleuolorum incitatum & succensum, restingui bonis verbis oportebat, digna atq; indigna cõgerens malis persuasionibus inflammauisset. eóque magis indignabantur, quod omnia, quæ in Senatu secretò agitabantur, idem cognoscere modis òmnibus nitebatur, dabatq; operam vt ea quamprimùm Iulius intelligeret, odiosasq; ad eum literas dabat. Illud etiam Patribus ad hanc molestiam accedebat, quòd Iulius suum hominem legatum ad Aloisium regem Galliæ miserat questum de reipublicæ iniurijs, auxiliaq; contra illam postulatum, idemq; apud Maximilianum per oratoris ipsius scribam Iacobum Banisium Roma missum fieri procurariq; mandauerat, scriptis ad eum literis acerbioribus ea de re, decimamq; fructuum ex sacerdotijs Germanicis, quã quidem Maximilianus ab eo magno studio petierat, vltrò illi deferens, si se iuuerit. Apud quẽ vtrunq;, Senatus ab legatis reip. facti excusationẽ afferri iußit: se Ariminum & Fauentiam nõ ab Romanis Pontificibus, sed ab latrone omniũ teterrimo auertisse: alterum, ne à Florentina ciuitate, sibi propter recentẽ Pisani belli memoriam inimicißima, quæ eò suas copias mi

ſerat, interciperetur: alterũ, permutatione oppidi cũ eius regulo facta in reip. finibus. ea oppida ante Cæſarem per vicarios obtineri cõſueuiſſe: ſi ſe illorũ vicarium fieri Senatus velit, nihil noui petere: id pro eius plurimis in rẽp. Chriſtianam meritis æquum eſſe ei tribui, quod ſæpe alijs nihil merentib. ſit datum: neminem in Flaminia vicarium, neq; ad eam ipſam reliquaq́; Romanæ ditionis oppida defendenda firmiorem, quàm Senatus ſit, neq; qui maiori illi vſui, ſi res exigat, poßit eſſe, hac Iulium tempeſtate habiturum. quænam inuidia ſit, quod temerè cuilibet, ac ſine vllo vſu condonatur, id & præteritis reip. promeritis & ſpei futurorum, cùm ſe occaſio dederit, prouentuũ & commodorum pernegari? Ipſum præterea Iulium ſuaſorem Senatui per legatum abripiẽdi ab Cæſare Flaminiam extitiſſe: poſt id, præter illud, cuius ipſe hortator fuit, nihil noui accidiſſe: vt non tam Iulius habere cauſam, cur à ſententia recedat, quàm quonam modo reip. noceat, quærere ac meditari videatur, petere itaq; remp. ab Aloiſio quidem, ne fœderis religionem, quod ei cum Senatu eſt, propter Iulium tam iniuſtè ſe efferentem violet: à Maximiliano autem, vt amicus reip. quæ finitima illi eſt, atq; beneuola ſemper fuit, bona in cauſa malit eſſe, quàm Iulio, qui lõgè ab eius regno abeſt, in periniqua, ſi fides inter homines atq; conſtantia ſuum ius obtineant. qua accepta excuſatione, vterq; à ſe reip. cauſam apud Iulium defenſum iri liberaliter pollicitus, Senatum paulo quietiorẽ reddidit. Illis diebus, propterea quòd Nicolao Vrſino, qui Rauennæ erat, reip. copiarum præfecturæ tempus explebatur, ob eius fidem atque conſtantiam, quòd à compluribus ciuitatibus & regibus, vt ipſorum ſtipendia faceret, magnis pollicitationibus inuita-

inuitatus, remp. deserere noluerat, per triennium imperatorium ei nomen cum stipendio annuo auri librarũ quingentarum Senatus dandum censuit.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. VII.

FRanciscus Maria à Guido Vbaldo adoptatur. Aloisij cum Maximiliano Cæsare fœdus. Tronus Venetijs ob proditionem suspenditur. Ioãnes Pisaurum obtinens Venetijs uxorem ducit. Isabella Hispaniæ regina moritur. Herculis Ateſtini obitus. Germanorum domus Venetijs conflagrata, magnificentius à Senatu iterũ ædificatur. Senatus controuersiæ cum Iulio Pont. compositæ, & legati octo ad eum missi. Alphonsi Ateſtini Venetias aduentus. Aloisij cum Ferdin. fœdus. Piraticum bellum. Tunetani regis ad Senatũ legatio & munera. Norimbergenses Venetarum legum exemplum petunt. Senatus Alexium Thracio regi tradit. Sabellici obitus. Aegyptij regis legatus componendarum controuersiarum caussa Venetias venit. Philippi Austrij in Hispaniam profectio & obitus. Ferdinandi regis Neapolim aduentus. Iulij Pont. literæ à Senatu reijciuntur. Ioannes Bentiuolus à Iulio Pont. Bononia pellitur. S.C. in eos qui principum legatorúmue fauore vterentur latum. Petri Barotij obitus. Liguribus petentibus ciuitas & securitas datur. Aloisij in Italiam aduentus. Genuæ expugnatio. Eiusdẽ cum Ferdinãdo rege colloquium, & in Galliam reditus. Milites ex agris à Venetis instituti. Maximiliano petenti itineris cum exercitu facultas denegata. Reip. ad bellum apparatus. Germanorum in Rhetos & Carnos irruptio.

Eorundem ad Cadoras clades. Tergeste cum multis alijs oppidis à Venetis expugnatur. Venetorum cum Maximiliano induciæ. Terræmotus in Creta ingens. Contarenus Camalis naufragio perit. Lex in eos qui largitione magistratus quærerẽt lata. Pax Maximiliano petenti denegatur. Noui homines in Britannico Oceano capti. Cameracense fœdus. Venetorum ad bellum apparatus. Puluis tormentarius & Vrbana naualia fulmine tacta. Hispani regis fraudes. Belli cõtra Venetos initium. Fœdus cũ quatuor Heluetiorum pagis à Venetis ictum Galliæ rex Venetis bellum indicit. Pontifex, Venetis aqua & igni interdicit, eiusq; progressus. Galliæ regis Mediolanũm aduentus, eiusq; copiæ. Venetorum cum Gallis ad Abduam pugna.

EODEM *ferè tempore, quòd Vincentius Naldius Fauentinus, magna in oppidi finibus gratia, omne studium & diligẽtiam adhibuisset, vt Fauentia in deditionem potestatemq; reipub. redigeretur, ei militiæ insignia cum veste aurea, auriq; libræ viginti sunt à Patribus dono datæ, tum quinq; in annos singulos constitutæ pensionis nomine, immunitate omnium rerum, quam hæredes eius sequerẽtur, addita, primis quoq; proximi ordines militum belli tempore promissi: eius etiam propinquis quatuor victus annuus attributus, neq; multò pòst eædem honestates, donaq; totidem, quot in Vincentium Senatus contulerat, in Dionysium item Naldium eius consobrinum sunt collata. Aestate verò inita cùm Guidus Vbaldus Iulij suasu Franciscũ Mariam, sororis suæ filium, cui fuerat pater Ioannes Iulij frater Senogalliam obtinens, adoptauisset, eam adoptionem Iulius de collegij sententia magno studio comproba-*

uit. qua vna quidem re suam in Venetos iracundiam iniustiorem reddidit, cùm videri posset, quod illis iuris in Romanæ reipub. oppida tam obstinatè pernegaret, suis facilè propinquis tribuisse. Maximilianus autem suscepti paulò antè reipub. apud Iulium patrocinij planè iam immemor, duos legatos Venetias misit, qui Senatum hortarentur, vt Iulio Fauentiam atq; Ariminum restitueret: eam in primis curam ad se spectare, suiq́; esse muneris Romanæ reip. Pōtificisq́; rerum procurationem: id si nolit, causam ad iudicium remittat: se curaturum, vt item ab Iulio remittatur: quòd si se arbitrum velint eius disceptationis facere, se non recusaturum, & pro rei æquitate sententiam laturum. Iis legatis Lauredanus, consulto Senatu, cùm omnes eius rei causas, quas quidem Maximiliano ciuitatis legati antea ostenderant, enumerauisset, vnum modò respondit, reip. ius illis in oppidis, satis esse clarum atq; notum per sese: itaq; nolle Patres id in ambiguum vertere. Eo respōso accepto, legatorum alter Romam discessit, altero apud Senatum relicto, eiq́; sumptus publicè factus, quoad apud Patres fuit. Iulius interim arcem Foroliuianam, auri libris centum quinquaginta, quas ab Cæsare acceperat, Remiro præfecto traditis, vnaq; oppidum obtinuit, cùm antea Cesenam & Cornelium Forum iisdem propè artibus suæ potestatis fecisset. Præfectus arcis Foroliuianæ cum Cæsaris supellectili Venetias venit. Post hæc inter Aloisium Gallorū regem & Maximilianū fœdera sunt firmata, cùm de eo per legatos diu multumq́; disceptauissent. quibus confectis Ioannem Lascarem Byzantium Aloisius iterum ad Senatum misit, qui diceret, hortari sese Patres, vt aliquam cum Iulio inirent ad concordiam & consensionem viam: qua inita

vnanimi omnes studio ea de bello Thracio cogitare possent, quæ iampridem cogitanda atq; agenda sunt. adderet & illud, sibi cum Maximiliano conuenisse, pacemq; & beneuolentiam inter ipsos esse constitutam, non illam quidẽ, vt cuipiam nocerẽt, sed suarum vtriusq; rerum & regnorum tuendorum causa. Patres auri libra in sumptum men sibus singulis legato regio à quæstoribus dari iussa, nihil se fecisse reliqui dixerunt orando, pollicendo, vti Iulium placarent: descendisse enim etiam ad illud, tametsi Alexander Fauentiam, & reliqua oppida Cæsari libera immuniaq; dederit, velle tamen se stipendiarios Romanæ reip. fieri, Fauentiæ Ariminiq; nomine: legem ipse stipẽdiorum diceret, nihil se recusaturos, auroq; Veneto recenter signato annis omnibus ea libenter persoluturos: neq; quicquam tamen profecisse. cæterùm letari se, duorum tantorum regum animos ab odio exercendo ad pacem & beneuolentiam esse conuersos. verùm, propterea quòd in fœdere, quod reip. cum Aloisio intercedebat, caput vnum erat eiusmodi, neutri sine alterius voluntate fœdus vllum cum rege vllo facere licere, scire Patres cupere, cur de eo rex nihil antea Senatui significauisset. Ad ea legatus cùm aliquandiu siluisset, tandem se scire nihil respondit, nisi vnum, ei fœderi tẽpus quatuor mensium esse præstitutũ, quos vterq; velit, sibi socios & fœderatos nominandi: itaq; posse adhuc quidem regem ei fœderi inserere remp. Qui legati tamen sermo Patrum animos, quibus quidem ea pax Senatu non appellato confecta, suspicionem haud paruam afferebat, nihil lenijt. Post hæc Decemuiri certiores facti serui indicio, qui ab eo vapulauerat, Hieronymum Tronum (qui bello Thracio Naupacti arcem, quã reip. nomine custodiebat,

hostibus

hostibus tradiderat, eamq́; ob rem exul aliquot annos fuerat) id quod fecerat de tradēda arce, precio accepto fecisse: Tronum *ab exilio domum redeuntem in vincula coniecerunt, pauloq́; pòst quæstione habita, è superiore curiæ porticu, quæ in foro est, inter rubri lapidis columnas reste suspenso carnifex gulam fregit. Atq; vltimis ferè anni diebus* Ioannes Pisaurum *obtinens* Matthæi Teupoli *filiam duxit vxorem, nuptijs in vrbe per legatos institutis. Tum literæ ex* Hispania *ad Senatum venerunt,* Isabellam *reginam* Ferdinandi *vxorem magno animo excellentiq́; virtute fœminā, è vita excessisse: eiusq́; generū* Philippū Maximiliani *filium, in* Belgis *regē, testamenti tabulis permagna* Hispaniæ *terræ parte auctum fuisse. quibus duabus de causis* Vincentius Quirinus, *vir in philosophiæ studijs clarus, ad* Philippum *legatus à Senatu lectus est, vt illi & de socerus morte reip. molestiā ostenderet, & de regni accessione gratularetur. Pauloq́; pòst* Hercules Ferrariēsium *dux item moriens* Alphonso *filio regnum reliquit. Erat in celeberrima vrbis regione ad* Riuumaltum *domus reip. perampla, quæ antiquitus à* Germanis *mercatoribus incoli cō sueuerat: in eam illi cuiusq; modi res, quas quidē vēdere cuperent, aduectas suis ab oppidis inferebant, & ciuitati emendas proponebant: quasq́; in vrbe ipsi coemebant, vt in* Germaniam *conueherent, eòdem congerebant, quoad essent deportandæ. Ea domus, vt erat mercium omnis generis plenissima, insequentis anni initio magna cū plurimorū honestorum hominū iactura cōflagrauit: quā tamen domum illo ipso anno ciuitas à fundamentis, fornicib. inædificatā, ne ignis nocere posset, magnificentiore multò forma cōmodioreq́; restituit. Eiusdem initio anni* Bartholomæo

Liuiano, qui à repub. peracto stipendiorum tempore, Patribus non permittentibus discesserat, vt illatas suæ inprimis genti, reliquisq; Romanis principibus ab Alexandro atq; ab Cæsare cædes & vastitatem vindicaret, Hispaniæq; regum militiam fecerat, iterũ recipi postulanti, præfectura equitum, cum stipendio annuo librarũ auri centũ quinquaginta, est à Senatu data. Cumq; Cesenæ, Foriliuij, Foriq; Cornelij legati apud Iulium questi essent, se à Venetis magna agri parte spoliatos, angustis vti finibus, atq; inopia multarum rerũ premi, Iulius per Guidum Vbaldũ Antonio legato proposuit, si Senatus eos fines sibi restituat, de Fauẽtia atq; Arimino se deinceps verbum non facturũ, reiq; pub. oppida illa in omne tempus vti retineat, permissurum. Ea Guidi Vbaldi oratione Antonij literis ad Patres perlata, Senatus, ne cuipiam obstinatior videri posset, Antonio rescripsit: si ei Iulius fidem faciat, ita fore, vti Guidus Vbaldus ei dixit, se fines illos restituturum, legatosq; quos creasset octo ad illum missurum, suumq; in eum studiũ & obseruantiã præstaturum. Quo respõso accepto, Iulius & Antonio de Arimino atq; Fauentia liberaliter est pollicitus, & magnam se ex eo voluptatem cepisse, apud suos familiares præ se tulit. Senatus de eo certior factus, oppidula decem numero cum eorum finibus vti Iulio restituerentur, censuit: in quibus Cesenæ portus, qui est in maris littore, Sauinianum, Toßinianũ, Archangelianũ fuere. Iis Iulij internuncio, quem ad id in Flaminiam miserat, per legatos reip. restitutis, Iulius rem ad collegium deduxit, laudatusq; ab omnibus, quòd se ad concordiam cum Senatu dedisset, magnũ sui consilij fructum tulit. Vnus Frãciscus Soderinus Cardinalis, cũ & ipse Iuliũ verbis honorificis extulisset,

tulisset, addidit, eò se magis illum laudare, quòd quemadmodum fines illos recuperauisset, ita etiam Ariminum ab eo atq; Fauentiam breui recuperatū iri confidebat. Legatio postea, de qua suprà dictum est, Romā missa ab Iulio libentißimo recipitur: ij fuerunt, Bernardus Bembus pater meus, Paulus Pisanus, Hieronymus Donatus, Nicolaus Foscarenus, Andreas Venerius, Andreas Grittus, Leonardus Mocenicus, cuius pater Ioannes Venetorum dux fuerat, et Dominicus Triuisanus templi Marci procurator. Eius legationis Bernardus Bembus propter ætatē principem locum tenuit. Andreas Grittus & Nicolaus Foscarenus è sexuiris, qui principi aßident, legationē inierūt. Antonio autem, cùm diu Romæ in ea legatione fuisset, reiq; pub. singulari suo studio atq; prudentia magnopere satisfecisset, domū est reditio permissa. Atq; hæc Vere medio eum, quē diximus, euentum habuerūt. Aestate verò inita, Alfonsus Atestinus, vt Lauredanū Principē & Patres regni sui initio salutaret, magno comitatu ad vrbē venit, honorificeq; acceptus, & auri libra diebus singulis in sumptum à Senatu donatus, graui cum Patribus beneuolentiæ fœdere amicitiaq; arctiore constituta, domum redijt. Patres sub hæc de aduentu in Italiam Maximiliani, qui Romā velle ire dictitabat, vt Imperij insignia à Pont. Max. acciperet, sæpe consulti, eius legatorum postulatis amicè & beneuolè sunt polliciti. Decembri demū mense, de cōfectis ab Aloisio Gallorum rege Ferdinandoq; inter se fœderibus cognouerūt: quæ omnino res susceptam ab illis iam antea de Aloisii, in sese animo suspicionem facilè auxit, propterea quòd is nihil antè de ea quoq; re Senatui significauisset. Ferdinandus quidem per legatum suum Patribus ostendit, propter no-

ua illa inita cum Gallorum rege fœdera, nihil se de vetere sua cum ipsis beneuolentia diminuere, quam non retinere modò atq; alere, sed augere etiā studijs atq; officijs in dies singulos cuperet. nullos euentus eam sibi mētem eruturos. Anno insequente, ob nonnullos mare Aegæū atq; Ionium, demum etiam Adriaticum nauigantibus infestum reddentes piratas, Senatus quamplurimas triremes non vno tempore armandas curauit: quibus à triremibus capti aliquot, latrociniorum pœnas reip. dederunt. Eo tempore Tunetis regis legatus ad Senatum missus, equos miræ pernicitatis more Punico ephippiatos quatuor, aquilasq; aucupio idoneas totidē, & canes venaticos Patrib. dono attulit, petēs, vt naues lōgas ad mercatū eò mitterent: uelle enim regē suum amicitiam cum repub. instituere. Is legatus liberaliter acceptus, domumq; cum muneribus remissus, optimam in regem ciuitatis voluntatem reportauit. Etiam Norimbergenses, ampla & florens atq; in primis libera suiq; iuris in Germania ciuitas, missis ad vrbem legatis, exemplum Venetarum legum à Patribus petierunt: velleq; sese cis vti legibus ostenderunt: quod quidem illis Senatus frequens concessit. Petente autem ab Senatu arroganter Baiasete rege, vt Alexium in Illyrico insulam bello Thracio captam sibi restitueret, obstinatis eius atq; assiduis postulationibus Patres victi, ne is pacem, quam cum illo fecerant, si reijceretur, frangeret, ab Alexio incolis omnibus emigrare iussis, alijsq; in locis collocatis, rebus asportatis, arce diruta, eam inanem atq; vacuam importuno regi relinquendam censuerunt. Erat paucis ante id Senatusconsultum diebus Marcus Antonius Sabellicus, qui res Venetas conscripsit, ipsa in vrbe mortuus: laudaueratq; illum Egnatius. Quoniam

verò ciuibus Venetis, qui tūc in Aegypto mercaturam exercebant, multa incommoda rex Alexandrinus intulerat, auctis præter morem Indicarum mercium precijs, ipsorum bonis vi direptis, aliquot in vincula coniectis, Senatusq; ea de re per legatos apud regem questus fuerat: regis legatus ad Senatum venit eius controuersiæ dirimendæ atque cōponēdæ gratia, Tagauardinus homo Hispanus, qui multos annos Alexandriæ fuisset. ei est sumptus de mercatorum pecunijs equis portionibus æstimatis datus. E Gallia *etiam ab rege literæ,* Iulij *literas ad Senatum datas attulerunt, quibus literis, quoad* Iulius *viueret, Ariminum & Fauentiam retinendi reipublicæ facultas dabatur.* Eas *literas* Iulius *ad regem miserat, vt per illum Senatui redderentur, quo maior autoritas intercederet, quòd intelligebat, illarum scripto multò minus se præstare quàm id erat, quod pactus cum rep. fuisset, legatoq; ipse Veneto suamet oratiōe cōfirmauisset.* Id *vbi* Patres *de legato regio intellexerunt, magna eos indignatio tenuit, ingrato animo esse* Iulium *prædicantes, nullaq; constantia, qui tantis receptis finibus, tot ad se missis vna legatione ciuibus, quot nemini vnquam externo, tam insignib. in illū ciuitate functa officijs, tamen nunc conditionibus à se vno positis non stet, nisi tenuissima ex parte, atq; eius quidem partis rege internūcio, vt illius autoritate res, quemadmodum quidem vult, minore negocio transigatur.* Eas *ob regis literas coacto biduum Senatu decernitur, literas* Iulianas *non esse accipiēdas.* Ferdinandus *interea rex classe* Neapolim *aduentabat, vt, quoniam ad* Philippum *generum omnis propè* Hispaniæ *nobilitas cōfluebat, atq; ipsum pristina populorum gratia, dignitasq; apud eas nationes destituebāt, id in regnū se con*

ferret, cuius ille particeps nõ esset. Eam ob rem Patres Georgium Pisanum, Marcum Dãdulum legatos creauerunt, qui Neapolim ad Ferdinandum proficiscerentur, de eius in Italiam aduentu gratulatum. atq; is nequedum Neapolim attigerat, cùm Philippus in Hispania, quò socru mortua mari è Belgico venerat, pituita interijt: ita sunt magna incœpta spesq; ingentes vnà cum vita iuueni abruptæ. Eam ob filij mortem Maximilianus pater suum in aliud tẽpus Romanum iter distulit, quiq; iam præmissi ab eo in Alpibus Germani erant milites, domum reuocati redierunt. Iulius autem, qui omnes suus conatus eò intenderat, vt oppidum Bononiam in suam ditionem atq; imperium reuocaret, cuius quidem oppidi regnum tametsi Romani iuris esset, à Ioanne tamen Bẽtiuolo obtinebatur, comparatis rebus omnibus, quæ ad bellum vsui essent, Roma cum exercitu et collegio in Flaminiam æstate iam confecta discesserat, vt illum oppido expelleret. quod omnino longè facilius, quàm hominum opinio ferebat, propter ingens ciuitatis in illum odiũ, adductis in fines oppidi, quas & ipse habebat, & ab rege Gallo acceperat, copijs, mense Octobri est assecutus. Ea illi de re ab Dominico Pisano legato, qui Antonio successerat, reip. nomine gratulatio est facta: tametsi ipse quoq; Iulius suum tabellarium cum literis ad Senatum miserat, quæ illũ ijs de rebus docerent. Vltimis anni diebus, propterea quòd sæpe fiebat, vt qui impetrare magnam aut difficilẽ rem aliquã à magistratibus cuperẽt, regũ & Pontificum maximorum legatis vterentur, qui eos Principi Patribusq; commendarent, interdum etiam ipsorum regum principumq; ciuitatum ad vrbe veniẽtium patrocinio nitebãtur, quorum autoritati Patres propè negare nihil poterant:

terant: Senatusconsultum factum est, cui quid à Patribus inpetrare sit necesse, is neq; virum principem, neq; legatū adhibeat, cuius commendatione apud eos niti posit, pœna pro genere hominum ijs, qui Senatusconsultum neglexissent, constituta. Primis verò ineuntis anni diebus Petrus Barotius Patauinorum Episcopus moritur, vir politioribus literis & sacrarum ac multarum disciplinarum doctrina insignis, moribus, vitaq; sanctiore, quiq; subleuādis egestate pressis ciuibus sacerdotij sui fructus omnes largiebatur, vt vnius illius liberalitate non parua oppidanorum pars viueret: itaq; mortuo neq; numi neq; suppellex preciosa vlla inuenta, præter bibliothecam. eas ob res sepulchrum ei mormoreum in templo Patauino faciendum publica pecunia, Patres conscripti censuerunt. Pauloq; pòst cùm ciues plurimi Ligures emigrare domo, atq; vrbem velle incolere sese Patrib. ostendissent, modò tuti publicè fierēt, si quid in Venetos Ligur quispiam deliquisset, sua bona ea re non teneri: Senatusconsultum factum est, quo eis ciuitas atq; securitas est data, nauigatione mercaturæ causa in Orientem excepta. Sub idem tempus Aloisio Gallorum rege in Italiā properante, vt Genuensium ciuitati, quæ ab eo defecerat, seseq; in libertatem vindicauerat, bellum inferret, Dominicum Triuisanum, Paulum Pisanum Patauinorum magistratum Senatus legatos ad regem de aduentu gratulatū misit. Ille autem recepta paucis diebus Genua Mediolanum se contulit, ibiq; eum legati conuenerunt. Sed cùm in Galliam Trāsalpinam rediens apud Astam cognouisset Ferdinandū regem, qui Neapoli classe in Hispaniā reuertebatur, ex itinere Genuam appulisse, conuenireq; se cupere, ei præsto ad Sauonā oppidum fuit, magnoq; illum honore excipiens, cū

vnà dies aliquot fuissent, Ferdinãdo abeunte ipse in Galliã profectus est, legati domum reuerterunt. Eum ob Aloisij tam celerem in Italiam aduentum, cùm illum, si inimico esset in rempublicam animo, non longinquitas itineris, non reges interpositi, non deniq; Alpes moraturæ viderentur, quin, cùm vellet, in citeriorem Galliam paruo negocio traijceret: tum etiam quòd rumor increbuerat, Maximilianũ in Italiam cogitare: ne resp. ad eiusmodi casus imparatior offendi posset, Senatusconsultum factum est, in Veronensium finibus eorum qui arma ferre possent, certus agrestium hominum numerus conscriberetur, qui rei militari assuefierent: ijsq; immunitas reliquarum rerum daretur, quo paratiores ad obeunda belli munera essent, & cùm vocarentur ad signa euestigiò conuenirent. Ea militum ex agris deinceps institutio ad reliquos reip. fines, vt est vsus omnium rerum magister, breui permanauit: itaq; nunc quidem cuiusq; oppidi, vici, pagiq; partẽ habẽt suorum, qui ei rei student, vt armati paratiq; sint, nullo vt interposito temporis spatio ad bellum prodire, reiq; pub. celerẽ nauare operã possint, hosq; omnes vno nomine milites proordinibus appellauerunt. Rex post hæc Alexandrinus controuersiis, quas habebat cum rep. fine facto, ad iustitiam & æquitatem sese dedit: itaq; triremes ad mercatum eò remissæ cum magistratu Veneto, qui Alexandriæ moram traheret, cumq; legato regio, de quo suprà dictum est: cui proficiscenti vestis aurea cum preciosis pellibus, aurique libræ decem sunt à Senatu dono datæ: comitatuiq; eius omni indumenta honestiora tradita. Interim à Vincẽtio Quirinò legato, quẽ ad Maximilianum Patres miserant, acceptis sæpe literis significabatur, Maximilianũ spreta, quam superiore anno fecerat cũ

rege

rege Gallorũ,pace, neglectisq; fœderibus,quibus illum nõ stetisse conquerebatur, de Germaniæ consilio statuisse, in Italiam cum exercitu accedere, ad speciẽ vt tutò Romã se conferret,re, vt Mediolani regno illum eijceret. Senatus nouis equitatus & peditatus copijs munire remp. decreuit:itaq; præfecti sunt equitum adlecti quamplures, in ijs Vitellius Tifernas,& Guidus Vainus *è* Cornelij Foro *cum militibus sexcẽtis,equitib. quinquaginta ambo:* Iacobusq; Siccus *è* Gallia Cisalpina, & Lucius Maluetius Bononien*sis,cum turma equitum vterq; grauioris armaturæ centũ: tum,vt milites numero ad decem millia conscriberentur, latũ,qui sub tribunis & centurionib. in castris versarentur,quiq; per oppida præsidij causa disponerẽtur,ad quinque millia.equites etiam leuioris armaturæ tercentũ quadraginta* Nauplia & Zacyntho *accersiti vrbano in littore,quò appulerant,à magistratibus lustrati,stipendio accepto se* Taurisum *contulerunt.*Iis *rebus confectis,Maximiliani legati tres ad vrbem veniunt postulatum: propterea quòd rex eorum iter haberet nullum aliud, vti* Romam, *quò eundum illi erat,per fines reip. regi exercituiq; regio itineris faciendi Senatus facultatem daret: recipere Maximilianum, fidemq; suã in eo interponere, sese sine maleficio atq; iniuria per eos fines iter facturũ, exercitumq; ducturum.quòd si propter eam, quã haberet resp. cum rege* Gallorum,*amicitiam,Senatus id se minus rectè posse facere existimet,monere Patres Maximilianũ,atq;apertè profiteri,nullam esse in eo rege fidem, nullam constantiam:id se esse sæpenumero expertum:itaq; rectius facturum Senatum, si nihil in illo sibi præsidij putet esse constitutum: sese Patribus fœdera,quæ pepigerit, vita sua diligẽtius seruaS*

turum. Ea re ad Senatum relata, cùm plures sententiæ dicerentur, essentq; nonnulli ex magistratibus & principib. ciuitatis, qui Maximiliano credi oportere contenderēt, vicit tamen ea sententia, quæ legatis in hunc modum vti responderetur, censuit: Si Maximilianus pacatè sineq; exercitu velit iter facere, remp. ei quod peteret libentißimè concessuram, legatosq; missurā, qui illū exciperēt, omnibusq; honoribus prosequerentur: sin cū exercitu proficiscatur, à pace, quam cū rege Gallo habeat, non posse discedere Senatū sine perfidiæ crimine. itaq; nihil ei permissurū. Atq; his ipsis nōdum ab vrbe profectis legatis, Gallorū rex nouam legationem ad Senatum misit, mentem ac voluntatē reip. si Maximilianus ei bellum inferat, sciscitatum: magno enim timore afficiebatur, propterea quòd fama vulgauerat, Germaniæ populos Maximiliano ingētes copias subministraturos, ne ab eo tanta in re tam vnanimi illarū nationum consensu Patres perterriti deficerent, aliorum mores hominum, vt plerunq; fit, suorum morum modo atq; consuetudine metiens. Senatus autem omnes reip. facultates legatis ad regem defendendū est pollicitus: quæq; Maximiliani legati à rep. petijssent, quod ad illa responsum habuissent, amico eis animo aperuit. Patres post hæc venientem ad vrbem Nicolaū Vrsinum imperatorem ab ipsis accersitum, vt cum eo & Liuiano & Carraciolo, qui vtriq; iussu eorū venerant, de bello consilium caperēt, ei obuiam in naui Bucentauro profecti ciuitate circumuecta exceperunt: insequentibusq; diebus, quibus in locis Maximiliano, quāq; ante diē copiæ reip. essent opponēdæ, vnà cū his cōstituerunt: eosq; euestigiò reuerti, & quam quisq; partem reip. finiū tuendā suscepisset, ad eam illū contendere iusserunt.

runt. certiores enim facti tractari arma in Maximiliani finibus, militesq; pluribus in locis cogi, nihil sibi reliqui ad exercitum comparandum, copiasq; partiēdas fecerunt, vt in tēpore occurri posset. Vbi Maximilianus de legatis suis cognouit, nolle Senatum ei armato per fines reip. iter dare, Vincentium Quirinū ab se dimisit. profectus ille cùm in primis reip. finib. subsedisset, ne iniussu Patrū propius accederet, Senatu permittēte domum rediit. Patres tametsi Decembri appetēte mense multis verisimile nō fieret, Maximilianū Alpes esse cū exercitu traiecturū, tamen Georgio Emo legato ab Senatu declarato, qui in fines Veronēsium cū copijs accederet, eo se ab latere celeriter munire decreuerunt: præsertim quòd intelligebāt, Germanorum militū certā iam manū aduentare, vt illis ex Alpibus se demitteret. quæ quidē manus neque dum munitis itinerib. & saltibus facilè traiecit, sine vllo tamen reip. maleficio, pacataq; in Mantuanorum se fines contulit. Ii erant milites circiter mille ducenti. Paucisq; pòst diebus cùm nullo accepto in Italia stipendio domum redire statuissent, Emusq; interea legatus exercitu adducto itinera clausisset, vt reuerti eius voluntate sibi liceret, ab eo petiuerunt. Ille armis depositis iter facere iussit. Sed cùm iisdē in locis atq; in Vicetinorum saltibus anno insequente inito Germani sæpenumero se ostendissent, vt in fines reip. irrūperent, omnino neq; in eo perfecerunt quicquā ipsi, neq; à Venetis vlla est res paulò illustrior gesta: neq; oppidum quodpiam nobilius captum, aut cædes aut fuga hostium memorabilior facta: tametsi Aloisius rex, qui sæpe Senatū per legatos oratione magnifica cōfirmauerat, sese eum nunquam desertum, ipsum etiā, si necesse sit, reip. auxilio venturū, Triul-

tium cum copijs in castra Veneta misisset, & Senatus Andream Grittum legatum magna cum manu eòdem accedere iußisset. Nam cùm duos vno tempore legatus Senatus *creauisset, Grittum & Georgium Cornelium, vt alter in* Rhetos, *alter in Carnos proficisceretur (inde enim etiã in reipublicæ ditionem velle perrumpere Germanos literis nuncijsq; afferebatur) ijs vti forte imperia partirentur, Patres permiserunt: ita Gritto* Rheti, *Cornelio Carni prouincia obtigit: atq; in* Rhetis *quidem hunc vnum res euentum habuerunt, vt repreßi & repulsi sæpe hostes ex reip. ditione atq; imperio nullum sibi iter patefecerint, nihil omnino ceperint, amiserint autem potius vltimis belli diebus montanũ oppidulum Agrestam. at in Carnis, quà nihilo secius Germani aditum in reip. fines tentauerant,* Liuianus, *qui exercitui præerat &* Cornelius *legatus, rem sanè publicam nauiter atq; feliciter gesserunt.* Nam *cùm mense* Februario *rumor increbuisset: hostium non paruam coactam in Carnis manum eo ab latere bellum illaturam aduentare, Daniel* Dandulus *Feltriam à Senatu missus est, rebus, quæ ex vsu essent, procurandis, cõmeatuq; exercitui, qui eò venturus erat, durißimo anni tempore locis impeditißimis subministrando.* Gradiscas *quoq; castellum apud* Sontium *flumen arte atq; opere communitum,* Iustinianus Maurocenus *Senatu iubente ijsdem cũ mandatis est profectus.* Tum *Cornelius & Liuianus* Baßiano *in* Alpium *radicibus ad* Medoaci *ripam sito, quod ad oppidum multis è reip. finibus exercitum cogebant, iußi cum copijs ad Germanos reprimendos contendere.* Interim *repẽtino hostium aduentu, qui per deuia asperaq; Alpium iuga, præcipitesq; decliuitates ferratis pedibus iter confecerant, centurionem cum militibus sexaginta*

ginta Clusæ pagi angustias seruantem profugisse, Cadorasq; oppidulum ad flumen Plauim, quod ab Clusa quinq; millia passuum abest, vnà cum arce & Petro Ghisio præto re in hostium venisse potestatem nunciatur. Ea intellecta re in castris, Liuianus celeritate adhibita cum duobus fami liaribus ad uicina hostibus loca sese contulit speculatum, relicto Cornelio, qui cum copijs paratioribus diurnis nocturnisq; itineribus subsequebatur. In vrbe Donatus Legius à Senatu lectus est, qui Ciuidale Carnicum contenderet, daretq; operam ne quid incommodi resp. ea in oppido acciperet. In Foroiuliẽsibus autem Hieronymus Saornianus, de quo suprà commemorauimus, vir egregia fide atq; virtute, princepsq; ciuitatis, primò paucis cum equitibus è sua familia ad eos fines est profectus, quibus in finibus hostes impressionem fecerant, magnaq; celeriter auxilia reipublicæ conuentura confirmans, earum regionum incolas labãtes iam, ad imperataq; Maximiliani facienda pronos, in officio continuit. deinde coactis hominum duobus millibus quingentis, equitatu etiam addito, iter impeditissimũ faciebat, vt contra hostes cum legato exercituq; reip. illa cũ manu se coniungeret. Dum hæc agitarentur, Lucas Renaldius Maximiliani legatus ad Senatũ venit illud idem postu latum, de quo antea sæpe rex egerat, iter Romam per fines reip. repetens: regem suum propterea velle armatũ incede re, quòd se tutum ab suis hostibus aliter fore non cõfidebat: reip. nihil ab eo nocitum iri omnibus illum modis confirmaturum: vel Senatus obsides ei daret, nociturum esse illi nemimẽ: hoc si præstet, sine armis regem iturũ. Ad hæc Lau redanus respondit: Scire regẽ, quàm propensa semper fuerit reipub. erga Federicum imperatorem patrem suum seq;

ipsum voluntas: quo magis indignũ esse, bellum ab eo inferri nõ vnis reip. finibus, prædas abigi, castella expugnari: de eo se magnopere conqueri, deosq; testes adhibere, nõ esse ita de rege meritam remp. sed rem se ad Senatum relaturum, deq; eius sententia responsurum. Nam quòd à Cor*nelio literæ venerant, confidere Liuianum, propeq; recipere, hostes sibi pœnas citò daturos*, Patres *respondendi Maximiliani legato tempus interponere volebant, dum à Carnis aliquid confecti afferretur.* Legato *aũt socij sunt atq; custodes dati, ne quis eum alloqui posset, cui* Patres *id non permisissent.* Liuianus *adductis ad se militibus mille octingentis, quorum erat dux* Petrus Montius, *vir magna virtute, equitibusq; leuis armaturæ ex* Epiro *propè ducentis, quibus præerant* Palæologus *&* Buschius: *tum ex ijs qui sagittis vtebantur, alteris ferè totidẽ, grauiorisq; armaturæ ex ipsius & reliquorum turmis paulò plus ducentis:* Saorniani *literis ac nuncijs de locorum situ, de hostiũ numero, deq; belli rationibus admonitus, qui quidem iam aduentabat, atq; ab altera montis parte in trium pontiũ loco* Germanos *obseruare, eisq; occurrere statuerat, prima luce hostes aggredi constituit.* Is *erat* Martij *Calendarum dies.* Sed *propterea quòd nix ea nocte plurima ceciderat, præliũ in aliã reiectum est diem: quod quidem secundissimũ postridie fuit.* Nam *cũ* Germani, *redeundi domũ itineribus præseptis, ad se veniri certiores facti, ne intercluderentur,* Venetos *aggredi viamq; ferro sibi ipsi aperire statuissent, atq; in editiorem proximæ vallis partẽ cum impedimentis & tormentis se collegissent numero ad duo millia quingẽti, vt è loco superiore in* Venetos *subeũtes impetũ facerent (erant aũt è* Maximiliani *comitatu, quãplurimis*

mis centurionibus viris fortibus interiectis) ipse acie instru cta per niues rectà progressus prælium audacissimè cõmisit: eosq; primò fortiter pugnantes, pòst impedimentis exutos tormentisq; abreptis, desperatis rebus non magnopere resistentes concidit, præter illos, qui proiectis armis pacem suppliciter petiuerunt. pauci fuga in mõtes elapsi, ab Epirotis *equitib. eundẽ casum subierunt, capitaq; sunt eorum in castra relata, pro quibus singulis* Liuianus *pecuniã pollicitus interfectoribus fuerat. ex* Venetis *desiderati sunt sanè pauci,* Nocte *ea quæ secuta est, exercitui ad quietẽ data,* Liuianus *ad* Germanos, *qui arcem* Cadorarũ *custodiebant, amplius sexaginta misit, imperans vti arcem traderent.* Ii *trium dierum spatiũ ad eam rem sibi dari petiuerunt.* Liuianus *eorũ postulatione reiecta, ad arcem expugnandam est profectus: quã cùm diem totum omni missiliũ genere, tormentisq; in aduerso iugo positis continenter oppugnauisset, magnãq; propugnatorũ partẽ interfe cisset, muro etiã propugnaculi subrupto, reliqui postridie deditionem fecerunt.* In *ea oppugnatione* Carolus Malatesta *adolescens, saxo ab arce percussus, cum nonnullis viris fortibus interijt. Captiui, qui arcẽ tradiderant, vnà cũ priorib. dedititijs, omnes quingenti armis cæterisq; rebus exuti,* Liuiani *permissu domũ redierunt.* Harũ *rerum primis in vrbe nuncijs acceptis, idẽ est responsum legato* Maximiliani *à* Senatu *datum, quod superiorib. legatis* Patres *antea dederant: neq; quicquam cum illo de cæde* Germanorũ *communicatũ. ac, ne quid ei redeunti ab armatis in* Rhetico *noceretur, comites sunt ducesq; itineris per fines reip. attributi.* Vbi *ex literis* Cornelij *legati de prælio, deq; arcis expugnatione singula ordine ciuitas intellexit,* Li-

uianiq; & consilium, & celeritas, & virtus laudari vocibus omniũ cœpit: Patres, vt & illius animum alacriorẽ in posterum ad belli munia redderent, honorũ insignibus, & magnitudine præmiorum excitatum, & reliquorũ volũtates accenderent ad bene de rep. promerendum, cùm viderent fortes industriosq; viros ab ea fieri plurimi, præfecturã omnium reip. copiarum Liuiano detulerunt. Ea est amplißima post imperatoris nomẽ dignitas, quæ pro eorum meritis ab Senatu militaribus viris tribui consueuit; auctusq; est equitum illius numerus, qui erat sexcẽtorum, ad integrum mille. auctũ quoq; stipendium ab auri libris centum quinquaginta, ad tercentenas libras: tum decem in præsentia dono datæ cum ijs tormentis bellicis, quæ hostes è Germania secum attulerãt, quæq; ipse ob rei bene gestæ memoriã à Patribus sibi dari cupere in sermonib. cũ legato habitis ostenderat: Caroli aũt Malatestæ vxori ac duob. liberis infãtib. illa ipsa pensio annua, qua is viuens à rep. donatus fruebatur, in victũ tradita. Deinde cùm Patribus nunciatum esset, à Maximiliano copias in Carnis cõparari, tum incursiones in reip. ditionẽ à Goritianis fieri, quod est oppidũ in monte vltra Sontium flumẽ situm: Senatusconsultũ factũ est, vt milites ter mille celeriter cõscriberentur, atq; ad legatũ mitterẽtur. Cæterum quòd erãt pleriq; magistratus, qui bellũ inferri Maximiliano censebãt oportere, atq; in eius fines exercitum introduci volebant, Dominicus Maurocenus templi Marcij procurator, vir re atque cognomine sapiens, ætate valde proclinata, erat enim annos natus nonaginta, Patres monere ac rogare cœpit, ne id fieri permitterent: Germaniæ ciuitates, quæ liberæ suiq; iuris essent, ægrè ferre à Maximiliano arma contra

remp.

remp. exerceri, cùm pace frui poßit: eas easdem, si ei bellũ inferatur, molestè id laturas, neq; paßuras sui regis nomen dignitatemq; conuelli ac proteri: non magnas esse ab illo iniurias in remp. illatas, de ijs tamen deorum immortaliũ benignitatè pœnas ipsum reip. dedisse: omnẽ illam in Carnis manum concisam deletamq; esse, Cadoras Clusamq; recepta: in Rhetis nihil amissum, neq; vllam contumeliã acceptam: quòd si eo contenti, inquit, erimus, magnum nos fructum continentiæ laturos, Germaniæ totius beneuolentiam: quæ quidem certè Germania commeatib. asportandis, mercibusq; reciprocandis, & rerum plurimarum cõmunicatione ita est cõiuncta nobiscũ & consociata, vt magni inde prouentus in remp. portorij nomine, magnæ priuatim vtilitates in omne genus ciuium inferantur. Laudabile profectò esse hostes bello superare, propagare imperij fines: multò autem laudabilius, seipsos continere ac vincere, iustitiæ, moderationis, grauitatis opinionẽ apud omnes homines auxisse lateq; promouisse. Bellorum euentus à fortuna plerunq; administrari, quæ fluxa atque incerta sit: prudentiæ cõsilia stabilẽ habere exitum, semperq; plus proficere cõstantia & maturitate, quàm illa impetu vsum ex sese præbuerint. Hæc cũ senex sapiens dixisset, ardor ille magistratuum ad bellum gerendũ parumper restinctus est. itaq; nihil latum, nisi vti ea de re Patres amplius consulerẽtur. Alfonsus post hæc Ferrariensium dux ad vrbẽ familiariter se contulit Patrib. purgatũ, quòd suspectus eis fuerat literas nunciosq; ad Maximilianũ misisse societatẽ ineundi seq; cum illo coniungendi causa, confirmans nihil se vnquam eiusmodi cogitauisse: cupere autem & statuisse, vna cum repub. omnem fortunam experiri, neque vllo

tempore à Senatus autoritate velle recedere, Patres eam orationem auribus libentißimis acceperunt, collaudatumq́;, atq; vt omnia summæ beneuolentiæ officia à Senatu expectaret, confirmatum, domum remiserunt. Interim nulla in Rhetico belli cessatione à Maximiliano fieri cognita, in Carnis milites non vnis in locis cogi rumore nuncijsq́; afferentibus, Senatus suam in illum lenitatē frustrà adhibitam sentiens, pridie Nonarum Aprilium constituit, vti bellum omnibus à partibus Maximiliani finibus inferretur. itaque non legatis modò Gritto & Cornelio id Senatusconsultum celeriter est missum, sed omnino etiam Hieronymo Contareno; qui cū classe aliquot triremium legatus in Istris tūc erat, literæ sunt à Senatu datæ, vti maritima Maximiliani oppida, quà vellet, aggredi capereq́; conaretur: se alias paucis diebus triremes ad illum missurum. Senatusconsulto ad Cornelium perlato, voluntateq́; ciuitatis Liuiano reliquisq́; principibus declarata, magnum ijs studium, magna omni exercitui alacritas innata est belli gerendi: quam ob rem tormentis muralibus adductis, quod oppidum Cormonse citra Sontium flumen natura atque arte communitum, monti enim impositum muro prealto cingebatur, opportunum hostibus receptum dabat, omnibus ad id copijs accesserunt, magnaq́; vi aggreßi, deiecta muri parte, celeriter ceperunt. quod cùm diriperetur, Cornelius mulieres omnes vno in templo compulsas ab iniuria militum defendit: suppellectilemq́; sacram ipsis ab adytis abreptam finis & sacerdotibus restituit. Inde ad arcem expugnandam eodem impetu cùm perrexissent, ac tormentis quatere cœpissent, à propugnatoribus deditio est facta. Ea intellecta re, tria se castella sponte legato dediderūt. Portus aūt Naonis

nis ciuitas legatos de deditione ad Senatum misit. eos legatos liberali oratione Patres prosequuti, ad Cornelium reiecerunt, vt cum illo agerent, cui ea omnia mandauerat Senatus. Cornelius, cùm ad illum legati venissent, oppidum in fidem deditionemq́; accepit. Eodem tempore Lucas Renaldius à Maximiliano ad vrbem remissus cum tabellis regis manu subscriptis Patres adijt: quibus in tabellis certas Maximilianus induciarum conditiones reipub. proponebat: quarũ erat vna, vt annuas secum inducias Senatus faceret, quo tempore de suis cum Gallorum rege controuersijs in communi Germaniæ concilio disceptari & cognosci posset. Eas Patres inducias legato sese paratos esse facere dixerunt, dum eadem induciarum conditione fœderati reip. includantur: neq; enim sine ijs quicquam posse conficere Senatum. Renaldius his cum mandatis tãtùm discesserat, cùm maiorib. comitijs haberi cœptis, literæ nuncijq́; à Cornelio venerunt, qui dicerent: Posteaquàm ponte, quem hostes resciderant, in Sontio flumine celeritur confecto, exercituq́; traducto, Goritianos duabus maximis vno die impreßionibus Liuianus oppugnauisset, qua in oppugnatione centum milites amißisset, velletq́; postero die acrius vehementiusq́ue idem facere, oppidanos perterritos sese ei dedidisse. Eæ literæ, antequam suffragia inirentur, comitijs recitatæ sunt, magnaq́; ab ijs gratulatio Patribus est facta. Erat in oppido arx, quam milites ducenti custodiebant: ij cùm puluere ad tormenta exercenda carerent, neq; se arcem tueri posse sine ijs cõfiderent, pro eis armamentis reliquoq́; commeatu libras auri quadraginta sibi datum iri fide accepta, quatriduo intermisso arcem tradiderunt. ante quos quidẽ dies Belgradũ facta deditione legati præfectũ introduxit:

itemq; Vipaum, admodum elegans & ipsum oppidulum, quod abest ab Goritia millia passuum viginti lapidas versus. Cōtarenus quatuor triremibus Tergestinos magno animo aggressus, quarum erant duæ medij inter bellicas generis atq; eas triremes quibus ad mercaturam ciuitas vtitur, quas Nothas appellabant, muros tormentis deijcere instituit, qua parte mari oppidum alluitur. Et tormenta eiusmodi tum erant, vt ex ære tota confecta pedes vicenos binos in longitudinem protenderentur, acclinataq; in priore nauis parte sic, vt cauda malo proxima ore proram contingerent, pilam ferream librarum centum, si nihil impediret, bis mille atq; octingentorum passuum spatium impellebant: itaq; muris vicina vehemēti eos impetu concutiebāt. Id tormenti genus Basilium appellabatur: neq; sustineri propter pondus, nisi à magnis triremibus, aut à Nothis poterat, duasq; in partes diuisum, vt tractari facilius posset, collectione inter se mutua circumuolutum ita introrsus cō glutinabatur, vt esse vnum & continens videretur, nihilq; aeris per spiras admitteret. Ea instituta oppugnatione Duinum maritimum castellum deditur: quatuorq; triremes eiusdem, quo priores, generis missæ à Patribus Contareni classem duplicauerunt: Senatusq; ad Corneliū scripsit, si ei è rep. esse videretur, cum exercitu ad Tergeste oppugnandum accederet. Cornelius ea de re Liuianum cōsuluit: ille Contareni conatus terrestribus adiuuandos esse copijs magnopere existimans, cum tormentis muralibus, quæ mari deportanda curauerat, celeriter eò venit, atque ad Contarenum primùm omnium nauicula perlatus, belli consilijs cū illo communicatis, ad muros oppidi omnibus à terræ partibus demoliendos redijt. Inter hæc, propterea

quòd

quòd Aloisius Galliæ rex valde se cupere ostenderat, vt in eodem, quod secum & cum rep. fœdus intercedebat, Ferdinandus rex Hispaniæ particeps esset, nouaq; cũ illo societas, iisdem tamen legibus, institueretur: res agitari cœpta hãc difficultatem habuit, vt, quoniam Senatui longum atque impeditum videbatur id, quod in priore fœdere erat, se nullam pacis conditionem, quæ plerunq; in paruis temporum momentis existeret, posse à suis hostibus accipere, nisi prius, dum eant in Hispaniam tabellarij dumq; redeant, expectarit, caput illud Patres ita refici censebant oportere, vti qui pacem facere vellet, sociorũ modò nomina inscreret fœderi scribendo, ne multorum dierũ itinere literis mittendis, & responsis præstolandis, occasionem pacis amitteret. veruntamen vt id regum voluntate fieret, tempus intermitti placuit, dum id sciri posset. itaque fœderis confectio in alium reiecta est diem. Contarenus classe aucta, ad quẽ etiã naues duas tectas Patres miserãt, quæ muris se subijcere auderent, ijs ab eo latere oppidi maiore multo impetu percussis, ædificijsq; nõnullis intra vrbẽ dirutis, Liuianus parte altera perforatis deiectisq; oppidi mœnib. tormentorum impulsione non intermissa, Tergestinos ad deditionem compulerũt: itaq; pridie Non. Maias vnà cum arce oppidum receptũ est, nulla cõditione interposita, nisi vt militibus, qui oppidũ atq; arcẽ custodierãt, recedere armatis liceret. Oppidani, ne diriperentur, libris auri centum quinquaginta exercitui persoluẽdis, se suaq; omnia redemerũt, Liuiano & legatis procurãtibus, quibus erat oppidũ nobile diripi permolestũ. Eius rei literæ lætitia & gratulatione ciuitatẽ impleuerunt. Liuianus, Cornelius, Contarenus omnium ordinum studijs certatim laudati, quòd tantam rem

tam celeriter confecissent, magnam sunt ex eo virtutis atq; industriæ gloriam consequuti. atq; ijs statim literæ à Senatu datæ sunt, in eam cogitationem incumberēt, vt Pisinum, Flumenq;, *Maximiliani oppida, sub reip. imperium redigerentur: quorum alterum mediterraneum est, abestq; à littore millia passuum* XVI. *multoq; maximam inter* Istros *habet autoritatē:* Flumen *ad mare positum plurimarum rerū copiam subministrat, estq; illis gentibus & regionibus opportunissimū.* Prætor *etiam* Tergestinis *declaratus* Franciscus Capellus *arcis præfectus,* Aloisius Zanes: Vipao, *qui vtrunq; munus exerceret,* Marcus Antonius Erizus: *qui* Duino, Nicolaus Baldus: *qui* Cormonsi, Troianus Bonus, *paulò pòst ad magistratus obeundos in prouinciam abierunt, cùm antea* Dominicum Grittum *qui arcem custodiret, Senatus* Goritiam *misisset: nā oppido* Iustinianus Maurocenus *à legato datus præerat, Senatusconsulto accepto cùm* Pisinū, *quod est in monte tribus à partibus valde præcipiti situm,* Cōtarenus *classiarios suos &* Liuiani *equitatus, peditatusq; magnam partem cum tormētis adduceret, castello* Treuisa, *quod est in via quinq; millia passuum à* Pisino, *seq; magno animo ad defensionem comparauerat, vi capto atq; direpto, omnes celeriter ad* Pisinenses *oppugnādos contenderunt: tormentisq; prima vesperi positis, eam muri partem, quæ vna ex quatuor adiri poterat velle deijcere cœperunt. Id cùm mane postero die acrius continētiusq; fecißent, ac portæ turrim propè apparuissent, oppidani vna salutis conditionis impetrata deditionem fecerunt. In eius oppidi finibus castella erant decem septē, quorum sexdecim sub reip. ditionem sunt redacta. at cùm* Vipaum *indiligentius custoditum hostes recuperauissent, præfectumq;*

factumq; cepissent, Vipaenses postea, missis eò militibus, iterum capti ac direpti sunt. Praesidio Pisinensibus relicto, Contarenus ad Phanatici sinus insulas se contulit, atque ex Apsoro Cressa Vegio reliquisq; plus mille armatis hominibus naues longas conscendere iussis, ad Flumen oppugnandum rediit: cumq; mille passus ab oppido abesset, qui oppidanos vti se dederẽt postularet misit: si se cingi ab exercitu sinerent, quem postridie affuturum confirmabat, nõ fore liberam se dedendi potestatem. Id cùm illi magnopere timerent, pacti ne quid ex suis rebus amitterent, eo die Cõtarenum intromiserunt. Ea confecta re, quòd erat oppidũ mediterraneum illis in finibus non postremae aqud Istros autoritatis Postoina; Cornelius & Liuianus eò exercitum conuerterunt, atq; ad vicinos ei oppido pagos equites leuis armaturae plus ducẽtos praemiserunt. Illi praeda passim abacta, nullis è Postoina exire ausis, cuius ad muros incursionem fecerant, in vico sese proximo receperunt: ibi cùm noctu armis positis sine vigilijs quieti se dedissent, hostes Postoina silentio emissi equites circiter centũ quinquaginta, quorum erãt duces Bernardinus Rainicher oppidi praefectus, & Christophorus Friapanes homo ferox acerq;, eos inopinantes aggressi partim interfecerunt, partim ceperunt: paucos in fugã cõiectos noctis vmbra occuluit. Ea re nunctata Liuianus maiorem hostiũ numerũ veritus, vnà cũ legato Goritiã exercitũ reduxit. Hostib. eo successu elatis, castellisq; omnibus, quae circũ se amiserãt, nisi ad se redirẽt, bellũ et direptionẽ denunciãtibus, magnus est ab ijs cõcursus ad legatũ factus, orantib. vti se tueretur, neq; diripi, propterea quòd se reip. dedidissent, sineret. quã ob rem nõ par uo armatorũ hominũ numero in Foroiuliensibus celeriter

imperato, atq; ad se adducto, Cornelius ad Postoinam oppugnandam est profectus. Eo *itinere nondum confecto, ijdem illi hostes Postoina egressi, ad* Premium *municipium, quod est in* Tergestinorum *finibus, animati armatiq́;, id vt caperent atque diriperent, accesserunt. quod cùm se magno animo defenderet, forte fortuna ignis tormentorum puluere succenso, omnem locum atq; arcem, qua ex arce propugnabatur, ita corripuit, itaq; fœdauit, vt* Ludouicus Contarenus *præfectus,* Hieronymusq́; *Saornianus, qui omnibus illis in rebus totoq́; bello egregiam operam reip. nauauerat,* Premiumq́; *tunc propè vnus defendebat, ne comburerentur, aut fumo necarentur, sese hostibus dediderint.* Legato *post hæc &* Liuiano Postoinam *cum pleno exercitu accedentibus, tormentisq́; positis, vbi ea murum quatere cœperunt,* Rainicher *præfectus, ne diriperetur, se atque oppidum tradidit: cui statim comites dati, qui illum abeuntem in tuto sisterent.* Dum *hæc in* Istris *geruntur,* Pauli Lictestenij *suasu, prudentis in primis hominis, & recti ac tẽperati viri, qui magna erat apud* Maximilianum *regem gratia, atq; ab eo impetrauerat, vt se ad pacẽ cum rep. cõuerteret,* Tridentinorum Episcopus *Senatum per literas certiorem facit, cupere* Maximilianum *inducias cum rep. facere: quòd si nunc eadẽ est ei mens, quæ paulò antea fuit, mittat aliquem, qui cum ipse regis nomine agere, quæ tractanda erunt, possit.* Senatus *ea intellecta re* Zachariam Contarenũ *legauit, qui eò dandis inducijs proficisceretur.* Contarenus *cùm in* Rhetos *venisset, cum* Episcopo, *tribusq́; viris principibus, quibus omnino quatuor eam rem mandauerat* Maximiliani *iussu* Lictestenius, *in regis & reip. finium loco medio colloquutus, causam satis quidem perplexam*

perplexam atq; difficilem Gritti legati consilijs explicuit, vt vellent illi trium annorum inducias cũ rep. facere, cũq; eius fœderatis Galliæ Hispaniæq; regibus, atq; ijs, qui in Italia socij aut ipsius, aut illorum regum essent: nam cum Trãsalpinis vti facerent, adduci nullo modo potuerunt. Id cùm Senatus cognouisset, adhibitis regũ legatis quæsiuit, num id illis caput placeret. quibus annuentibus, facultate sic conficiendi per literas celeriter ei missa, Cõtarenus octauo Idus Iunias inducijs triennalibus cum rege factis scribẽdo affuit reip. nomine. quod quidem gratissimum Senatui fuit, qui pacem, quàm bellum, & onerum vacationem dari ciuibus, quàm ab ijs tributa exigi quotidie, malebat. tum illud etiam verebatur, ne, si Maximiliani oppida capi ac diripi sentiens frænum Germania momordisset, tam forti nationi, tantæq; multitudini resisti ab sese, & illarum gentiũ ferocissimarum bellum resp. defendere sustinereq; nõ posset. Erant in Rhetico exercitu Ioannes Iacobus Triultius, vt suprà dictum est, & Giufredus Carolus consiliariorum Mediolanensium magister, quẽ præfectus regius Mediolano miserat rogatus ab Senatu, vt aliquem regis sui nomine in Rhetis vellet conficiendis inducijs adesse: vterq; eas inducias fieri, nisi prius ea de re ab rege literæ venissent, noluerat, atq; in eo perseuerauerat: itaq; fœderi scribẽdo neuter eorum affuit. Triultius postridie eius diei cum suo comitatu Mediolanũ abijt: ei Grittus legatus per omnes reip. fines Patrum iussu comes fuit. Nonis autem Iunijs, qui dies postridie quàm induciæ firmarentur fuit cùm Aloisius rex in fœdere, cum Ferdinando rege, cumq; rep. sanciendo id pertinaciter caput inseri voluerit, se non admonito nullam omnino pacem fieri posse: vti societas ea lege firma-

retur, fœdusq́; conficeretur, Senatus tandem censuit. Pauloq́; pòst, quoniam inducijs in Rhetico firmatis, Postoinã in Istris oppidum Cornelius legatus ceperat, vti oppidum Postoina Maximiliano restitueretur, idem Senatus petentibus Germanis iußit. Interim milites equitesq́; è Rhetis et Carnis in hyberna sunt deducti, oppidaq́; capta præsidijs communita: muri eorum, quos tormenta deiecerant, atq; arces in meliorem multò formam vti reficerentur, cura præfectis tradita. quorum omnium ratione habita, oppidorum fines centum millia passuum in longitudinem patère, Cornelius legatus in Senatu dixit. Post quem, redeuntem ad vrbem Liuianum, in Bucentauro naui Lauredanus & Patres exceperunt: pauloq́; pòst & Portus Naonis oppidum, & ius comitiorum ei posterisq́; eius sunt ob remp. bene gestam dono data. Cornelius etiam illum lautioribus in epulis, cum principib. ciuitatis, & fœminarum nobilissimarum choro, diem vnum domi suæ habuit. Cognitis Aloisius rex inducijs, vehementer perturbatus questusq́; est cũ legato reip. Antonio Condulmerio, non se id ab ea meruisse, vt responso ab se non expectato, vllas cum Maximiliano Senatus inducias faceret: nihil ad se, in Italia fœderatos aut amicos illis inducijs esse inclusos, pertinere: vnum Menapiorum ducem Maximiliani potentiæ non obijci se tantummodo voluisse: id ereptum sibi eße ab rep. à qua iuuari in primis debuit: sibi tamẽ auri libras esse paratas decies millies, ijs illi auxilio se futurum, neq; passurum, vt fœderatorum suorum iniuria opprimi ab vllo poßit. Ea oratione iracundiæ suæ impetu apud legatum pronunciata, cũ se id fecisse pœnituisset, ad tranquillitatẽ se conuersum postea simulauit, mitioresq́; sermones habuit, præsertim

cùm

cùm Antonius legatus reip. factum excusauisset: Senatum id respexisse, ne Maximilianus induciarum tempore Mediolani res perturbare, atq; ei molestiam id ob regnum inferre posset: neq; cum illo remp. vlla alia, nisi Italarum rerum causa, esse cõiunctam. quid enim ei cum Trãsalpinis? sed qui iam antea nõ amico in rempub. animo esset, eiusq; secũdis rebus magnopere inuideret, facilè eam ob rem succensus, eùm ad malas cogitationes sese dedit: tametsi suo chirographo se inducias comprobaturum Antonio legato confirmauisset. Iisdem ferè diebus, quibus ea intellecta sunt, Hieronymi Donati, Petri Marcelli magistratuũ Cretensium literis Patres cognouerunt, tantos terræmotus ea in insula fuisse, vt magna ædium & fanorum pars corruerit: ipsorum domos in oppido Candia, tũ reliquorũ propè omnes, quas modò tremor solo non æquauerit, ea vitia fecisse, vt lapsuræ iamiamq; videãtur: mortuos sub ruinis ad eam diem esse repertos circiter quadringentos, in quibus sint ex coloniæ nobilitate non pauci: arcem in Lyctijs deiectam esse: omnes patresfamiliâs cum vxorib. & liberis sub dio degere, eius rei periculo perterritos. Huic ingenti malo reip. illud etiam est incommodum adiectũ, quòd Cõtarenus cognomine Camalis, triremium & ipse reip. præfectus, dum è Corcyra domum reuerteretur, duabus ex sua classe nauibus, quarum in vna erat ipse, tempestate disiectis, atq; in Piceni elisis littore, vnà cum XL. hominib. perijt. Itemq; Carratius, militum reip. præfectus, homo impiger egregiaq; virtute, in agro Veronensi equo insidens ab homine ciue suo, de quo nihil verebatur, interfectus est, gladio renibus infixo. De sicario, quem Mantuanorũ dux suis in finibus captum magistratui Veronensium tradide-

rat, pœna sumpta. Is, dum ea de re quæstio haberetur, se propterea Carratium occidisse, quòd sibi olim maledixerit, magistratui confirmauit. tanta est homini in hominem tamq; diuturna paruula sæpe de re suscepta iracundiæ vis & indignatio. Sub hæc, æstatis exitu, quoniã magistratib. comitijs maiorib. creandis leges iubent, vt ij, quibus id sorte munus obtigerit, vt nomen alicuius ciuis ad honores publicos suffragijs prouehendi palàm ederent, optimũ quẽque ciuem renuncient, ac nonnulli, diuites ex ciuibus qui essent, nonnihil donarẽt eis, qui illos ad suffragia legißẽt, quo proniores ad eos in posterum renunciandos fierent: legem Decemuiri tulerunt, Qui ciui cuipiã, qui eum ad suffragia legisset, vti magistratus crearetur, pecuniã aut quid aliud ob eam rem dederit, donauerit, qua in insula Decemuiris placebit, exul esto: eo relicto loco captus, fœdiore in vrbis carcere vitam producito, ac relinquito: eã pœnam minorem, nisi omnibus ad vnum suffragijs, collegiũ ne facito: qui facere volet, ei decem auri libræ mulcta esto. Paucisq; pòst diebus Maximiliani regis consiliarius Ioannes Raublerius, nullo comitatu, secretò ad vrbẽ venit, Zachariamq; Contarenum adijt, seq; ad illum ab rege missum ostendit, petens, vt quemadmodum is inducijs conficiẽdis paulò antè operam dedisset, ita nunc eadem opera vellet efficere, vt aliqua pacis tractatio regem inter atq; rẽp. iniretur. Contarenus, quæ secum regius interpres communicauisset, Senatui exposuit. Senatus Paulum Pisanum legit, qui, quæ Raublerius afferret, ab eo Senatus nomine cognosceret: nã Contarenus re exposita Cremonã prætor statim abierat. Cũ itaq; Raublerius cũ Pisano ageret, confirmauit velle regẽ pacem cũ Rep. facere: vtq; ea fieret, mul-

tis

tis rationibus conatus est suadere. Ei Pisanus ostendit, salua fide reip. cui cum Aloisio rege firma pax esset, id confici nõ posse: contraq; suadebat eam concordiam, pacemq; incũdam esse, quæ Christianis omnibus communis esset. Deniq; cùm Raublerius sibi à Patribus respõderi peteret, Senatus paucis respondit, illum quidem libenti lætoq; animo exceptum fuisse, tum regis sui causa quem respublica vnicè diligeret atq; obseruaret, quemadmodum etiam cunctos illius maiores amauerat colueratq;, tum ob proprias hominis virtutes: verùm longè magis ob eam rem, ob quam in primis missus fuerat, vt scilicet de pace concordiaq; ageretur, quam resp. magis cæteris omnibus rebus semper coluerat, atque hoc tempore multo libentius amplecteretur, si modò omni ex parte ea firma perpetuaq; constitueretur: id quod facilè euenire posse sperabat: nanq; exploratum ei erat, Aloisij, itemq; Ferdinandi, Galliæ Hispaniarumq; regum sibi sociorum animos pronos ad pacem esse: quamobrẽ eum hortari, vt regi suo huiusmodi pacem persuaderet, quæ Christianis rebus securitatem dignitatemque esset allatura, regi verò laudem & gloriam sempiternam: tempus maximè ad id opportunum esse: ad eam pacem tractãdam omni opera studioq; rempublicã paratam esse, modò compertum sit illam communi regum omnium consensu probari: tunc verò constituere, qua ratione, quóue loco, aut quibus arbitris ea tractanda sit, haud magnum negocium futurum. Hunc Raublerij aduentum, responsumq; eidem redditum, mandatũ fuit Condulmerio reip. legato vt Aloisio regi declararet, eademq; cum Albione Ferdinandi apud regẽ legato communicaret: quæ omnia etiam vtriusq; regis legatis Venetijs agentibus initio declarata fuerant. Censuit

enim Senatus, se legibus amicitiæ fœderisq;, quod cum ijs regibus percusserat, teneri, vt ea faceret. Illa quoq; ratio huc accedebat, vt scilicet regum animos ad tuendam pacẽ magis firmos Senatus redderet. Interim è Flaminia Petrus Landus Fauentiæ magistratus Senatui significauit, Franciscum Mariam Metaurẽsium ducem Iulij Pont. Max. copias proximis in finibus coegisse lustrandi exercitum, vt aiebat, causa: itemq; Florentinos mandauisse, vti sub eorum ditione quilibet paterfamiliâs, aut omnino quæq; domus hominem vnum armatum legato ipsorum mitteret certum ad locum, vbi essent milites recensendi: neq;, cur id fieret, proponebatur: itaq; darent Patres operam, vt Fauentia cõmunitior fieret, ne quid incommodi resp. si quid Iulius cõtra eam moliatur, accipiat. Patres ijs acceptis nuncijs pecuniam ad milites legendos Petro Lando celeriter mittẽdam, Lactantiumq; Bergomatem, qui se Carnico Istricoq; bello fortiter atq; amanter gesserat, omnibus militibus, quos ibi esse resp. iuberet, præponendum cẽsuerunt. Equites quoq; vtriusq; armaturæ non pauci cum præfectis Fauentiam e-uestigio contendere sunt iussi. Non me piget inter hæc eiusdem temporis rem dignam propter nouitatem, quæ legentibus nota sit, scribere. Nauis Gallica dum in Oceano iter non longè à Britannia faceret, nauiculam ex medijs abscissis viminibus arborumq; libro solido contectis ædificatam cepit: in qua homines erant septem mediocri statura, colore subobscuro, lato & patente vultu, cicatriceq; vna violacea signato. hi vestem habebant è piscium corio, maculis eã variantibus. coronam è culmo pictam septem quasi auriculis intextam gerebant. carne vescebãtur cruda, sanguinémque vti nos vinum bibebant, eorum sermo intelligi nõ poterat.

terat. ex ijs ſex mortem obierunt: vnus adoleſcens in Aulercos vbi rex erat, viuus eſt perductus. Aloiſius rex, cupidus imperij ſui fines in Italia propagare, intelligensq́; id ſe cõſequi nõ poſſe, niſi prius ſibi Maximilianum adiungeret, quo cum diſsidebat, neq; quibus illum artibus multis infenſum veteribus recẽtibusq́; iniurijs ſibi amicum facere poſſet, omnia cogitans reperiebat: ijs rebus ab legato cognitis, quæ Patres à Raublerio acceperant, ratusq́; eam optimam eſſe occaſionem Maximiliani animum ſibi conciliandi, ad eum legatos miſit, qui, vt illum in remp. accenderent, ei declararent, ſe quidem ab legato reipub. edoctum fuiſſe omnibus de rebus, quas Raublerius ad eam attuliſſet, omniáque conſilia ſibi patefacta: ex quibus Maximilianus, quantum huiuſcemodi hominibus credendum eſſet, qui illum tam apertè deſpicerent, ac, quo erga eum animo ijdem eſſent, facilè cognoſcere poſſet: totumq́; hoc factum rex ex animi ſui libidine compoſuit, auxitq́;. Neq; ipſum cogitatio fefellit: nam vbi ea Maximilianus ab rege excepit, ijs omnib. fidem planè adhibens, perinde ac ſi vera fuiſſent, magnopere exarſit, atq; animum, quẽ in remp. beneuolũ ad eam diem ſemper habuerat, his rebus commotus ad Aloiſium trãſtulit. Id cùm Aloiſius cognouiſſet, magnis illũ pollicitationibus atque illecebris quotidie captum fouens, agere cum Iulio Pontifice Max. & cum Ferdinando rege cœpit, quos quidem oppidorum, quæ reſpub. ex eorum ditione in Flaminia atque Apulia obtinebat, recuperandorum cupiditate alterum magnopere teneri ſciebat, alterum pro animi ſui motu ac propenſione duci vehementer exiſtimabat (nã Ferdinandus ipſe nullam eius rei oſtẽſionem fecerat) vti ſecum & cum Maximiliano cõtra Venetos fœdere inito bel-

lum sumerent. quanquam sunt qui affirment, agitatum de eo ab Aloisio multò antea cum vtroq; fuisse, & cum Ferdinando quidem eo maximè tempore, quo ei Neapoli classe in Hispaniam redeunti Aloisius in Liguria obuiam se obtulit, diesq; aliquot cum illo fuit. Vtcunq; autem illud ceciderit, ea re ab neutro repudiata, Alberto Pio, homine vafro callidoq;, & qui Carpis oppido circumpadano eiectus, quod hæreditario iure ad se spectare dictitabat, ad Aloisium regem auxilij petendi causa se contulerat, Gallicas partes fouente, ac magnopere adnitente, propterea quòd, si res ad exitum perduceretur; sese domum rediturum confidebat, inter eos omnes fœdus est percussum vltimis Octobris diebus apud Cameracũ Belgarũ oppidum: quo in oppido Margarita Maximiliani filia, quã Carolus Gallorum rex repudiauerat, cœlebs eas nationes regebat, eiq; reì omne studium adhibuerat. tametsi non paruam etiã operam in eo nauauerat Georgius Ambosius Cardinalis Rotomagensis Aloisij legatus: qui, quòd Romæ comitijs Pontificalibus Alexandri sexti morte præteritus, eam repulsam reip. acceptã referebat, eximio erat in illã odio: et Nicolaus Frisius, homo Germanus, Italis imbutus moribus, Maximiliano persimiliaris, qui ad vtrosq; non semel ventitauerat cum mãdatis, federiq; demum feriendo affuit Maximiliani nomine. Fœderis lex præter cætera fuit, vti omnes vno tempo re reip. bellum inferrent: quo si Veneti bello victi essent, quæ ab ijs vltra Veronæ vrbis fines ditione tenebãtur, Gallorũ regi cederẽt: Verona, quæq; ab ea vsq; ad mare Adriaticũ pertingunt, Maximiliano: Flaminiæ oppida, quæ reip. tũc essent, Iulius: Apuliæ, Ferdinãdus obtineret. Tanta verò fuit Gallorum regis cura, ne quid eorum, quæ in concilio statuissent,

statuissent, enunciaretur, vt diu nihil certi rescire potuerit, Aloisiusq; ipse Antonio reip. legato ab eo societatis iure quærenti, ecquod nam Cameraci fœdus percußisset, affirmans dixerit, se amicum reip. esse, neq; quicquam fieri cōtra illius dignitatem permisisse: Antoniusq; Senatui scripserit, nihil omnino actum quod reip. nocere posset, fidem sibi regem suam non semel interposuisse. Erat Mediolani reip. nomine Ioannes Iacobus Caroldius Senatus scriba, cui fidē regij ministri sæpe fecerant, dum in concilium ab legatis iretur, deq; ea re sermo frequens esset, regem omnino nunquam ab rep. dissensurum, omnibusq; rebus charius reip. amicitiam semper habiturum: scire enim eam coniunctionem magno sibi & vsui & ornamento esse: is, quòd Giufredum Carolum, de quo supà commemorauimus, confecto statim fœdere inter suos gloriantem dixisse intellexerat, sese breui sui ciuis mortem cumulatè vindicaturum, déque ijs, qui eum interfecissent, pœnas sumpturum, Carminiolam Venetorum imperatorem auorum nostrorum memoria publicè ab ijs ob proditionem capite mulctatum, eo inuolucro verborum designantem: vtriq; enim eadem tellus patria fuit: id, quod erat ratus, Senatui primus omniū per literas denunciauit, eo ab fœdere sibi caueret: habere se, cōtra remp. fuisse ictum, indicia. Sed confecto, vt dictum est, fœdere, Iulius tametsi cupiditate ferebatur Arimino Fauētiaq; potiundi, quia tamen & Gallorū regem magnæ per se potentiæ multò maiorem suo permissu fieri nolebat, & cùm illam nationem, tum Germaniæ populos in possessionē Italiæ venire, optimæq; eius partis atq; populosissimæ dominos fieri, sibi reliquisq; Italis detrimentosum existimabat futurum, vt ab illis Venetos opprimi sineret, adduci

propè non poterat. Itaq; cùm videret ab Aloisio exercitum reliquáque ad bellum idonea per hyemem magno studio comparari, vt primo pabuli tempore Alpes traijceret, séq; ab eo per legatos perq; literas solicitari animaduerteret, vt suas & ipse copias paratas haberet ad reip. fines eodem tempore à Flaminiæ latere infestandos, atq; in eius ditionē irrumpendum, ne sui colligendi aut omnino resistendi reip. facultas daretur: Constantino Cominato Epirotæ non postremæ apud Maximilianum autoritatis, qui Romæ tunc erat, quóque ipse familiarißimè vtebatur, mandauit, vt in occulto Ioannem Baduarium reipublicæ apud se legatum alloqueretur, quæq; ab eo dici vellet, ei ostendit. Constantinus, qui à Gallis regno pulsus, quod quidem aliquot antè annis vxorio nomine in Salaßis obtinuerat, magno illos odio prosequebatur, adhibita diligentia noctu amotis arbitris legatum alloquitur, atq; omnia Aloisij regis consilia ei aperit, quæq; reip. impendeant proponit. addit, si Senatus Ariminum atq; Fauentiam restituere Iulio velit, propterea quòd is reip. vastitatem non æquo animo ferat, confidere sese ab eo impetraturum, vt vnà cum Maximiliano à Gallis desciscat, detq; operam ne quid ab illis reip. noceri poßit. Legatus Constantino collaudato, quòd tanta secum de re sermonem habuerit, nihil sibi spei esse reliquum dixit posse se ad id perducere Senatum: sed quæ ab eo cognouerit, vti ad Decemuirûm magistros quā celerrimè perferātur, se curaturum pollicetur. Decemuiri, qui iam de fœderis conditionib. aliunde cognouerāt, neq; oppida illa ab se dimittere vllā ob causam in animū induxerant, nihil omnino ad legatū, qui ad eos literas dederat, ijs de rebus rescripserūt: sed ad Maximilianū, de quo porrò ad eos afferebatur,

posse

posse illum adhuc quidem ab amicitia Aloisij *regis abstrahi (nondum enim eam rem ob vetus erga illum odium, plurimasq; odij causas in eius animo coaluisse)* Ioannem Petrum *Stellam Senatus scribam, qui aliàs ad Maximilianum ventitauerat, eratq; illi admodum familiaris, secretò miserunt, vt illum quibuscunq; posset modis Senatui recōciliaret.* Is *cùm ob nimium conficiendæ rei studium immatura festinatione se apud Maximiliani familiares patefecisset, sic, vt eius aduentus* Aloisij *regis legatis, qui apud Maximilianum erāt, celari non potuerit, nulli reipub. vsui fuit.* Leonardus *quoq;* Vicetinus, *ex nobili* Portorum *gente, vir & clari in bonarum artium disciplina nominis, & reipub. amantißimus, magnis itineribus summa hyeme ad amicos suos* Maximiliani *familiares, qui se ei obtulerant, à Senatu missus, vt per illos regis animum leniret, nihil profuit.* De*cēuiri enim certas pacis conditiones, quæ ab ille proponebantur, quod ex reip. dignitate non essent, re inter ipsos agitata respuerunt.* Quin *etiam illud accidit: nam quod erant* Romæ *duo reip. legati,* Ioannes, *de quo dixi,* Baduarius *homo lenißimis omnino moribus, &* Georgius Pisanus *morosi admodum ingenij, cum* Iulio Centum cellas *petente* Pisanus *in comitatu fuit,* Baduario Romæ *ob valetudinem relicto.* Ibi *cùm* Iuliū *tranquillo mari nauicula exhilaratū, qua vna ille re magnopere delectabatur,* Pisanus *de eo ipso reip. in* Flaminia *negocio alloqueretur: quin tu, inquit* Iulius, *nō cum Senatu tuo agis, vt is aliquē ex suis ciuibus mihi proponat, cui ego* Ariminum, Fauentiamq; *dē* Romanæ *reip. nomine obtinenda, stipendiariumq; illum meū faciā? ita & habebitis re vos à me oppida illa, & ego ad speciē nō amisero.* Ad *quē quidem* Iulij *sermonem* Pisanus *respōdis-*

se dicitur: non consuesse remp. quempiam ex sua ciuitate regem facere: tumq; nihil de ea re ad Senatum scripsit: neq; quicquam cum collega postea communicauit suo. ita siue casu, siue fortuna, siue deorum immortalium voluntate, qui remp. florentem opibus, egregiam & illustrem fama, pollentem autoritate, in finitimorum regum inuidiam adduxerint, vt ex aduersis eius rebus animos hominum erudirent, quae ciuitas quodq; imperium annos plus mille octoginta semper creuerit, posse id vnius diei spatio vehementer conteri ac debilitari. Patres pacis spe deposita, ad bellum propulsandum ingenti animo se cõuerterunt. Itaq; vti equites grauioris armaturae supplerentur numero ad decem millia, leuioris ad tria millia quingẽti, quorum essent ab Epiro duo millia, militesq; ad millia tredecim cõscriberentur, Senatus statim iussit. tum ut ei quoq; rei prospiceretur, si quid reges mari molirentur, naues triremes quindecim, quarum essent Nothae quatuor, vt in vrbe Cretaq; insula armarentur, classiq; reliquae coniungerentur, latum. Missus quoq; ab Decemuiris ad regem Britanniae Andreas Baduarius, qui multos annos ea in insula fuerat, linguãque illam callebat, vt eum reipublicae amicum faceret. Interim & Lascaris Gallorum regis legatus, Patribus valere iussis, ab vrbe in Galliam discessit vltimis Ianuarij diebus: & Antonio legato reip. vti domum reuerteretur, regij in Gallia interpretes edixerunt, cùm ei prius torquem aureũ dono regis nomine attulissent. Antonius autem nõ egere se inimici regis muneribus pronũcians, torque repudiato viae se dedit. Caroldius etiam Mediolano dimissus cum Triultium discedẽs salutauisset: ille verò, pudet me, inquit, Caroldi huius belli, quod parari video, nam iniustum est: nulla enim

enim in re uiolatam à vobis Gallorum societatẽ possumus dicere: nam quod rex de inducijs queritur, id quidem nihil est: Senatus *enim illi ob res modò* Italas *tenebatur, reliquis in rebus erat liber*. Paucis *autem pòst diebus cùm parũ esse superioribus Senatusconsultis prouisum exercitu comparando* Patribus *videretur, additum ad illa est, vti equitũ leuis armaturæ mille, militum quina millia aduenarum nationum scriberentur, sagittarijq; è* Creta *insula mille, ex* Acroceraunijs *alteri mille cuiusq; modi armorum accerserentur. quodq;* Genuæ *atq; prouinciæ portubus naues innumerarum amphorarum quatuor, triremesq; non paucas armari ab rege* Patres *intellexerunt: naues triremes duodecim, quarum essent* Nothæ *duæ, prioribus addendas cẽsuerunt. latum etiam, vt* Cremonæ *arx ad sustinendos hostium impetus longè munitior fieret. itaq; mille operæ ei rei à magistratibus addictæ, opus ante inceptum bellum perfecerunt. reliqua etiam eorum finium oppida castellaq;, quibus id vsui esset, communitiora fieri, magna cura atq; impendio cœpta sunt.* Ea *dum* Nicolaus *imperator inuiseret,* Bergomumq; *adire, quod postremum erat, die dicta statuisset, re per exploratores* Mediolani *profecto nunciata, noctu eius equites ducenti cum militibus totidem, quos finguli singulos suis in equis imposuerant,* Abdua *flumine traiecto, se in syluas abdiderunt, vt imperatorem, qui nihil eiusmodi veritus cum paucis itineri se dederat, de via interciperent. quorum de insidijs cùm esset* Bergomum *per agricolas earum regionum magistratibus nunciatum, tabellarij nuncijq; citatis ad imperatorẽ equis missi ab ijs, paruo illi spacio ex hostium manibus erepto, saluti et incolumitati fuerũt.* Iis *rebus foris administratis, domi claro ac sereno*

die vrbanis in naualib. dum puluerem ad tormenta exercẽda confectũ in arculas ligneas operæ infarciunt, ictu mallei fauilla emicuit: ea ingentem eius pulueris aceruum comprehendit, disiectisq́; immani cum fragore ac tonitru, terræq́; motu eius conclauis, in quo asseruabatur, parietibus & tecto, vt lateres, tegulas, asseres, tignaq́; ipsa longo per aera tractu volantia ignis vis atq; impetus in diuersa tulerit, fumo & caligine vrbem totam puncto temporis integens ciuitatem perterrefecit: Senatusq́;, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit. eo igni & cadentibus passim ijs, quæ sublimè ierant, fragmentis, ex fabrûm collegio quamplurimi, magisterq́; ipse fabrũ, & honesti homines aliquot interierunt: habitaq́; pro ostento res fuit. Regis *sub hæc* Ferdinandi *legatus* Patres *adijt, regem suum eo se fœdere, quod ictum* Cameraci *esset, vno modo capite, quo sit bellum* Thracibus *inferendum, cum* Aloisio *rege coniunxisse: velle enim, quod cum rep. fœdus habeat, in eo amantissimè permanere: cupere aũt, propterea quòd fiat certior ab* Aloisio *arma in remp. parari, scire à* Patribus, *quænam sit eius rei causa: demũ, quicquid aut opibus, aut beneuolẽtia valeat, id omne reip. polliceri. Eiusmodiq́; sermonem ipse in* Hispania *rex cum reip. legato* Francisco Cornelio *habuit, vt Senatus ea, quæ multis autoribus aliunde cognouisset, de* Ferdinandi *ab se alienatione, falsa esse crederet. ita sunt prona hominum ad fallẽdum ingenia, non quorumlibet mòdò, sed regum quoque.* Vbi Patres *de insidijs imperatori factis in agro* Bergomati *ab* Gallis *equitibus intellexerunt, ea re belli factum initium rati, duos ad id legatos legerunt, illos ipsos, qui paulò antè bellum* Rheticum Carnicumq́; *administrauerant,* Andream Grit-

tum,

tum, Georgium Cornelium. atq; is, antequam proficisce-retur, maioribus comitijs templi Marci procurator lectus est, Dominici Mauroceni, qui mortem obierat, de quo suprà commemorauimus, loco. Erat Cornelius annorum LV. neq; post Franciscum Foscarum, qui dux Venetorum fuerat, quenquam minorem natu illum magistratum esse adeptum constabat: adeò vni senectuti eo creando ferè semper honos fuit. Præfectus quoq; à Senatu lectus est Epirotis equitibus Iustinianus Maurocenus: quæq; ad eam diem in nobilitatem aditum nunquam habuerat, Vincentio Valerio tormentorum cura tradita. Proficiscentibus aũt ab vrbe legatis, quæstor est exercitui Paulus Nanus declaratus. Quoniam verò magistratus regij edictum Mediolani proposuerant, vt cùm eius vrbis ciues, tum verò etiam Ligures, aut omnino Galli, qui in ditione reip. eo temporis moram traherent, viginti dierum spatio domum reuerterentur, id qui non fecisset, mors ei pœna esset, eiusq; bona publicarentur: qua ex re fiebat, vt perplurimi, qui vel mercaturam faciebant, vel plebeias artes exercebant, domiciliaq; in vrbe habebant, emigrare cogerentur: legem cõtrà Patres iusserunt, qui ea de causa vrbem reliquisset, quiue illum nauicula euexisset, aut comes itineris fuisset, eius bona fisco inferrentur, aliquandoq; captus annum in carcere teterrimo conficeret. ea pœna proposita, omnes, quibus quidem aut insulæ, aut fundi, aut omnino res aliqua familiaris esset, emigrare veriti restiterunt. Iis rebus bellicisq; apparatibus, & Maximiliani cum Aloisio rege noua ex fœdere coniunctione, Germani mercatores, qui in vrbe erant, permoti, concilio coacto à Patribus petierunt, vti se tutos, si quid reip. ab suo rege accidat, velint esse. quod

quidem illis Patres libentißimi concesserunt: amplißimaq́; ijs facultas est omnia, vti consueuerant, in tota reip. ditione liberrimè agendi tradita. Comitijs deinde maiorib. praefectus est claßis Angelus Triuisanus declaratus, iussusq́; à Senatu quamprimum conscendere: nam praeter eas naues, quae à Gallorum rege armabātur, Ferdinandum quoq; regem parare classem, quam in Siciliam & Tarentum mitteret, reip. apud illum legatus ad Senatum scripserāt. tametsi eius legatus Patribus fidem faceret, Africanarum rerū causa eas opes cōparari: nihil omnino esse, quod eo ab rege sibi verendum existimarent, qui esset reip. amantißimus. Ea res, & quòd Iulius exercitum & ipse in Flaminia ex Hetruria & Vmbria & Piceno cogebat, & Galli magna manu Alpes iam traiecerāt, longè maiore aūt vnà cū rege in dies traiecturi dicebantur, & Maximilianū omnes homines idem pér se facturū existimabāt (misceri enim & tractari arma ex Germania rumor attulerat) Senatum solicitum fecerat, quonam pacto vnus tot tantorumq́; hostium impetus terra mariq́; sustineret, praesertim cùm Iulius Roma, suisq́; omnibus ab oppidis & finibus manum vllam ad reip. stipendia venire non permitteret, edictis durioribus interpositis: vt, qua ex parte plurimi se duces reip. obtulerant, multumq́; copiarum secum adducturos se receperant, resq́; pub. magno eos vsui sibi futuros confidebat, ab ea illā parte spes omnis atq; opinio destituerit. Quae cùm ita se haberent, praestare Patribus visum est, vti ad Senatū de restituēda Iulio Fauētia referretur, si fortè illū eo munere auertere ab incepto possent: verùm Georgio Emo rē vehementer refellente, nihil latum. Legatis Brixiam Cremonamq́; profectis, templi Marcij altera procuratio, quo

in

in magistratu Marcus Antonius Maurocenus mortē obierat, Andreæ Gritto comitijs maioribus est delata, vt eo munere ad bene de rep. promerendum rebus tam dubijs accenderetur, Andrea Venerio ciue prudente, publiciq; iuris retinente, octo suffragijs præterito: qui eo anno Patribus autor fuerat vti Aloisij regis societate, suspecta illa quidem ac planè dubia, repudiata, cum Maximiliano, magnopere id efflagitante, se coniungerent. Petrum interim Landum Fauentiæ magistratu decedentem, in Flaminia legatum Senatus iußit esse. Is Ariminū profectus, detecta proditione ab Iulio instituta, qua eius militibus noctu oppidi portam tradi conuenerat, de proditore pœnas sumpsit. Miserāt ad Heluetios superioribus diebus Patres Hieronymum Saornianum societatis instituendæ causa: atq; is quatuor eorum pagis persuaserat, vti se cum rep. coniungerent: fidemq; ab ijs acceperat, si per decennium ducentæ quinquaginta auri libræ annis singulis à Senatu eis dentur, se cum rep. futuros, atq; in Galliam transalpinam eucstigiò contra regem erupturos. ea intellecta re, vti ita fieret, à Senatu lex est lata. Duo sub hæc nuncij Venetias allati, magno timore pro belli initio ciuitatem affecerunt: quorum alter, Frāciscum Mantuanòrum principem Casale municipium in Padi fluminis ripa sibi finitimum collecto equitatu & peditatu repētino impetu cepisse, Patres certiores faciebat: ab altero, Gallorum magnas copias Abdua traiecto Treuium oppidum aggressas, cùm illis obuiam, qui in oppido erant, equites & milites exissent, omnem illam manum fudisse, ex militibus non paruum numerū interfecisse: Paulū Memium prætorem, & Iustinianū Maurocenum vnà cum filio, præfectosq; tres captiuos fecisse, atq; oppidanos ad deditionē

compulisse, confirmabatur. equites tamen Epirotas ducentos, quibus Maurocenus præerat, reliquis fusis fugatisq;, conglobatos per mediam hostium aciem sese incolumes in tutum recepisse, neq; eos lacessere ex hostibus ausum quen quam fuisse, idem nũcius adiecerat. Regis etiam Gallorum præco ad vrbem venit, vt bellum reip. indiceret. Ab eo Patres, semotis alijs, ne ciuitas re noua permoueretur, se adiri voluerunt: itaque porta deuia in vestibulo curiæ admissus, veste lilijs aureis intertexta sese induit: tum curiam ingressus ante Patrum subsellium stans, Bellum, inquit, Lauredane Venetorum dux, ceteriq; huius vrbis ciues, Ludouicus Gallorum rex indicere me vobis iussit tanquam infidis hominibus, Pontificisq; Max. & reliquorum regum oppida per vim perq; iniuriam capta possidẽtibus, omniumq; omnia dolo malo sub vestram ditionem rapere atq; redigere festinantibus. ipse ad vos armatus ea repetiturus venit. Ad hæc Lauredanus Patrum medius sua in sella sedens ita respõdit: Res hæc pub. Galle, quam adijsti, nihil iniustè possidet: nam iure agit, neq; fidem cuiquam fallit: quam certè fidem nisi valde plus iusto regi ipsi seruauissemus tuo, ille verò vbi pedẽ in suo poneret, in Italia nõ haberet. Sed præstat nos vel cum periculo esse, qui semper fuimus, dũ Aloisius æquè arrogantia atq; perfidia polleat. bellũ quod denuncias, propulsaturi cum dijs immortalibus sumus, quos ille vindices habiturus est, aut hîc, aut apud manes, rupti per scelus fœderis. Hoc responso accepto est dimissus: ac ne quis eum violaret, quos itineris comites à reip. magistratibus aduenìens habuerat, ijdẽ sunt reducere atq; in regis finib. sistere illũ iussi. Brixiani, vbi de captis oppidis & præfectis nunciatum est, cõcilio ciuitatis coacto milites sex mille sua

le sua pecunia legere decreuerunt, atq; ad legatos mittere. ciuisq; vnus ex ijs Aloisius Auogarius, sexcentos milites se celeriter cōfecturum, magistratibus est pollicitus, eosq; sine vllo reip. impendio menses quatuor in exercitu habiturum. quod quidem Brixianæ ciuitatis factum, plenū fidei atq; beneuolentiæ, postea Veronēses æmulati, quinquaginta auri libras exigi ab sese, atq; in milites ad exercitū mittendos stipendij nomine distribui concilio coacto statuerunt. Galli eo successu cohortati inter se Carauagium capere aggreßi, vbi oppidanos quiq; oppidum custodiebant milites apertis exire ad prælium portis magno cum clamore ingentiq; tubarum sono è propinquo viderūt, veste atq; argento temerè vbi consederāt relicto, sese fugæ mandauerunt. Domi autem Patribus pecunia in bellum eroganda solicitis, præter tributa alia de hoc quoq; Senatusconsultū factum est, & quidem solito fieri superioribus in bellis altero tanto grauius, vti à magistratibus vrbanis sex mensium stipendia integra reip. remittantur: reliquorum verò compendiorum, quæ omnino ex iurisdictione ipsa, vel ex portorijs fraudatis, vel quacunq; alia ex re ad eos redeunt, media pars in ærarium inferatur, quadraginta viralibus iudicijs exceptis, quibus vnis media stipendiorū pars maneat, propterea quòd aliunde nihil lucrātur: magistratus autem prouinciales, & arcium præfecti, intra sinum Phanaticum qui sunt, mediam stipendiorum partem reip. remittāt, reliquis in rebus eadem, qua vrbani, lege teneantur. Horū autem magistratuum vrbanorū & prouincialiū omniū iuris interpretes, & scribæ, ministriq;, mediā & ipsi cùm stipendiorum partē, tum compendiorū tribuant reip. Veronæ, Brixiæ, Bergomi, Cremæ, Cremonæq;, atq; Flaminiæ magi

stratibus itē exceptis, & ijs qui vltra sinum Phanaticū sunt missi, qui omnes quartam modò partē earū vtrarunq; rerum conferrant: satis enim magna alteris incōmoda bellum esse ipsum allaturum, alteris iter longum & impeditū iam attulisse, ne alijs etiam oneribus ferēdis æquè ac cæteri affligentur. Eam legem, *vti dictum est, cùm Senatus iußisset, maiora quoq; comitia triduo pòst habita pari studio iusserunt.* Latum *est etiam, vti exules illatæ fortuitò mortis causa, qui vnà cum quatuor bello idoneis hominibus militiam reip. menses quatuor sua pecunia fecerint, ab exilio reuocentur.* Legatus *deinde* Bergomatibus *est datus* Marinus Georgius, Ariminensibus Aloisius Armerius, *qui eis in oppidis administrando bello præsint.* Interim *cū à* Petro Lando Patres *certiores facti essent, ab* Iulianis *copijs incursiones in* Reip. *fines fieri, abigiq; prædas, & agrestes homines vulgò interfici, vel captos in vinculis adduci, eadem est in* Iulij *finibus patrandi exercitui reipub. à* Senatu *facultas tradita:* Laurentiusq; Sagredus *præfectus claßis in* Flaminiæ Piceniq; *littoribus suis cum nauibus* Ariminum *cōtendere est iussus.* Cumq; *hostium numerus in* Cremonæ *finibus* Abduæq; *ripis vehementer augeretur, castellaq; ad eos & pagi aliquot defecissent, vti naues aliæ aduerso* Padi *flumine in* Galliam *mitterentur, aliæ in lacu* Benaco *armarentur, lex est lata: præfectiq; alteri claßi* Sebastianus Maurus, *alteri* Zacharias Lauredanus *dati.* Gaspar *etiā* Seuerinas, *qui* Cesenæ *erat, seq; reip. obtulerat, &* Antonellus Neapolitanus *cum turmis equitum ad reip. militiam sunt conscripti: atq; hic quidem, quòd erat planè diues, confectis in vrbe testamenti tabulis, templi* Marcij *procuratores ex asse sibi hæredes instituit, atq; ad bellum profectus est.* Leonar-

dus etiã Pratus, *è* Lupis *Apuliæ oppido, ex ſocietate* Rhodiorum *militum, ſe ad remp. contulit, homo & gentis nobilitate, & rei militaris ſcientia clarus: cui paulò pòſt, vt virtuti eius honos haberetur, equites leuis armaturæ centum quinquaginta, reliquorumq; omnium eiuſdem modi equitum præfecturam* Senatus *tradidit. Is quoq;* Leonardus *cùm ad vrbem quinquaginta auri libras domo ſecum attuliſſet,* Patribus *dixit, tanto ſe auro in præſentia nõ egere: decemq; ex ea ſumma ſuos in vſus retẽtis libris, reliquas quadraginta eis obtulit, atq; à curia in diuerſorium abiens ſtatim miſit. tam prona in alieno homine atq; aduena liberalitas cum beneuolentia in remp. extitit.* Venienti *autem ad vrbem* Hannibali Bentiuolo, Patribusq; *pollicenti, ſi fauore ſuo velint, opibusq; ſibi præſtò eſſe, breui ſe vnà cum fratribus & ſuorum factione,* Bononiam *ab* Iulio *auerſurum, magnamq; illi plagam, quà nihil timeat, inuſturum:* Senatuſcõſulto *ſunt omnia, vti petierat, permiſſa, literæq; ad præfectos in* Flaminiam *datæ, rem omni ſtudio iuuarẽt: atq; ipſi equites quingenti,* Hermeti *fratri eius milites ſunt bis mille cũ pecunia pro re, quam parabant, traditi.* Equiti *etiam* Vulpio *è* Cornelij *foro, ob ſeditiones ciuitate eiecto, equitum grauis armaturæ turma data:* Herculiq; Tiberto Ceſenæ *item exuli milites quingenti, ſpe nouandarum rerum ſuo in oppido ab vtroq;: quibus reuocatus motibus* Iulius, *ſuisq; rebus timens, ab incepto bello deſiſteret.* Inter *hæc binas auri libras ſacris virginibus* Patres *dono dari à quæſtoribus curauerunt, vt præces dijs immortalibus tam duro tempore pro rep. facerent: perq; omnia vrbis templa ſacerdotes à* Pontifice *iuſſi numina, quorum ſub tutela* Venetum *imperium eſt, votis ſupplicibus, & ſolẽni ritu placa*

re. Verumenimuero cũ belli facies quotidie formidolosior fieret, eq́; Gallia transalpina operæ fabriq́; magno numero Mediolanum, Laudemq́; Pompeij aduenissent, pontesq́; tres diuersis locis in Abdua flumine ab hostibus instituerẽtur, regemq́; ipsum multo maxima cum manu paucis diebus affuturũ, fama nuncijq́; vulgauissent, atq́; à Flaminiæ latere Iulij exercitus modò Ariminum, modò Faventiam inuasurus magnopere vrgeret, ob ingẽtes autem tot tamq́; præsentibus in rebus factas impensas pecunia remp. deficeret, quod profectò malum omnium maximum plerisq́; videbatur: coacto Senatu Lauredanus dux auri libras decem mutuò se daturũ reip. pollicitus, ciues reliquos, quibus non deesse facultatem sciebat, idem pro se quisq́; vti facerẽt, est cohortatus: itaq́; eo die postroq́; plurimæ auri libræ mutuò in ærarium collatæ, eo metu ciuitatem liberauerunt. Taurisio deinde reliquisq́; ditionis Venetæ locis, vrbe excepta, restitutus est ab exilio Iacobus Collaltus (cuius exilij damnatus ob necem patrui fuerat) dum is in exercitu reip. quemadmodum quidem Patribus se obtulerat facturum, cum turma equitũ centum menses quatuor sua pecunia militiam faciat. Erat tunc in sermone ciuitatis haud modico Fauentia: quo in oppido detecta proditio fuerat Francisci Brixiani equitũ turmæ præfecti, deq́; eo pœna sumpta: oppidi enim portam noctu Iulianis se militibus aperiturum cum eorũ interprete pepigerat., atq́; insigne Iulianũ cum quercu aurea & coronis, quod in muris manè poneret, ab eo traditum domi suæ custodiebat. Illi autẽ, patefacta re, in Fauentiæ se fines intulerunt, vt oppidum montanum Brisigeliam, cui ciuitas propter optimũ genus militũ ex eo educi solitum magnopere confidebat, expugnarẽt: iamq́; Tar-

tarum

turum Centurionem reip. qui Brisigeliam cum tribus corhortibus præsidij causa se conferebat, insidijs positis interceperant, pauloq́; post cùm oppidum tormẽtis cinxissent, eo sunt potiti, prætore, quæq́; cum eo erat copia, & Ioãne Paulo Manfronio equitum præfecto magna virtute, qui tuendi oppidi causa eò cum paucis equitibus per medios hostes sese inferens venerat, in arcem se recipientibus: quos tamen omnes multis oppugnatos prælijs, arce etiam deiecta, captiuos fecerunt: & Fauentia frustrà tẽtata, in Rauennæ fines ad Rußium oppidulum oppugnandum se contulerunt. Eas ob res ciuitate perturbata cùm lẽtius tributa exigerentur, Senatus censuit, vt qui iure comitiorum præditi die sibi præstituta in ærarium non intulissent, eorum nomina comitijs maioribus recitarentur, vt ab vniuersa ciuitate cognosci possent, qui ciues non amantes patriæ essent. quòd si ob eam contumeliã alia præstituta die non inferrẽt, tum verò à Senatu atq; à collegijs secretioribus, demum ab omnibus reip. muneribus arceantur, eorum loco alij subrogẽtur, ipsi ad ferenda suffragia ne admittantur. Hæc tum fuit nobilitati pœna multiplex constituta. Plebi verò id vnum, vt in ærarium non inferens, à publicis & ipsa muneribus amoueatur: quæ cùm plurima quidẽ sunt, tum certè etiam perutilia, vt magna pars ciuiũ ea se re alat perliberaliter. Eam legem maiora comitia primùm habita comprobauerunt, acerbitate temporum ciuium animos frangente, vt quod aliàs non tulissent, neq; vnquam latum antea meminissent, tum quidem non perferrent modò impositum patienter, sed ipsi quoq; sibimet imponerent perferendũ. Lege lata Bergomo literæ venerunt, hostes in oppidi finibus Medelaci castellum magna vi oppugnatum cepisse: omnes

qui in eo erant interfecisse: non mulieribus, non infantibus pepercisse: vt ciuitas perterrefacta, tuēdi oppidi auxilium à legatis petat. Interim *magna ex parte collecto ab imperatore* Liuiano*q; reip. in Gallia exercitu, ad quem quidem equites* Epirotæ *perplures modò allati se contulerant, magnaq; vi optimorum tormētorum à* Valerio *adducta, cùm de* Abdua *flumine transeundo sententiæ ab ijs, atq; ab legatis, & reliquis præfectis dicerentur,* Liuianus *autem magnopere transitum probaret: multum enim, si transeant, posse ipsos proficere nondum collectis hostibus, rege non præsente, populis adhuc in ambiguo vtram sequi partèm præstet, constitutis: audacia & celeritate plurima confici, cùm sua hostibus consilia impediantur, ipsis animi augeantur: sed reliquis eam rem nō probantibus, quòd fines reip. hostibus direptioni, si & ipsi Abduam trāsissent, essent relinquendi,* Liuianus *ad legatos conuersus,* Agite, *inquit, si cunctari hic volumus, scribite ad* Senatum, *decies millies auri libras paratas habeat, quibus producere bellum possit. qua de contentione* Senatus *certior ab legatis factus, petētibus vt quid fieri malit imperet, literas ad illos dat, eam se rem imperatori* Liuiano*q; permittere, qui rebus omnibus intersint: & moram se & fluminis traiectum ita probaturos, vti ipsum alterutrum è reip. cōmodo susceperint.* Interim Iulius, *qui* Vrsinæ *gentis duces, ne ad reip. militiā accederent, partim minis, vti suprà demonstratum est, edictisq; terruerat, partim per filiam suam* Felicem, *quæ* Ioanni Iordano *eius familiæ principi nupserat, precibus & fœmineis consilijs ab itinere instituto reuocauerat, stipendiaq; sibi ab reip. legatis* Romæ *curata ne restituerēt, interdixerat, data eis venia iure illa retinēdi, fideiq; præstandæ*

religione

religione sublata: præter quòd exercitum in fines reip. introduxisset, ad illud etiam pertinaciter descendit, vt Laure dano principi, Senatuiq; omni Veneto, & ciuibus singulis aqua & igni interdiceret: eiusq; rei literas omnibus hominibus vulgandas proponeret maledictorum & execrationum plenas, nisi die præstituta, non Fauentiam modò atq; Ariminum, sed Rauennam quoq; Ceruiamq; sibi tradiderint: quæ quidem oppida centum fermè annos in reip. imperio fuerant: neq; vllus ea Pont. Max. in dubium reuocauerat, quin iure à rep. poßiderentur. Qua intellecta re, ne plebs eiusmodi literis, plus quàm tempora & reip. difficultates postularent, permoueretur, Senatus cauit, ne reciperentur, néue, qui afferrent, admitterētur. appellauit etiam de eo futurum concilium, mißis Romam affixisq; in templorū foribus publicæ expostulationis literis: mißis etiam in Pannoniam ad Thomam Cardinalem Strigoniensem: nam ei propter Patriarchatum Cōstantinopolitanum, cui præerat, vnà cum tribus Episcopis concilium cogendi ius potestasq; antiquitus erat attributa. Has ob res & belli Gallici pericula supplicatio decreta est, auriq; tantundem, vti paulò antè, sacris virginibus publicè datum placandi Deum causa. Patres interea certiores facti edictum Neapoli propositum fuisse, ne quis ad reip. stipendia se conferret: cogi verò exercitū à Prorege, qui cum in Apuliā ad reip. oppida expugnanda contenderet: expectari autem ab eo Roma milites quingentos, quos Legatus apud Iuliū regius in vrbe cōscripserit: reliqua omnia esse iam parata; vt viæ sese det: adhibito legato apud se item regio, ea quæ non ambiguis autoribus intellexerant, exposuerunt: questiq; sunt, non esse hoc illud, quod sæpe reip. sit pollicitus. Ille verò

confidenter pernegare, rogareq́; Patres, ne quid eiusmodi crederent: agi à Prorege illa omnia muniendi regni causa, propter Gallorum in Italiam aduentum, non autem vt reipub. bellum inferat, suis cum regibus fœdere atq; beneuolentia coniunctissimæ. quæ tametsi Patres quorsum dicerentur, haud obscurè cognoscerent, dissimulanda tamen sibi esse statuerunt, dum de belli exitu cum rege Galliæ sciri posset. At cùm aliquando de Abdua flumine non transeundo, nisi prius quæ oppida & castella Galli iam ceperant, ab ipsis expugnarentur, ne post se hostes relinquerēt, inter duces Venetos conuenisset, aliquot ex ijs paruo negocio castellis receptis Treuium se cum exercitu contulerunt: quod oppidum equites militesq́; ex optimo Gallorū genere bis mille custodiebant: muroq́; tormentis celeriter deiecto, hostes ad deditionem compulerunt, nulla cōditione interposita, nisi vt ijs, equis detractis, rebusq́; reliquis abreptis, cæteris sacramento ab ipsis dato eo se anno bellum reipublicæ non facturos, abeūdi facultas permitteretur: duces captiui tandiu essent, quoad eorum quos ex Venetis eo in oppido Galli cepissent, cum his permutatio fieret. Ab ea oppugnatione vti Venetos repellerent, Galli magno numero vicinis ex locis coacti ad eorum quidem castra venerant, manus autem conserere non sunt ausi, vt penè in eorum conspectu oppidum captum sit: quod quidem Liuiani permissu statim direptū atq; incēsum est: qua in direptione mulieres virginesq́; propè omnes à militib. vim passæ ac violatæ, oppidi casum inhonestiorē reddiderunt. Eo negocio cōfecto Hispaniæ regū legatus Lauredanū Patresq́; gratulatum adijt, scire se affirmans suos reges magnā ex eo voluptatē percepturos. Pauloq́; pòst Mātuani

ni ducis equites quatercenti, milites sexcenti, Alexio duce ad castellum Casaboldum, quod abest ab Asula oppido in Brixianorum *finibus millia passuum quatuor, cum tormentis, id vt caperent, improuisi accesserunt.* Pagani, *qui in eo erant, armis captis fortiter se defendere cœperunt: simul ad* Federicum Contarenum *à* Decemuiris *legatum Asulanis præesse iussum miserunt, auxilium imploratum.* Federicus *confestim quingentis militibus, quos habebat fortes viros, vt eò contenderent, petentibusq; opem ferrēt, imperauit.* Ii *celeriter itinere cōfecto, prælium cū Mantuanis cōmiserunt, eorumq; partem interfecerunt, partem ceperunt, reliquis in fugam coniectis tormentisq; abductis, nullo ex suis desiderato, vulneratis perpaucis, læti Asulam ad* Federicum *reuerterunt.* Ea *clades* Mantuæ *nunciata magnos luctus excitauit: erant enim in ea manu honesti ciues permulti, quorū pars maior interierant.* Veneti, *quòd* Treuio *capto oppidum militibus diripiendum tradiderāt, haud leuem ex ea re iacturam fecerunt: plurimi enim milites* Tribunis *&* Centurionibus *relictis cum præda vulgò domum profugerunt: vt magna illos perturbatio tenuerit.* Eo *incommodo ad regem ab exploratoribus perlato, qui* Mediolanum Calendis Maij *venerat, pauloq; antea ex oppidi & suorum deditione grauiter commotus, quò vtiliter belli consilia verteret, nō reperiebat, omnibus suis coactis copijs* Cassianum *venit, vt cùm vellet, flumen traijceret.* Habebat *autē lectissimorū equitum millia quindecim, quibus duces clari nominis præerant, militū triginta: eorū pars* Heluetij, Vascones *reliqui erāt, ad hæc omnē ferè totius* Galliæ *nobilitatem sibi stipendiariā secum ducebat. postremò, quicūq; in* Gallia *citeriore aut princeps suæ ciuita-*

tis, aut ampla familia natus, aut magnis opibus, aut omnino aliquo apud suos loco esset, eos omnes nominatim euocauerat. quæ duæ quidem res ad reliquum equitatum adiectæ, & numerum, & robur, & certè faciem ac splendorem exercitus maiorem in modum adaugebant. Venetus erat exercitus equitum grauiorum millium sex, leuiorum quatuor, militum trium & triginta: tametsi nequedum omnino omnes nostræ in castra copiæ venerant: nam & Lucius Bononiẽsis, & Leonardus Apulus præfectus leuiorũ equitum reip. suis cum turmis, qui quidem erant Brixiæ à magistratibus retenti, vt eos fines tuerentur, in quos Mantuanorum dux inuasurus putabatur, & equites Epirotæ perplures, tum demum appulsis ad vrbana littora nauibus egreßi, & milites non pauci, quos Brixianorum ciuitas cogebat, expectabantur. aberat etiam ex legatis Cornelius, qui paulò antea calculo & vrinæ vitio vitæ suæ diffidens Brixiam se contulerat. Erat autem is exercitus qui conuenerat, ita florens etiam sine ijs, ita instructus, & animo, vt videbatur, paratus ad decertandum, cùm vt remp. defenderet, tum verò etiam, vt quam Italiæ partem Galli occupauerant, in libertatẽ vindicaret (id enim propè palã profitebantur, eiusmodiq; voces eorum creberrimè ab hostibus exaudiebãtur) vt nullo tẽpore aut meliores, paucis equitũ ductorib. exceptis, aut omnino ampliores copias resp. suis in exercitibus habuerit: & nisi duces illis defuissent, nihil omnino videbatur eorũ aut clarã victoriã, aut pacẽ honorificã fuisse interpellaturũ. constat enim Aloisiũ regẽ, vbi is prope se hostium exercitũ habuit, atq; ex captiuis & numerum & alacritatẽ copiarũ ad pugnãdum cognouit, suis ducibus dixisse, nunquã se tãtas Venetorũ opes atq; copias

existima-

existimauisse: haud sibi tum sui exercitus victoriã satis exploratam esse: fœdus se cum Maximiliano reliquisq; regibus ad Venetos eodem tempore opprimendos fecisse: decreuisse, si ita illis videatur, non decertare, atq; ad legatos Venetos mittere, qui nunciet, posteaquam reliqui fœderati nihil in commune conferant, vt se ad bellum iuuent, velle sibi remp. amicam esse, cumq; ea fœdus renouare potius, quàm congredi: verum ab suis ducibus suasum, vt ea de re prolixius sibi esse cogitandum statueret: loco esse propter flumẽ eiusmodi, vt elici inuitus ad pugnãdum non posit: semper Venetos eum nuncium libenti animo accepturos: rem in alium diem distulisse. hæc ab illis, qui concilio interfuerãt, Patres posthac cognouerũt. Caßianum est oppidum in Abduæ fluminis ripa loco paulò editiore: pontemq; habet ante portam ad fluminis traiectum planè commodum. trans flumen locus est ad semicirculi propè formam, quamuis magnarum copiarum capax: eum omnem locum aqua fluminis in altitudinem pedum sex, in latitudinem circiter viginti, à superiore parte deriuata, inq; flumen rediens claudit communitq;, arboribus etiam impedita, vt introspici nõ facilè posit. Caßiani rex biduo confecto, cuius bidui tempore Mãtuanorum dux ab eo accersitus cum equitibus quingentis ad illum venerat, flumen magno silentio exercitum traiecit, atq; in eo, quem diximus, loco castra posuit: inter quæ & nostrorũ castra planities tria passuum millia patebat. In ea planitie parua vtrinque ab equitibus prælia fiebãt, quibus in rebus ob Epirotarũ celeritatem atq; virtutẽ Galli, quàm Veneti, sæpius interficiebãtur & capiebãtur, aut omnino repellebantur. verùm, propterea quòd Galli tormẽtis in Caßiani arce positis illam planitiẽ longè lateq;

verberabant, nostri non modò ad hostium castra propius accedere prohibebantur, sed neq;, num rex flumen traiecisset, planè cognouerant. His ita cōstitutis rebus regi nunciatur, Reuolutā oppidum suis ab castris abesse millia passuum paulò plus trium: in eo esse hostium milites ad tercētum: perfacilè capi posse, si eò celeriter se conferat: itaque de media nocte castris cū exercitu egressus sese itineri secū dum flumen dedit. Liuianus, qui nequedum etiam sciebat Gallos Abduam traiecisse, ab exploratoribus certior factus, ex tumultu strepituq; carrorū, quē exaudierant, Gallos loco se mouisse, atq; iter secundum flumen facere, cum equitibus leuißimis quatercentis sub lucem castris est profectus, vt quid hostes agerent, cognosceret, & si citra flumen essent, moraretur dum reliquus exercitus accederet. Caligo verò ita densa eo mane campis incubuit, vt Liuianus, qui citatus ferebatur, temerè in Gallorum incideret agmen, eosq; tum demū & Gallos esse, & flumen transisse cognosceret: sed illos lacessere tantis in tenebris non ausus, properè ad Reuolutanos, quò regē iturum suspicabatur, misit, qui diceret, si ad se hostes accederent, parumper sustinerent, sese omni cū exercitu cōfestim affuturum, auxiliumq; eis allaturum. His datis mandatis ad imperatorē recurrit, motisq; statim castris, aciebusq; dispositis, ad Reuolutanos, si fieri posset, tuendos exercitui dux fuit. Sed ea in re, quòd morā interposuerat, nulli vsui cùm fuisset (Galli enim cōfecto interim itinere, tormētisq; ad muros positis, paruo temporis spatio deditione municipiū ceperant) nostri castra quingentos prope hostes passus suo loco posuerunt: ibiq; diem alterū vterq; se exercitus continuit. Postero die autem, qui dies fuit pridie Nonas Maias, rex, vt Pan

dinum

dinum municipium item caperet, bene manè secundum flumen acie disposita iter facere cœpit, easpe, vt si Cremonæ appropinquare, ad oppidiq; muros se ostendere cũ exercitu posset, nonnihil confideret sese oppidum, ciuibus tradẽtibus, quorum voluntates antea cognouerat, in suam potestatem redacturum. qua in re sua illum spes atq; opinio fefellisset, si Veneti se continuissent, neq; prælium commisissent: erant enim loco editiore, ac ferè medio regionum earum: quo ex loco omnibus eorum oppidis, ne quid aggredi contra reip. voluntatem auderent, vna tãti exercitus fama facile prospiciebatur, quamcunq; se in partem rex incitauisset: quem si, vt facillimũ factu erat, paucos modò dies elusissent, propterea quòd laborare commeatu cœperat, qui ad eius exercitum, Abdua flumine interposito, tum Epirotis equitibus omnia diripientibus, atq; in castra reip. trahentibus, magna difficultate afferebatur, ipsa necessitas flumen iterum traijcere, Laudemq; Pompeij aut Mediolanum nulla re confecta illum reuerti coegisset. Quem rerũ exitum metuens Triultius, homo iam senex, atq; in rebus bellicis exercitatus, regi autor fuerat, ne Abduam exercitum traduceret: cũmq; nihil profuisset, Galliq; transire flumen iam inciperent, inter suos, video inquit hodie Triultius Venetos Italiæ dominos nobis imperium tradentib. fore. Alia ex parte imperator senex & ipse, multaq; rerũ experientia in bellis eruditus, eundem res euentum habituras tum existimans, modis omnibus, vt à pugna se abstineret, Liuianum, quem ardere committẽdi prælij studio cognouerat, hortabatur: Gallos inopia coactos sua sponte breui se in suos fines recepturos: confectum bellum, & victoriam sine sanguine partã dictitans. Itaq; cùm esset nun-

ciatum, hostes loco se mouisse, Liuianusq; eorum se cōsilia sua celeritate anteuenturum imperatori recepisset, petijssetq; ab eo, vt cùm ipse ad illum mitteret, cum reliquo exercitu subsequi maturaret: minimè, inquit imperator, me accersieris, nisi tam longinquis hostibus, vt congredi non posint: hoc vnum mi fili, néue te animi magni tui confidentia vlterius, quàm oportet, proueheat, etiam atq; etiam abs te peto: si enim gladijs recōditis vincimus, quid nos attinet belli fortunam periclitari? Hæc imperator idcirco dixerat, quòd non multum equitatui confidebat: quo in equitatu nonnullos esse præfectos, qui Gallicis partibus occultè fauerent, non obscurè cognouerat: eosq; pugnam detrectaturos, si esset confligendum, maiorem in modum verebatur. tum Gallorum naturam eiusmodi esse sciebat, vt primo impetu sustineri ægrè possent, multaq; recentes conficerent, quæ spatio interposito nō essent præstaturi: fieri enim illis omnia in dies duriora ac difficiliora, quòd moram ferre nequeant. Sed profectò lōgè aliter res, quàm ipse existimauerat, cecidit, propter Liuiani cum eo disceptationum atque inuidiæ suscepta pridem semina, qui nō superiorem modò sibi illum esse, sed ne exæquari quidem imperio ac dignitate patiebatur, sumptis ab ijs rebus animis, quas anno superiore in Carnis atq; in Istris gesserat: itaq; spreto prudentiore consilio Liuianus, tum longißimè abijsse hostes confirmans, imperatorem ad insequendum incendit: non cunctando, neq; sedendo reip. consuli, quæ se suaq; omnia ipsorum fidei commiserit: frustrà tātum confectum exercitum, tantos thesauros insumptos, si ante ipsorum oculos imperij municipia nullo defendente capiuntur: suum hoc esse dedecus, non reipub. His vocibus impulsus Nicolaus, castra

stra moueri, & signa tolli imperat, suoq; loco relicto in demißiores atq; impeditiores campos exercitum instructũ producit. quatuor nostrorum erãt acies equitum militúmque numero ferè pares, quæ ita iam processerant, vt prior ab extrema, cui Liuianus præerat, tria millia passuum abesset. Rex de eo certior factus, cùm esset inter vtrosq; fossa ab incolis ad deriuandas aquas confecta, in longum porrecta terræ spatium, alta lataq;, vt traiici ab alterutris sine magno discrimine non posset: ad extremam eius partem agmen sistit, atq; ab itinere continet eousq;, vt tres nostrorum acies suum exercitum prætergressas sciret esse: tum agmen & tormenta retorqueri, atq; in vltimam nostrorum aciem impetum fieri imperat: aciemq; pleniorem suam, cui magnopere confidebat, in impeditos atq; inopinantes immittit. Veneti primùm omnium frequentes ab Gallis missas tormentorum pilas exceperunt: interfectisq; non paucis, in quibus fuere legati comites aliquot, qui ante ipsum deiecti eius modò sanguine os non resperserunt, vt temporis exiguitas patiebatur, conuersi quantum poterant pugnauerunt: sed quòd erat magna eorum pars ex proordinibus, neq; multum rei militaris vsum habebat, facilè omnes interfecti fugatiq; sunt. erant autem numero ad millia quatuor. Apud hos ea in acie cùm esset Petrus Mõtius, de quo suprà dictum est, cum militibus, qui sub eo merebant, mille, is hostium impetum excipiens cùm fortißimè & quantum humana vis poterat, pugnauisset, magnumq; hostium numerum interfecisset, reliqui fessi vulneribus iam cederent, submißis ab rege multis optimorum militum millibus, qui prælium restituerũt, cum octingentis suorum in media hostium acie confossus occubuit. Erant apud illum Saccoccius

Spoletinus cum ſeptingentis militibus, Citolusq́; Peruſi-nus cum ferè totidem, viri & ipſi magna excellentiq́; virtu te: horum alter interfectus eſt: Citolus multis vulneribus acceptis in hoſtium poteſtatem venit: ex reliquis, ea in acie qui erant, militibus, perpauci Gallorum impreßionem pauliſper ſuſtinuerunt. Liuianus pugnæ initio, prælium commiſſum conſpicatus, alio ab latere cum ſua turma in hoſtes ſe iniecit: atq; ab ipſis, equo defeſſo, vt in recentem ſe inferret, cum deſiluiſſet, vulnere ſub oculis accepto captus eſt, captiq́; qui cum illo prælium inierant, fortes viri, & claro loco nati ſanè plurimi: apud quos Francus Burgius equitum ſagittariorũ turmæ præfectus acriter pugnãs occubuit. reliquus equitatus cùm præfectorum proditione, tum timore pugnandi, nulli omnino reip. vſui fuit: neq; vlla ex tribus aciebus, quæ anteceſſerant, pugnanti quartæ auxilium attulit. ita paruo temporis ſpatio Galli, quos quidem magna hoſtium exercitus formidine affectos paulò antè valde pœnituerat bellum reip. intuliſſe, quos timuerant, in fugam coniecerũt: nemo enim ex omni reip. copia, fuſis fugatisq́; ijs, ſe continuit: ingentiq́; optimorum tormentorum vi, quam Vincentius Valerius præfectus miniſtriq́; incuſtoditam medijs in campis fugientes prædæ hoſtium reliquerant, ſunt potiti.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. VIII.

Venetorum post cladem consilia, & successus. Brixiani se regi dedunt. Veneti Apuliæ oppida Ferdinando regi offerunt. Iulio Pont. itidem Flaminiæ oppida tradunt, & Cæsari quæ ad Ro. imperium spectant. Georgiani sacerdotes Venetijs Ferrariam se conferunt. Iulij Pont. & Alphonsi Atestini perfidia. Multæ ciuitates sese Gallis dedunt. Veneti ad vrbis propugnationem consilia sua conuertunt. Taurisani sub Venetorum imperium redeunt. Alphōsi Atestini in Venetos iniuriæ. Captiuorum Venetorum cum Gallis permutatio. Antonius Grimanus ab exilio reuocatur. Cremonæ arx à Gallis capitur. Iulius Pont. interdictum in Venetos abrogat, ac pacem cum eis init. Maximiliani Cæsaris in Venetorũ fines irruptio. Venetorũ Legati quomodo à Iulio accepti. Patauium à Venetis recuperatur.

VBI *nuncij literæq; de ea re ad Senatum venere, tãtus repentè dolor omnes tenuit, nunquã vt aliàs Patres maiorem animo ægritudinem contraxisse ciuitas meminerit: fereq; omnes tã inexpectatum reip. casum grauiter dolebant.* Nam *ex Liuiani literis, qui eos bono animo esse iusserat, & læta prosperaq; multa non semel fuerat pollicitus, victoriã de Gallis propè certa spe animo conceperant: quam si essent consecuti, neq; Iulium, qui in ipsos noua interdicti forma vsus fuerat, neq; omnino quenquam timuissent: nunc se victos, exercitumq; reipub. fusum & profligatũ esse, grauißimè ferebant: & reflantem patriæ fortunam, & difficultates,*

in quas incidere posset respub. animo volutabāt. quanquā alijs super alias acceptis literis, neq; imperatorem neq; legatos cum multò maiore exercitus parte prælio interfuisse cognouissent, tamen quòd eisdem quoq; literis admonebantur, omnium mentes timore prostrnatas iacere, peditesq́; in primis, qui retineri non poterant, quin vulgò dilaberentur, seq́; à signis subtraherent, difficilè omnino videbatur reip. oppida vel à victore rege, vel à Iulio posse defendere. Erat in templi Marcij procuratorū collegio Paulus Barbus, *ciuis sanè prudens, diuq́; multa cum laude in rep. versatus: is, quòd erat senio confectus, à publicis muneribus abstinens domi suæ aliquot se menses continuerat: huic* Lauredanus *princeps misit, qui cladem exercitus nūciaret, & Senatum cogi diceret, ipsumq́; adesse, si posset, hortaretur. quod vbi senex audiuit, vestem senatoriam poposcit, atq; ita in curiam mēbris trementibus sese trahens, orationem, quam tempora poscebant, habuit: venisse in Senatum sese corpore infirmo, nullis viribus, vt eam sententiam diceret, quā præsens rerum status pateretur: quotum enim quenq; esse, qui in tanta tam repentè offusa vrbi caligine poßit, quid fieri expediat, rectè dispicere? grauē esse reip. casum, illius opes fractas debilitatasq́; esse: exterorum auxilia vnde peti poßint, non videri: verum esse Deos immortales, quos ruptis fœderibus hostes violauerunt, eosq́; neq; arma hominū vereri, neq; posse decipi ab ijs, qui nos in neceßitudine ac fide illorum requiescentes, plurimisq́; nostris maximis atq; perpetuis beneuolentiæ officijs constantiaq́; fretos prodiderunt: eos tanti sceleris vindices futuros, reiq́; pub. auxilium laturos, se confidere.* Hæc ille *cum dixisset, ad ea quæ essent procuranda atque statuenda,*

da, orationem conuertit, quod idem multi magistratus fecerunt. pluribus igitur dictis sententijs, vt in tam dubijs rebus cuiq; aliud fore vsui succurrebat, primùm omnium pecunia legatis, qui se ex fuga apud Brixiam receperant, ad exercitum instaurandum decreta est: nam Cornelius ex morbo paulisper recreatus, dum in castra se referret, clade audita vnà cum fugientibus eò redierat. tametsi eis è stipendio ante prælium exercitui dato non minimum pecuniæ supererat. deinde ad Dominicum Grimanum, & Marcum Cornelium Georgij legati filium, qui vtriq; in Cardinalium collegio Romæ tunc erant, datæ literæ, vti Iulio ea, quæ ipsemet petierat edicto suo, ex reipub. ditione oppida, intra eos quos præstituerat dies iri ei traditum Senatus nomine pollicerentur: rogarent, ne remp. conteri à barbaris exercitibus permitteret: quam si vnam pessundabunt, tutum illum reliquosq; deinceps Romanos Pontifices ipsa in vrbe non futuros: id quàm sæpe aliàs experta Roma sit, nescire porrò neminem: decere ipsum, qui in Italiæ præclara parte natus cœlum hauserit, reliquos Italos tueri potius, quàm exterarum nationum plusq; nimio per se appetentium vires opesq;, quibus vastitatem Italiæ inferant, augere. Latum etiam, vt Antonius Iustinianus, qui Cremã legatus à Senatu lectus proficiscebatur, ad Maximilianum rectà contenderet, & cum illo si posset, pacem quantumuis duris conditionibus faceret: Tergestéq; oppidum, & Portum Naonis, reliquaq; municipia, quæ resp. ex eius ditione superiore anno ceperat, Senatum ei paratum esse restituere, ac quæ oppida ex Romanorum imperatorum ditione in Carnis, & Gallia, & Venetia resp. poßideret, ea se omnia illi tanquam accepta relaturum nũciaret: nisi enim

ab altero eorum aliquid auxilij afferatur aduersus Gallorum audaciam atq; impetum, nullum satis firmum obicem futurum esse verebãtur. Demum lecti legati ad exercitum duo priorum legatorum loco, Georgius Emus, Paulus Capellus, *legationibus renunciatis propter alios magistratus quos obibant, ex quibus magistratibus ad alia munera inuitos euocari non licebat, magnam Senatus, magnam totius ciuitatis inuidiam subierunt: neq; eorum loco quisquã sublectus postea fuit, quòd iam de priorum legatorum diligentia, quæ Senatus vellet, nunciarentur.* Rogatio tantùm in Decemuirûm collegio lata, *ne cui deinceps vlli vllam ob causam aduersis reip. rebus cuipiam sibi delato muneri reijciẽdi facultas sit.* Lecti *post hæc legati duo,* Petrus Duodus, Christophorus Maurus, *quorum qui plura suffragia tulisset,* Brixiæ, Veronæ *alter præesset.* Horum prior *clarè Senatu audiente pronunciauit, se id vehementer cupijsse, vt suam reip. tam tristi eius tempore nauare operam poßet, quando lætiora non dabantur: itaq; legationem libentißimè obiturum.* Maurus *autem ante* Lauredani *subsellium progressus* Patribus *dixit, post* Deum *immortalẽ suam se vitã reip. deuouisse, ea, vti vellet, vteretur: læto se illam animo patriæ, à qua acceperit, redditurum. quorum oratio ab omnibus laudata, multorum Senatorum patriæ charitate implente dulcedine animos, lachrymas elicuit. atq; ij statim profecti sunt.* Dionysio *aũt* Naldio, *qui prælio interfuerat, cuiusq; centuriones milites q; perplures & capti à* Gallis *& interfecti fuerant, ipse fortiter pugnans repulsis hostibus se receperat, omnium reip. militum præfectura est à Senatu tradita.* Auxere Patrũ *dolorem inter hæc è* Flaminia *nuncij,* Ioannem Græcum, *hominem impigrum,*

grum, & spectata fide, equitum sagittariorũ turmæ præfectum, cum ea, quæ Rauennæ erat, manu hostes aggreßũ, vt eos ab obsidione Rußij auerteret, quod abest municipium ab Rauenna passuum millia XV. diuq; ab Iulianis oppugnabatur, equi lapsu captum fuisse, eoq; ab hostibus ad murum oppidi producto, Rußianos vnà cum prætore sese illis dedisse: eorum exercitum iamiamq; ad Rauennam oppugnandam affuturum. Eiusmodiq; nuncijs alij è Rhetis nuncij successere, qui dicerẽt, manus illis in locis & Maximiliani finibus cogi: tormenta Tridentum afferri: commeatus comportari: certam esse famam, bellum inferri à Maximiliano reip. Ex Carnis item & Tergeste Patres certiores fiebant, milites ad octo millia in Alpibus propè conscriptos esse, qui reip. ditionem aggrediantur. Ex castris quoq; ab legatis literæ afferebantur, regem Carauagio esse potitum: Iacobumq; Siccum eius oppidi municipem, equitum reip. præfectum, eò cum suo equitatu contendisse, regiq; sponte se atq; illos tradidisse: nullum vicinorum municipiorum exercitum Gallorum expectare: omnes illas regiones in timore magno esse. Brixianos, qui antea & fidem & audaciã reip. præstabant, timere suis rebus & diffidere cœpisse, quòd scirent prætores suos vxores & liberos & supellectilem domesticam ad vrbem misisse: quæ res vehementer reprehendebatur: itaq; sese in difficultate plurima versari rerum omnium: milites enim vel imperia recusare, vel accepto largiter stipendio tamen perfugere: tormenta eis deesse, quibus oppidum tueri poßint, si rex eò veniat: quamobrem vereri, ne Veronam se recipere cogantur. Sed quod ad Carauagianos attinet, eam rem postea intellectum est ita cecidisse. Nam quòd oppidani, ne

diriperentur, statuerant regem, qui cum exercitu aderat, recipi ab ipsis oportere, Ludouicus Michael arcis oppidi praefectus, qui se celeriter & militibus & commeatu communierat, praetore in arcem recepto, se ab Gallis magno animo defendebat. Galli cùm triduum tormentis innumerabilibus arcem continenter verberauissent, neq; multum profecissent, accidit vt ignis in cellam, qua tormentorum puluis asseruabatur, temerè illatus, omnem illam defendēdae arcis facultatem praefecto puncto temporis ademerit: qua re milites perterriti, se atq; arcem et praefectū et praetorem regi dediderunt: ipsisq; est ea tantum cōditione interposita salus data. Ciues autem ij Veneti duo iussi se ad mortem comparare, à sacerdote Franciscino precibus regi suppliciter adhibitis (nam ei cum rege in Gallia familiaritas intercesserat) vitam modò non amiserunt, atq; in Galliam captiui missi sunt, in custodiaq; diu habiti. Patauini cùm viderent rempub. omnibus à partibus premi, concilio ciuitatis conuocato rogationē tulerunt, vt quingentae auri librae confestim exigerentur, atq; ad vrbem mitterentur, omniaq; se facturos ad eam iuuandam, quae imperarentur, quaeue ipsi per se cognoscerent profectura, legati statim legendi Patribus renunciarent. quae res sanè grata illis fuit, nòn tam quidem quòd ea magnopere leuarentur, quàm propterea quòd exemplo alijs ciuitatibus esse poterant amanter se in rempub. gerendi. At cùm ad vrbē venisset Gasparis Seuerinatis scriba, exposuissetq; Patribus, magna illum difficultate propter Iulij edictum ad vicinos Cremonae oppidi fines sese vnum in veste pastorali contulisse (nā suos equites secum adducere nequaquam potuisse) quaesissétque quid illum facere Patres vellent, responderunt,

vti, quantum posset, ipsorum ad exercitum suum aduentum maturaret: statutum enim sibi esse, Liuiani equites ei tradere. Ille verò spreta reip. conditione, ad regem Galliæ postea se contulit rogatum, vti se Maximiliano commēdaret, peteretq; ab illo, vt in Citadellæ principatum, quem pater suus obtinuerat, se restitueret: scire enim, nihil illi Maximilianum negaturum. Ferrariæ verò Prodominus Aloisius Mula Patribus significauit, clade exercitus reip. cognita, magnæ voluptatis signa ciues illos misisse, plebēque omnem vocibus procacioribus & tympanorum sonis lætam atq; hilarē per oppidum cucurrisse: Alfonsum autem ducem, quem ipse adierit, nolle se tutum sua in vrbe præstare, propterea quòd dicat incitatæ plebis studia non posse contineri: itaq; illi, vt discederet, suasisse: redire postea posse, cùm belli feruor, & interdicti Iuliani acerbitas atq; iniuria resederit. Quibus rebus cognitis, Mula Senatusconsulto reuocatus, medio è magistratu decedens domū rediit. Iamq; regi omnibus ferè populis se dedētibus, quòd à reipublicæ copijs nullum eis præsidium afferebatur, Senatus iußit, vti milites ad decem millia, quo celerius fieri posset, conscriberentur, quorū tribuni centurionesq; partim à magistratibus in ciuitate, reliqui in castris legerentur: equites ad tria millia vtriusq; armaturæ conficerētur. Ea postea res quòd nullum propè habitura exitum in tāta rerum omnium perturbatione videbatur: nam neq; in vrbe, qui vellent dare nomina, reperiebātur: imperatoris autem & legatorum iussa vulgò despiciebantur: pleraq; omnia priuatim administrabātur: Patres veriti breui fore, vt omnis Italiæ continentis pars, quam tenerent ipsi, à rep. deficeret: ad vrbem tuēdam, & cōmeatibus claßibusq; mu

niendam animum adiecerunt. Confirmauit hoc eorum cõsilium cùm Brixianorum ciuitas, quæ copias reip. intra oppidum recipere noluerat, quòd diceret nolle se ab exercitibus conteri, satis sibi ipsos præsidio futuros: tum quòd intelligebant classem à Ferdinando rege in Sicilia Calabrisq; esse comparatam, qua ab classe frumenti ad vrbem conuectiones facilè prohiberi posse videbant, nisi respub. maiores ad resistendum opes obiecisset: itaq; latũ, vt classi supplementum adderetur, vt essent omnes ad triremes quinquaginta. Ab annonæ quoq; magistratu edicta sunt proposita, quibus frumenta facilius omnibus à locis ad vrbem comportarentur. literæq; ad Cyprios datæ, vt quantum maximum possent, frumẽti numerum nauibus imponerent: nauesq; perplures ad eos missæ, ne nauigiorum indigentia conuectiones tardarentur: imperatumq;, vt quæ ab insula naues sale onustæ iam soluissent, vbicunq; essent, eius salis iacturam facerent, & in Cyprum reuerterentur, frumentoq; complerentur. Missæ etiam in Epirum cum mercatoribus, preciaq; ijs, qui adduxissent, ampliora lege facta. Latum etiam, vt quæ leges prohiberent, ne aduenarum nauibus frumenta reliquiq; commeatus Venetias afferrentur, quo ciuium naues maiora lucra facerent, eæ leges abrogarentur, dum de bello decernatur, licerétque quibuscunq; hominibus suis cum nauibus commeatuũ causa ad vrbẽ sine anchorario accedere. Iisdem diebus Ferdinãdi legatus Patribus exposuit, regis se literis in Hispaniam reuocari: qua de re coacto Senatu lex est lata auertendi ab inferendo reip. bello eius regis causa, vt legato Lauredanus princeps diceret, Senatui placere, quæ haberet in Apulia respub. oppida, regi oblatum iri: Patres missuros,
qui

qui ea, cùm volet rex eius ministris tradat. His cum mandatis legatus postero die abijt. Alfonsi etiam legatus salutatis Patribus domum rediit. His permoti rebus Patres, & quòd exercitu redintegrando omnia eos deficiebant, neq; multum in Nicolao imperatore spei repositum diminutis eius copijs ad rempub. tuendam habebant, rogationẽ iusserunt, vt certus homo ad Prosperum Columnam mitteretur (is in finibus regni Neapolitani tunc erat) qui ei nũciaret, si reipublicæ velit prestò esse, Senatum ei nomẽ imperatorium cum stipendio auri librarum sexcẽtarum singulis annis daturum, modò is equites mille ducentos secum adducat: rogare, vti et conditionem acciperet, et profectionem, quantum posset, maturaret. Interim rex à Brixianis intra mœnia recipitur: arcibusq; duabus, quas ij dolo à præfectis interceperant, suos ministros præficit. Sebastianus Iustinianus prætor, quòd in oppidanos magna continentia & moderatione vsus fuerat, cùm vnà cum reliquis magistratibus captiuus factus esset, publica ciuitatis commendatione à Rege libertati restitutus, Gallorum comitatu in castra ad Legatos sese contulit. Cremẽses quidem cùm oppidum haberent munitissimum, iam ante hos omnes Sonzini Benzonij eorum municipis turmæq; equitum reipublicæ præfecti suasu in Gallorum partes transierant: nã cùm in clade exercitus Grittus legatus, qui eò se recipere cogitauerat, Benzonium Cremam præcurrere iussisset, ciuitatique nunciare bono animo vt esset, se iamiamq; affuturum, eique præsidio futurum: ille ad ciues suos aduolãs, vti portas legato clauderent, neq; illum neq; quenquam Venetum intromitteret, oratione sua dedecoris perfidiæq; plena, & autoritate, qua pollebat, perfe-

permiſſu domum rediјt. Miſerant in Flaminiã Patres Ioannem Iacobum Caroldium, vti Rauennam vrbem, & Ceruiam, & Ariminum, & Fauentiæ arcem (nam oppidani ſe dediderant) reliquaq; Venetæ ditionis in Flaminia municipia abductis tormentis, receptisq; ijs, quos bello captiuos hoſtes fecerant, Senatus autoritate Iulij miniſtris traderet. Ii cùm fide ſcripto data, ſeſe & tormenta aſportari permiſſuros, et captiuis libertatem donaturos, et præter hæc, quod erat primum atq; maximũ, vti eueſtigiò interdictũ antiquaretur curaturos, oppida ipſa recepiſſent, in nullo eorum quæ pepigerant, perſtiterunt, retentis tormentis, & captiuis Romam miſſis, non ijs modò qui bello capti fuerant, ſed illis quoq;, qui præfecti oppidorum atq; arcium illa ipſa pacatè tradiderant, ciuibus Venetis vndecim, quos in ipſo negocio circumuentos in vincula coniecerant, & interdicto non reſciſſo. Ea Iulij fides, ea pietas in ſupplices fuit, atq; omnino in illos eoſdẽ, qui paulò antea Romæ, vt is Põtifex Max. fieret, omnes ſuas opes, omnem autoritatem, gratiam, ſtudia publicè contuliſſent. Nõ abſimili iniuria Alfonſus Ferrarienſium dux Rodigianos apud Padum flumen poſitos, quod oppidum bello Ferrarienſi Veneti ceperant, atq; ex pacis fœdere poſtea tenuerant, parua manu eò adducta in deditionem recepit. qua intellecta re, Antonio Bragadeno prætori, qui ſe in oppidi arcem intulerat, Patres per literas mãdauerunt, vt tormentis abductis arcem duoq; reliqua eius regionis municipia Alfonſo reſtitueret, ſed is, antequam eæ ad eum literæ perferentur, captus ab hoſtibus vnà cum arce, Ferrariamq; perductus, paucis pòſt mẽſibus in cuſtodia interijt. Itemq; ad Sebaſtianum Maurum, qui cum decem & ſe-

ptem nauibus in Athesim missus fuerat, literæ sunt à Sena tu datæ, vt in tutum se reciperet: is cum ab agricolis in reditu ab vtraque ripa omni telorum genere premeretur, ac propter siccitates contractiore aqua minus se subducere celeriter posset, eiectis aliquot in flumen tormentis grauioribus, incitatisq; remigibus Bebiam *rediit. At in superiore* Padi *fluminis ripa* Cremonenses Gallis *equitibus & militibus in oppidum admißis sese regi tradiderunt: eoq; biduo nuncius ad Senatum venit,* Pischeriam *municipium rege oppugnante captum: milites oppidanosq; ad vnum cæsos:* Andream Ripam *arcis præfectum reste ad arborem exanimatum fuisse. Ea re audita* Zacharias Lauredanus *in* Benaco *præfectus, simul quòd omnia eius lacus municipia partim ad regem, partim ad* Maximilianum *deficiebant, trireme & bireme, quibus præerat, incensis, vnà cum suis omnibus hostibus aduentantibus se subripuit.* Patres *ob hæc perspecta difficultate quicquam in* Gallia *atq; in* Rhetis *oppidorum retinendi, legatis mandarunt, vt in agrum* Patauinum *exercitum reducerent:* Veronensibus*q; permiserunt, si* Maximilianus *ad eos mitteret, qui vti se dederēt postularet, ne recusarent. Cumq;* Taurisani *tumultu ciuitatis & plebis excitato, plerisq; non idem sentientibus, per legatos, quid se vellent* Patres *facere, à Senatu petiissent: id vnum quod conducere sibi ipsi existimarent, legatis responderūt. Scripsere etiam ad suos in* Carnis *atq;* Istris *magistratus, vt quæ oppida superiore anno è* Maximiliani *ditione resp. ceperat, ea omnia, armamentis commeatibusq; publicis abductis, regiis petentibus ministris restituerent. Postremò, quòd ab ea cogitatione nō longißimè aberant, vt vrbi quoq; ipsi timēdum putarent, docti à præsentibus*

rebus,

rebus, quantam reipub. diuturnitas & incrementum in se vnos omnium regum inuidiam atq; odium concitauisset, Decemuiri duodecim legerunt ciues dignitate præditos, qui vada vrbana atq; littora, adhibitis eius rei peritis hominibus, diligenter inspicerent, vt aditus, si qui essent apertiores, castellis munirentur. Tum auctus operarum publicarum numerus: iussumq; vt omnes insulas & domos vicorum magistri perlustrarent, quantaq; esset in vrbe aduenarum multitudo, quanta armorum priuatim ab his comparatio, cognoscerent: edictumq; pœna capitis propositum, ne quis armatus incederet. vigiliæq; noctu vicatim & præfecti cum militibus dispositi, ne quis temerè tumultus exoriri posset. etiam lex lata, vt triremes octo vrbis præsidio armarentur. missusq; multò maximus frumenti numerus ab annonæ magistratu ad molas farinarias in Taurisanos fines domi molitus adseruandus, ne, si eæ ab hostibus molæ interciperētur, ciuitas farinæ inopia laboraret. molæq; aliquot, quas naues sustinebant è Pado Athesiq;, ad vrbem perductæ: cogitatumq; vt molæ aliæ, quas verte re ventus quiret, in suburbanis insulis fabricarentur: puteiq; perplures in portus littore foderentur, vt si à fluminibus aqua propter hostes circumfusos peti nō posset, ijs puteis ciuitas vteretur. Mißi etiam publicè lecti ciues ad arborem in Medoaci ripis cædendam, atq; ad vrbem deuehē dā, vt materia ciuib. ad munitiones in propugnatione suppeteret, & hostibus ad oppugnandam vel obsidendam vrbem deficeret. Dum hæc domi administrātur, Vicetini cū intellexissent Veronæ se vrbem Maximiliano dedisse, omniaq; in Alpibus castella & municipia eius ciuitatis præiudicium secuta idem fecisse, neq; à Senatu impedirētur quo

minus consilium pro tempore & pro necessitate caperet, ad Leonardum Trissinum ciuē suum, quem Veneti exulem fecerant, quiq; à Maximiliano præmissus in eorum fines se intulerat, miserunt, se paratos esse deditionem facere: cumq; is ad oppidum paucis cum militibus accessisset, certis conditionibus interpositis sese regi dediderunt. Patauini autem, quorum erant nonnulli ciues, qui rebus nouis magnopere studebant, coactis inter se priuatim cōcilijs eidem se regi dedere statuerunt: itaq; magistratibus primùm quidem nolle se exercitum, qui aduentabat, intra mœnia recipere denunciauerunt: portasq; ipsi, eiectis qui in statione erant, tenuerunt: deinde, vt abirent domum, neque plebis impetum expectarent, eos monuerunt. postremò agrestes homines armatos in oppidum introduxerunt, vt illi Senatu primò iubente, pòst etiam nolente, discedere cogerentur. quamobrem Patrum iussu exercitus Patauium prætergressus, & ponte in Medoaco decem millia passuum supra eùm locum, vbi munitione ad naues transportandas à maris aqua flumen discluditur, nauibus imposito traductus atq; ad Mestre municipium progressus, ibi castris positis substitit. Patauini ad Leonardum Trissinum missis interpretibus, ei Patauium cū honesto comitatu venienti se tradiderunt, imperataq; fecerunt. Interea cùm Roma literæ ab Grimano & Cornelio Patribus significauissent, nisi nouam legationem ad Iulium misissent, nihil spei esse illū à sua in remp. pertinacia recessurum. Senatus sex legatos creauit ex principibus ciuitatis, Dominicum Triuisanum, Leonardum Mocenicum, Paulum Pisanum, Hieronymum Donatum, Paulum Capellum, Aloisium Maripetrum, qui Romam proficiscerentur: ab Julioq; peterent, vt ea

quæ

quæ Reipublicæ *polliciti eius ministri fuerant, repræsentaret. quibus de rebus nonnulli ex ciuibus dolore affecti, in eos qui Senatū regebant, voces plenas querelarum priuatim iaciebant, fortasse non percipiētes huiusmodi decreta bonis rationibus facta esse, ac ne populi, qui reipublicæ parerent, eorumq́; vrbes & regiones hostium prædæ exposita essent, quorum viribus impetuiq́; eo tempore cedere è re omniū esse videbatur, lætioremq́; fortunam expectandam: ea flante, recipi tunc posse, quæ vitandarum populationum causa desererentur, quemadmodum* Dijs *bene fauentibus euenisse postea compertum est.* Hi igitur, *qui non satis propè rem intelligerent, querelas graues amarásq́; aduersus eos, qui ciuitatem regebant, spargere: non adeò timidè rempublicā administrari, oportuisse: non tot egregia oppida tradi hostibus ita facilè debuisse: neq; enim maiores nostros tantis impensis, tot exercitibus, tantis suis laboribus & sanguine, tot annorum longinquitatę ea imperio adieciße, vt paucis pòst diebus sponte amitterentur: errare qui mitiores futuros hostes crederent: propterea quòd resp. tam facilis in illos fuerit, vt quæ nulla certa cum spe, maximisq́; sumptibus bello agere statuerant, pacatè ab ijs propeq́; nictu oculi sint confecta: augeri potius ea re corū audaciam, quòd debiliorem multò ad resistendum armis rempublicam offenderint, quàm putarant: itaque inuitari eos iam alliciq́;, tanta confecti belli celeritate, ad maiora appetenda: id effectum esse huiusmodi decretis formidine plenis, vt vereri amplius, & peiora præteritis timere. nūc cogantur. quòd si regi Gallorum propter exercitum victorem cedendum fuit (quanquam si maiorum pristina virtus in viuentium ciuiū animis resedisset, non is tam propi-*

tios habuisset sanè Deos) quid attinuit vel Maximiliano nullos exercitus contra Remp. mittenti, tot oppida vltrò dedisse? vel Iulij exercitum, antequam ille pactis stetisset, reip.oppida in Flaminia, firmata munitionib.propugnatoribusq;,recepisse? nunc etiam legatos esse ad illum Romam mittēdos, vt & ab rep.suppliciter adiri se permittat, & interdictum abrogare velit. Hæc & his similia cùm iactarentur, vna Matthæi Prioli sententia, quā in Senatu dixerat, à prudentiorib.repetebatur, atq; ijs opponebatur. Ea erat eiusmodi. Quemadmodū gubernatores boni atq; industrij solent, qui cùm vim tempestatis ferre nequeunt, naufragijq; periculum propter mercium, quas in naui habēt, pondus grauitatemq; imminet, iacturam partis earum faciunt, vt naui è fluctibus emergente, ipsam reliquasq; res, & vitam vnà suam tueantur: sic in reip.turbulentis his tēporibus fuisse faciendum, vt quando eius exercitu fortunæ magis turbine quàm telis hominum disiecto, populi municipiaq; omnia, quibus præsidia mitti non poterant, arma hostium timerent, dederent ipsi per se Patres, traderētque illis ea, quæ captui essent propiora atq; opportuniora, vt ea re illorum cursum atq; impetum sisterent, potius quàm frustrà suas vires iam infractas opponētes, tamē illa ipsa vnà cū libertate imperij amitterēt. Inter hos sermones & querelas legati à Foroiuliensibus ad Senatum venerunt auxilium rogatum, quo se tueri, si quid hostes molirentur, & bellum propulsare possent: velle enim omnes è reip.imperio nō recedere. ad quos Epirotarum equitum turmam militesq; ab exercitu legati Patrum iussu statim miserunt. idem Iustinopolitanis postulantibus milites trecenti sunt ad eos missi, equitesq; centū quinquaginta, qui illis diebus

ab Epiro *venerant. Requie exercitui ad Mestre municipium data, libras auri septingentas à Quæstoribus vrbanis* Senatus *legatis curari iußit: vtq; ij recognito copiarum omnium numero, stipendioq; eis dato, quas esse idoneas ad bellum gerendum, & virtute ac fide præditas cognoscerent, eas omnes retinerent, reliquas dimitteret, imperauit.* Triremes *quoq; vti quatuor in* Illyrico *armarentur cura est à magistratibus adhibita,* Crespa *videlicet,* Aschriuio, Iadera, Pharo*: itaq; & naues vacuæ cũ armamẽtis, & stipẽdium, & præfecti eò ab vrbe mißi. At in naualib. nulla cessatio fiebat: materia vndiq; conuecta importabatur: triremes nouæ biremesq; instituebantur, veteres reficiebantur: nauigia humiliora viginti tormentis per vada ferendis ædificabantur: cratesq; ex malis nauium contexebantur: scaphæ cum festucis ad palos in æstuarijs figendos, qui munitiones sustinerent, accelerabantur: ipsa ex ære fusili tormenta magno numero, armamenta omnis generis, tela omnia parabantur: fabri, qui suppeterent, ex vrbis officinis priuatisq; naualibus accersebantur: etiam machinationes ad molas frumentarias vertendas inchoatæ plurimæ perficiebantur. In his agẽdis ab omnibus diligenter administrabatur, vt ne festis quidem diebus quicquam eorũ intermitteret.* Baßiano *Maximiliani interpretibus tradito,* Scala *in* Alpibus *castellum, quod* Federicus Michael *præfectus timore animi incustoditum reliquerat,* Regis *insignia sustulit. quod vbi* Feltrini *cognouerunt, prætore ipsorũ* Federico Mauroceno *item profecto, nè diriperentur, idem fecerunt. Senatus certior factus* Taruisanorum *ciuitatẽ præter paucos, qui* Maximiliani *partes sequebantur, in officio cum rep. velle esse, literas ad eos dedit, quibus literis immu*

nitas omnium rerum annos quindecim ciuitati dabatur, portoriũq; frumẽto molẽdo remouebatur. Iis rebus cognitis ciues plebsq; omnis in primis magna voluptate affecti, ad propugnandũ summo se studio cõfirmauerunt. quã eorum voluntatem Petrus Duodus *legatus, quem Senatus* Verona Vicetiáq; *abeuntem eò miserat, magnopere auxit, tabulis, in quibus fisci rationes & ciuium reliqua erant scripta, publicè abolitis, atq; in foro plebe aspectãte igni absumptis: pauloq; pòst milites quingẽti ab exercitu Senatus iussu ad eos præsidio missi, cupidißimis omnib. in oppidum recepti sunt.* Q*uòd autem etiam Ciuidale* Belunianũ *Maximiliano nolle se tradere perseuerabat, cumq; rep. omnes casus experiri statuerat, Senatusconsultum factum est, vti* Epirotæ *equites ducenti* Paulo Cõtareno *præfectò* Ciuidale *mitterentur.* Non *tanta in rempub. cuius stipendia faciebat, virtute ac fide* Pandulfius Malatesta *est visus, qui non salutatis legatis* Citadellam *profectus in partes* Maximiliani *sese transtulit.* Alfonsus *autẽ* Ferrariensiũ *dux* Ateste *municipio, à quo antiquitus originem ducebat, quodq; abest* Patauio *passuũ millia quindecim, in suã potestatẽ redacto, omnibus probris remp. afficere est aggressus, eius insignibus è foro alijsq; locis fœdè abreptis, et fundis domibusq;* Venetorum *ciuiũ sub hasta positis. Idẽ tamen haud ita multò pòst, quòd ab* Gallis *suo ipse regno timuisset, eiusq; rei suspicio sermonesq; non infimorum hominum in vulgus emanauerant, quas sui milites domos* Venetorum *ciuium* Rodigij *atq;* Ateste *diripuerant atq; diruerant, eæ vti publicè restituerẽtur, imperauit: literasq; à domesticis suis dari ad amicos, quos in vrbe habebant, voluit, quibus literis certiores eos facerent,* Alfonsum *ducem,*

quæ

quæ in Venetos hostiliter egisset, timore Gallorum coactũ atque inuitum fecisse: animo autem esse in rempublicã vti semper fuerit, amico, déque aduersis eius rebus molestiam capere, quòd sciret, detrimenta reipublicæ in vniuersam esse Italiã atq; in omnes bonos breui recasura. Miserat ad regem Galliæ Senatus vnum ex ijs, qui captiui ab exercitu reipublicæ Carauagio recuperato facti, Venetiasq; perducti fuerant, vt cũ rege ageret, vt si vellet suos omnes dimitti, vnum Liuianum restitueret. Is ab rege tum redierat cum mandatis eiusmodi, vt certos ciues Venetos, & Tribunos ac præfectos ex captiuorum, quos habebat, numero pro suis se dimissurum rex diceret, de Liuiano nullam se conditionem accepturum confirmaret. Aiebat is etiam, in eo quem secum rex habuerat sermone, regem sibi dixisse, singularem in prælio Venetorum militum fuisse virtutem, quam si equites præstitissent, pelli se atq; superari paruo negocio potuisse: aut etiã, si à pugna Veneti paucos se dies continuissent, futurum fuisse vt ipse non sine ignominia Mediolanum recederet: magno enim timore multò maximam sui exercitus partem perculsam à dimicatione abhor ruisse. Citolus quoque Perusinus tribunus militum ab ijs, qui eum in pugna multis vulneribus penè confectum cepe rant, numis traditis dimissus, secundo Padi flumine ad vrbem venit: quem quidem Patres omni studio curari mandauerunt, nequedũ enim vulnera coaluerant. huius de prælio sermo apud Lauredanum habitus, cum sermone Galli cõgruebat: Gallos pugnæ initio fugæ sese dare decreuisse: idq; futurum sine dubio fuisse, nõ modò si Veneti equites, vti debuerãt, depugnauissent, sed omnino etiam, si se loco non mouissent: eorum temerè fuga cœpta fieri, hostes retẽ-

tos se confirmauisse, atq; ita nõ tam vlla sua virtute, quàm ingenti equitatus Veneti formidine atque perfidia vicisse. At Senatus ea, quam suprà commemorauimus, de captiuis accepta conditione, quos habebat ex Gallis, regi restituit: atque ille, quos pollicitus fuerat, ex Venetis missos fecit: in quibus Naldius, Braccius, Vitellius fuerat. Patres interea cùm statuissent reipub. exercitum esse omni cura atq; impensa retinendum, & quod eius mißis ad Taurisanos et & Belunienses præsidijs decreuerat, esse reponendum, centurionibus non paucis, qui post prælium è Gallia, quique post restituta Iulio oppida è Flaminia redierãt, vti nouos milites conscriberent, mandauerunt. Verumenimuero, propterea quòd magna ciuium parte in tributa non conferente pecunia eos deficiebat, Decemuirũ decreto decẽ ciues lecti sunt, qui exigendæ pecuniæ omni cum potestate atq; imperio præessent: eosq; qui maiori eorum parti soluendo esse latis suffragijs censerentur, modis omnibus cogerent ad stipem conferendam: in reliquos mitius quidem agerent, aliquid omnino tamen etiam ab ijs consequerentur. atq; ij peracto magistratu, qui quidem esset annuus, quo tempore senatoriam dignitatem exercere eis liceret, annũ alterum in Senatu essent. eaq; re pecuniæ postea exigẽdæ ratio Patribus aliquãto facilior atq; explicatior fuit. Rogauerãt illis diebus demißißimè Antonij Grimani exulis liberi Bernardũ Bembum patrem meum, Marinum Iustinianum, Aloisium Gradonicũ Triũuiros ex aduocatis reip. vellẽt ob reliqua totius patris sui vitæ in remp. officia & studia eum ciuitati aliquando tandem restituere, vt, qui esset iam conclamata senectute, in patria saltẽ sepeliri sua posset. quam quidem rem adiuuabãt Dominici Cardinalis

nalis

nalis adhibitæ Iulio pro reip. aßiduæ diligentißimæq; preces: tametsi adhuc quidem propter naturæ illus illiberalitatem atq; inclementiam parum profuissent: tum perturbatis atq; adeo tantopere inclinatis ciuitatis rebus ad lenitatem dari sese, profectò æquißimum magistratibus videbatur: itaq; Triumuiris legem maioribus comitijs ferentibus, ante diem XV. calendarum Quintilium Antonius ab exilio frequentibus sententijs reuocatus, reiq; pub. restitutus, paucos post dies Roma, vbi aliquot annos fuerat, domum rediJt, cùm illum Patres etiam nũc absentem in sexuirûm, qui remp. in Senatu procurant, collegium pluribus quàm ceteros suffragijs adoptauissent. De legatis à Senatu lectis, qui ad se uenirent, et nuncium Iulius læto animo accepisse præ se tulit, & literas de ea re ad Aloisium & Maximilianũ statim dedit: quibus literis eos certiores faciebat, velle se remp. in eam, quæ ante bellũ secum intercedebat, neceßitudinem beneuolentiamq; recipere. Id autem ea de causa scire eos voluit, ne quid amplius contra illam cogitarent: sibi ipse suisq; rebus, si ij remp. oppreßissent, posse idem accidere nõ temerè existimans. quòd si id minus erat extimescendũ, omnino se coactũ iri imperata eorũ facere, subactis deletisq; Venetis, pro explorato ducebat. Senatui autẽ per Dominicũ et Marcũ Cardinales significauit, vbi legati Romam venissent, se interdictum remoturum: quã ob rem à Senatu iußi sunt naues triremes quamprimũ conscendere, Anconamq; proficisci, vt Flaminiam euitarent, quã resp. turpiter amiserat. At apud Mestre Cornelius legatus certior factus, in Taurisanis ciuibus esse nõnullos, qui tum quoq; nouis rebus studerent, eò cum quingentis equitibus Epirotis profectus duodecim eorum in vincula conie-

ctos ad Decemuirũ collegiũ misit, munireq́; oppidum instituit: pauloq́; pòst ex tribus legatis, qui erant in exercitu, Gritto, Cornelio, Mauro, Cornelius à Senatu reuocatus domum rediit. Concupiuerat Aloisius rex Maximilianum regem alloqui, vt illum in remp. accenderet: valde enim deliberatum ei erat, quicquid esset reliqui ex reip. ditione in continente, vrbemq́; ipsam si res procederet, capere: id autem sine Maximiliani voluntate, quibus posset modis, quibus artibus consequi, non videbat: itaq; vt hoc illi persuadere coràm posset, suum interpretem Cardinalem Rotomagensem Tridentum ad illũ misit, qui ab eo peteret, vt de magnis vtriusq; rebus colloqui secum vellet: tempus & locum ipse diceret: se, qua die, quoq; loco vellet congredi, ad illum venturum. Maximilianus, qui neq; hominẽ amaret, & maiorem ac potentiorem nollet fieri, satisq; haberet, quæ resp. superiore anno ditionis suæ oppida ceperat, sibi restitui, & se præter hæc Verona, Vicetia, Patauio esse potitum, cùm, quam ob rem colloquium peteretur, haud dubiè cognosceret, fictis quibusdam abeundi causis, colloquio euitato interius in regnum se recepit, perq́; suum legatum questus apud Aloisium est, pagos nonnullos & municipia in Veronæ finibus, quæ ad se spectarent, illum occupauisse. quibus intellectis rebus Aloisius, Pischeria, quã munire cœperat, discedens, in Brixianos fines rediit. Cremonæ interim arx, militũ, qui in ea erant, scelere atq; perfidia Gallis deditur, Aloisio Mula, Zacharia Cõtareno vrbis prætoribus, Sebastiano Maripetro quæstore, qui in eã se receperant, Marco Lauredano, Andrea Dandulo arcis præfectis in prædam hostibus traditis, Mediolanumq́; abductis. quæ sanè res magno dolori ciuitati fuit: nemo enim verebatur,

verebatur, quin omnem Gallorum impetum & obsidionem, si modò viri essent, quamdiutißimè sustinere potuissent. Ea capta, rex Cremonam se contulit. Illis diebus quòd venerant Baßianum milites è Germania quatuor mille (*id autem est oppidum in Medoaci ripa sub Alpium iugis, abestq́;* Patauio *passuū millia vigintiquatuor*) Maurus *legatus cum parte exercitus in* Taurisanos *fines profectus, ea loca tutiora & quietiora reddidit.* Aloisius Cremonæ *dies paucos moratus, cùm ibi* Triultium *oppidi præsidio reliquisset,* Galeatium Palauicinum Brixiam, Antonium Mariam *eius fratrem* Bergomū, Palitiæ *principem* Cremam *misisset,* Mediolanum *redijt.* Iulius Aloisio *profecto, exercituq́; eius propè dimisso, nihil iam grauius ab illo metuēs, neq́;* Maximilianum *per sese magnum quicquā atq́; arduū contra remp. ausurum existimans, per* Dominicū Grimanū *suadere* Senatui *cœpit, vt* Taurisum, & Forū Iulij, *quæ duo quidem oppida ex fœdere, quod is cum* Aloisio *percusserat, ad illum spectarent, pacatè ac lubentes ei traderēt potius, quàm bello atq́; inuiti paulò pòst amitterent tamē.* Id *an propterea sit aggressus, quòd cuperet nihil reip. reli qui in continenti esse, ne vires ad illa recuperanda, quæ ipse ex eius ditione in* Flaminia *ceperat, reintegrare poßet: an vt* Italiæ *cladibus ea re finis imponeretur, quo facilius bellum in* Thraces, *perdiu illud quidem cogitatum, atque adeo sermonibus agitatum, vnanimi omnium regū consensu opibusq́; sumi posset, quod vnum præ se ferebat, quia nobis nihil liquet, in ambiguo relinquimus. Sed omnino* Patribus *molestißima ea* Iulij *suasio fuit, qui sæpius iam, qua via eorum oppidorum, quæ* Maximiliano *se dediderant, recuperari aliquod posset, quàm vt ex ijs quæ habe-*

rent in continente reliqua, quicquã ei traderẽt, cogitabãt: itaq; legatis, qui Anconam classe appulsa iter Romam pedibus faciebant, scripserunt, darent operam, cùm ad Vrbẽ essent, mandataq; reip. confecissẽt, vt ab ea cogitatione Iulium abducerent. Ioannes interim Baduarius, Georgius Pisanus, qui legati Romæ fuerant, domũ redierunt. Patres cũ ab Gritto intellexissent, propter Maximiliani milites, qui Bassianum venerant, aliosq; permultos, qui pluribus in Alpium municipijs ciuitatibusq; cogebantur, atq; ipsum in primis Maximilianum, quẽ cum exercitu Feltriæ appropinquare nuncij venerant, tutius futurũ si copiæ reip. Taurisum ducerentur, ita vti fieret, censuerunt: præmissiq; Taurisum sunt virtute & fide præditi ac probati Patrib. viri è plebe tres cum suis quisq; militibus, qui tribus oppidi portis præessent, easq; ad omnes casus custodirent. Ad Castellum nouum aũt, quod est in Alpibus supra Taurisanos fines in regione Querio appellata, natura & artificio cõmunitum, milites Germani cùm venissent, & tormentis murũ quatere cœpissent, atq; Andreas Rimundius præfectus, qui eum locum sibi tuendum à Senatu sumpserat, turpiter se fugæ mandauisset, castello sunt potiti. Maximilianus Feltriam venit. Ea re ad Maurum legatum per ciues Patauinos amicos reip. cõfestim delata, qui illi magnũ esse Germanorum militũ cum rege numerum significauerant, Maurus nocte intempesta omni cum ea manu, quã habebat, ad imperatorem, qui Mestre nondum abierat, se recepit: castellumq; Francũ, quo in municipio erat Maurus, regi se eue stigiò tradidit. His interiectis dieb. dato ab omnib. iureiurando se in fide atq; officio cũ rep. futuros, exercitus Mestre eductus, Taurisumq; perductus est, quò tubicẽ Maximiliani

ximiliani venerat, petens vt regi se oppidani traderent, nisi diripi atq; interfici mallent. Ei consulto Senatu ab legatis est responsum datum, velle se oppidum tueri reip. atq; in eo ciues omnes consensisse: neq; direptionis aut mortis metu absterreri posse, ne fidem præstent, quã semel pepigerunt: virtuti nullam vim fieri: nullum incuti timorem ijs, qui honestè occumbere, quàm turpiter viuere satius atq; prius putant. Iisdem legatis deinde certiorib. factis hostiũ copias ad Citadellam conuenire, vt in illas impetũ faceret, Grittus Taurisо cum Leonardo Apulo cumq; Epirotis equitibus ad vicina ei municipio loca sese contulit. Andreas interim Fusculus, qui Byzantij reip. negocia procurabat, Patres facit per literas certiores, clade reip. cognita Regẽ Thracium sibi ostendisse, magnã se ex ea re molestiam accepisse: questum etiam apud illum fuisse, quòd non secum de hostium consilijs apparatibusq; communicarit, atq; auxiliũ in tempore petierit: quod quoniam factum non sit, suas nũc opes terra mariq; amico se animo atq; beneuolo reip. polliceri: petere, vt id quamprimum Lauredano principi significet. Vix eæ literæ in Senatu recitatæ sunt, cùm ab legatis Roma item literæ perferũtur, in quibus erat scriptũ: vbi ipsi ad vrbem appropinquauissent, misisse Iulium qui diceret, velle se eos Romam noctu ingredi sine vlla obuiã itione ciuitatis, neq; ei sacra ministrari, quoad se conuenerint: ipsum autem Iulium statim se Hostiam contulisse, vt illi interim in contemptu & squallore diutius manerent. Cũ autem is ad vrbem aliquot post dies redijsset, vno ex legatis Hieronymo Donato ad se vocato ostendisse, placere sibi vti fœderis, quod Cameraci percussum sit, capita omnia impleantur: si Taurisum Forumq; Iulij resp. Maximiliano

tradiderit:si iuri,quod in Ferrariæ vrbis dominatu,quódque in sinu Adriatico habeat portorij ab omnibus, qui eo mari nauigent, Venetijs soluendi renunciarit:si sacerdotia non modò prouincialia, sed etiam vrbana Pōtificib. max. remiserit, ipsa nullam eorum partem tributis exigēdis interceperit:si se in ipsum deliquisse fassa fuerit,eiusq; rei veniam subiectissimè petierit, tum se interdictum remoturū: eorum si quid facere Senatus recusarit, suas se copias Maximiliano traditurum, regemq; Galliæ idem facturum, vt is remp. opprimat. Adiuuisse aūt eam rem totam eiusdem regis Galliæ magnopere legatos, qui ab Iulio diligentissimè petierant,ne ad se legatos Venetos admitteret,neue interdictū aboleret, aut remp. subleuari pateretur: ita enim illum reliquis Italis principibus, & regum cæterorū omniū animis & cupiditatib. arbitratu suo moderaturum, si reip. non frænum modò,sed etiam vincula iniecisset.His recitatis literis nullus ordo in Senatu fuit, qui non Iuliū omnib. probris & maledictis fuerit prosecutus: nemo, qui nō se ipse magnopere damnauerit, quòd legē de legatis ad illum mittendis suo suffragio comprobarit:ea lege sex ciuitatis principes reliquis ciuibus, qui captiui contra fas,contra pactiones,contra fidem datam Romæ sint, adiectos in reip. ludibrium,Iulij iracundiæ traditos:itaq; omnes magistratus ira indignationeq; ardere,reliquos fremere,atq; in illos inuehi:neminē profectò scire iam,quid agi,quid tētari oporteat. Vnus Laurētius Lauredanus, Leonardi principis filius,clara voce, Cur nō,inquit, ad regē Thraciū, qui nobis sese obtulit, legatos statim mittimus auxilium cōtra istū non Pont.max. sed carnificē omni crudelitate præditū imploratū? Hac à plerisq; sententia probata, nonnullis

mitius

mitius & temperatius agendum statuentibus, neq; sine cõsiliorum reperto, iussis Patribus ea in re diligenter cogitare quid præstaret, Senatus dimittitur. At in Carnis oppido Sacilio ab hostibus, qui primo id impetu ceperant, ciuitate eos expellente recuperato, Ioannes Vitturius *ciuis egregia virtute à* Patribus *statim præsidio cũ militib. & equitib. est illò missus. Ab* Gritto *etiã legato* Franciscus Beraldius Patauinus *equitum reip.* C. L. *præfectus, qui ad hostes profugerat, aliiq; item præfecti equitum tres, quorum erat vnus* Busichij Epirotæ *fratris filius, capti ad vrbẽ in custodia perducuntur. Nam cùm* Epirotæ *propè trecenti ab legato præmissi, hostibus qui* Citadella *exierant, appropinquauissent, fuga simulata in apertos ante* villam Cornelianã *campos & planitiem eos pertraxerunt: tum repẽtè conuersis equis, impetuq; in illos facto quinquaginta ex ijs interfecerunt, sexaginta captiuos fecerũt, duces reliqui* Mercurius Bua, Ranerius Saxeta, Pandulfus Malatesta *fugere perseuerantes se in tutũ receperunt. His rebus agitatis, propterea quòd ab amicis reip.* Patres *cognouerant,* Maximilianum *cupere, vt* Senatus *ciuem aliquem ad se mitteret, qui cũ agere de cõmunibus vtriusq; rebus posset:* Aloisium Mocenicum, *vnum ex quinqueuiris* Senatu *regendo legerunt, qui ad illum proficisceretur. Literæ quoq; ad eos, qui creandi* Romanorum Imperatorem *ius habent, tũ ad liberas* Germaniæ *ciuitates datæ sunt: quibus literis* Senatus *petebat, ne* Maximilianum *sæuire contra remp. quæ in illũ tam liberalis fuisset, vlterius permitterent. Neq; tamen propter hæc intermittebant* Patres *in eam cogitationem incumbere, vt* Patauium, *quod planè oppidum ante oculos esset ciuitatis, improuiso magis & repentino in-*

curſu, quàm aperto bello recuperarent. Accēdebat eorum animos illorum magnopere auaritia, qui Patauium *regebant, quòd nulli* Venetorum *ciuium, qui in eo agro fundos poſſeßionesq́; habebant, qui quidem erant plurimi, fructus ſuos euehendi facultas ab ijs permittebatur, ſed ipſi eos inter ſe pro libidine diſtrahebāt. Multæ in oppido inſulæ, domusq́;, quas iure & more maiorum priuatim* Veneti *ab oppidanis emerant, aut ipſi ædificauerant, ab illis direptæ poßidebantur: multa prædia villæq́; alienißimis hominibus vulgò donabantur.* Itaq; Patres *antequam ad alia deſcenderent,* Franciſcū Capellum, *quē quidem virū* Leonardus Trißinus, *de quo ſuprà cōmemorauimus, quòd in legatione* Gallica *aliquot antè annos in eius comitatu adoleſcens fuerat, locumq́; apud illum penè filij obtinuerat, magno cultu proſequebatur,* Patauium *miſerunt ad ſpeciem, vt legatus ad* Maximilianū *proficiſceretur: re, vt* Leonardum *conueniret, eiq́; polliceretur, ſi* Patauiū *reip. reſtituat, exilij ſe legem reſciſſuros: tum ei, liberis, poſterisq́; eius ciuitatem, & ius comitiorum, &* Citadellam *municipium, quod* Pandulfus Malateſta *proditione amiſerat, cūque ijs præfecturam ipſi equitum ducētorum remp. dono daturam.* Capellus Patauium *ſubuectus, dum oppidum ingreditur, cognitus ab ijs qui portā cuſtodiebant, ab oppidanisq́; retentus alloqui* Trißinū *ſecretò nō potuit: cumq́; ſe apud eos legationis iure defenderet, ſuffragijs egerunt, num illum interficere, quòd* Patauiū *furtim veniſſet, an domum remittere deberent, quòd legati munere fungeretur. Octo erāt ex nobilitate ciues, octo ex plebe, qui ſuffragiū ferebant. Septem ex ijs* Capellum *condemnauerūt, nouem abſoluerūt. ita in magno vitæ periculo à fortuna verſatus,*

tan-

tantuloq; discrimine sententiarum ab eadem seruatus, multis ab ciuibus pro eius dignitate ac nomine ad oppidi portam, qua venerat, flumenq; perductus conscendit, ad vrbemq; rediit. Patres eo cõsilio depulsi, ad aliam se cogitationem conuerterunt. nam quòd erant eo in oppido ciues duo Centurionis reip. fratres, quibus ambobus cum portæ oppidi præfecto summa necessitudo intercedebat, petijt ab ijs per occultos internuncios centurio, darent operam, vt ea porta legato reip. aperiretur. Re complures dies agitata cùm demum inter ipsos conuenisset, Aloisius Molinus Quinqueuir Senatu regendo Patribus proposuit, tantas hostium iniurias vlterius non esse perferendas: sperare sese atq; confidere, si Patauium exercitus de improuiso mittatur, ciuibus ijs portam tradentibus, qui se reip. obtulerunt, oppidum capi facilè posse: neq; enim satis esse communitum: itaq; ad Grittum legatum scribi oportere, vt eã rem quamprimum suscipiat. Ad ea Lauredanus princeps, videri sibi periculosum respõdit, Aloisio rege Galliæ reip. neruis ac sanguini magnopere imminente, Iulio Pontifice max. ad ciuitatis perniciem atq; interitum omnia moliente, Maximiliano medijs in imperij finib. visceribusq; grassante, Ferdinando Hispaniæ rege, quasi quarto scriptis tabulis hærede, in possessiones reip. se inferente, Patauium velle recipere: quã quidem paulò antè vrbem vnà cũ alijs plerisq; oppidis et municipijs, vt huius belli tẽpestatem à suo capite auerteret, Senatus Maximiliano, tanquã de manu tradidit: valde enim se timere, id si fit, ne hostes reip. qui ea Senatus liberalitate victi nihil vltrà propè cogitãt, magnã redintegrandi belli causam se habere statuentes, iterũ in remp. vniuersi conuertãtur, neq; Patauium modò breui

recipiant,sed reliquam imperij partem,quæ in continente est, etiam suam faciant:nam vires ad eos repellendos reip. suppeditaturas, neminē tam stultum esse, qui sperare audeat:neq; esse credendum, qui pares illis integri non fuerint,fractos ac debilitatos superiores fore: ciuium priuatim iacturam,qui fructus suorum prædiorum in agro Patauino *amittant,tantam non esse,vt remp. periclitari malint,si amantes patriæ sint:quòd si alia mens eorum est,nō esse in ciuium habendos loco,qui remp.sua potiorem charioremq; non habeant:maiores ipsorum opes suas maritimis auxisse rebus,atq; imperium longè lateq; ea tantùm ratione promouisse: si ad illum vnum maris exercendi morē atq; consuetudinem redeundum sit,bene cum ipsis fortunā agere,omnes rectè sentientes existimaturos, quòd quæ artes imperio constituendo profuerunt, eisdem etiam vsque quaq; vel crescat propageturq; artibus imperium, vel optimè tutißimeq; retineatur.Cùm ea ita se habeāt, tamen* Taurisum Forumq; Iulij *adhuc quidem in reip. ditione cō tineri:ea ne amittantur,magis prouidēdùm ipsis esse, quā vt aliquid acquiratur: id autem facilè fieri moderatione,si ijs contenti sint: neminem enim iam reipublicæ magnopere inuidere illam partem, quòd si* Patauium *receperint, verendum in primis esse(dicat ne,an sileat? sed nō silebit, quæ præuisa omnibus multumq; cogitata debent esse) ne cum fines in continēte reliquos amiserint, vrbs quoq; ipsa parens altrixq; ciuitatis, de qua paulò antè ipsi non obscurè timuerint, in hostium suorum potestatem, quod* Dij o*men obruant, redigatur:sæpe enim accidisse,vt qui nimia pertinacia in ijs,quibus carerent,appetendis rebus essent, etiam earū quas habebant, quibusq; pacatè frui poterant,*

amißio-

amißione plecterentur, suæq; eos intemperantiæ vehemẽter pœniteret. Hac oratione ab Lauredano habita, pleriq; *magistratus in eius facilè sententiam abierunt: pauci cum* Molino, *rei bene gerendæ occasionem non esse amittendam, perseuerauerũt: nonnulli tã dubia in re, quid probarent, et eligerent, propè ipsimet se nescire fatebantur: itaq; magna inter eos altercatione orta, cũ finis rei nullus reperiretur,* Molinus *ad Senatum cõuersus eiusmodi orationẽ habuit:* Non tam *se quidem ea re angi ac dolore confici, quòd hoc tẽpore fortuna, quæ plerũq; res humanas administrat, plures potẽtioresq; quàm vnquã antea hostes in rẽpublicam armauerit, fato enim id, necessitateq; accidisse, itaq; moderatè esse ferendum: quàm propterea, quòd ipsa sibi respublica desit, quodq; ex ijs, qui eam regunt, nonnulli sint, qui dum immodico terrore opprimuntur, plus detrimenti ciuitati important, quàm ij, qui ei bellum intulerũt. quid autem se potißimum commemorare, ac cõqueri? quatuórne* Flaminiæ *oppida communita* Iulij *ducibus aperire portas iussa interdicto non rescisso? ciuésne perplures eorum atq; arcium præfectos proditos, atq; abductos in seruitutem? sexne legatos principes ciuitatis vltrò* Romã *missos in dedecus* Reipublicæ? *an verò* Apuliæ *optimã fertilißimamq; partem* Ferdinando, *antequam de ea verbum faceret, condonatam? an* Vicetiam *atq;* Patauium, *præclaras nobilißimasq; vrbes,* Maximiliano *non petẽti, nihil armorũ paranti traditas, & inculcatas? nam quòd* Taurisum *retentum sit, id virtute factum, atq; constantia eius oppidi ciuium, qui soli fermè, & destituti, ob eorum tamẽ in rempub. studiũ manere in fide atq; officio voluerunt.* Ego *verò, inquit, ô* Patres, *qui tãtopere formidatis, ad vos nũc tã*

tum orationem me conuertere operæprecium est. Maris quidem artes atq; studia deserenda nobis esse non existimo, sed omni studio diligentiaq; percolenda, dum ne id imperium, quod in continēte maiores nostri suis laboribus, suo nobis sanguine pepererunt, nostrorum animorum debilitate amittamus: quod quidē certè malum semel nostro vitio si contractum est, an nunc etiam à nobis, cùm ex parte corrigi potest, negligatur? ac obloquendi occasio hac ratione omnibus hominibus facilè præstetur, non tam fortunæ vi atq; impetu nos, quàm nostra ipsorum imbecillitate victos esse? At etiā additis, ciuium priuatim damna tanti non esse, vt ea de causa Respublica in periculum adducatur. quòd si vnà cum priuatis rebus salua esse potest publica, nónne ad id multò iustius accendamini, quàm si rei quidem publicæ saluti esse valeamus, priuatæ nequeamus? præsertim cùm priuatæ nostrorum ciuium opes maximè ad remp. pertineant, quæ suorum ciuium pecunia maxima ex parte bella gerere & sustinere consueuit. Atq; hoc eo libentius dico, quòd nulla mihi prædia in Patauino agro sunt, ne quisquā meis me commodis ductum existimet ad legem ferendam, vt Patauium recipiatur. Res me publica impellit, quæ mihi est mea vita charior: ad quam vnam cùm meorū ciuium commoda atq; vtilitates adiungātur, quid est quod aut me, aut quenquam ciuem bonum atq; industrium deterrere à suo suffragio probanda lege debeat? Superest pars illa plena formidinis, vt negocio capessendo desistamus, ne si ea re hostes nostros irritauerimus, illi inter se ad reliqua nostræ ditionis adorienda iterum parati atq; animati conueniāt: quasi aut facillimum eis sit, tantos exercitus comparare atq; cogere: aut ex regia dignitate videatur esse, Aloisium,

qui

qui suum in regnum se recipit, statim in Italiam *recurrere, vt* Maximiliano *præstò sit: aut ignoremus* Ferdinandum *nostris potitum oppidis, ne vnum quidem numum vlterius in bellum insumpturum: aut* Maximilianus *abundare thesauris consueuerit ad copias contrahẽdas, qui duorũm mensium spacio pauculas cohortes propè nudas ad* Veronam, Vicetiam, Patauium *tuendum vix ægreq; miserit: aut* Iulius, *quo demißius atq; abiectius cum illo agimus, eò non maiores sumat in nos spiritus, duriorem seq; atq; implacabiliorem multò præbeat. quòd si intelliget* Patauium *receptum, nobisq; pristinam inesse virtutẽ ac vim sentiet, non despiciet tam arrogãter eos, quos obesse sibi posse aliquando verebitur.* At *etiam veremini, hæc ne vrbs parens nostra in hostium nostrorum potestatem redigatur? quid, vos quæso, interest, vrbs ne ipsa in potestate sit hostium, an eius incolæ ac ciues, quiq; illam regimus, omnia quæ hostes nostri velint, atq; optent, statuamus? optabile illis est* Patauium *non recipi, vt eo ipsi oppido vnà cum reliquis pacatè frui poßint: optabile etiam est, vt* Taurisum Iuliiq; *forum, tractumq; hunc* Venetiæ, *qui nobis reliquus est, ipsis, vt alia multa tam præclara dedimus, etiam tradamus: vos eis morem gerere vultis. hócne hanc vrbem seruire nõ est? hoc non est eam suorum hostium esse factam? non est libertatem reip. quæ vnà cum huius vrbis parietibus semper creuit, quam maiores nostri nobis integram atq; intactam reliquerunt, prorsus atq; omnino perdidisse?* Si *maiores ijdem nostri ab ea cœli regione, in qua beatißimi sempiternam vitam agunt, hîc existant, atq; ad vos conuersi eiusmodi sermonem habeant:* Nos *vrbem vobis dedimus cùm liberam, tum eo situ & natura loci, vt nisi ipsi vobis desitis,*

nemo cogere vos poßit: cur quæ hostes vestri optant, facere didicistis, homines maximè omnium, qui hodie sub cœlo degunt, liberi? cur imperium pulcherrimum, quod vobis cõstituimus tam formidolose regitis? cur Patauium malè ab hostibus custoditum, quod penè vestris sub oculis est, vosq; appellat atq; obtestatur, non recipitis? quid illis obsecro respondeatis? primùm scilicet, vni vos seruisse tempori, quodq; tempus postularit, id fecisse. Iam istud vobis omnes concedimus: tempori enim hostium perpulchrè inseruitum est: de hac vrbe autem timere vos, ne amittatur, dicere non audebitis: neq; opinor tam timidè in Senatu locuti essetis, nedum etiam apud illos ipsos maiores vestros optimos fortißimosq; viros, qui sciunt vrbem hanc capi non posse, eiusmodi proferre quicquam audeatis: reposcēt enim statim vos, repetentq; à vobis parta grauibus verbis: quodq; tam pusillo animo fueritis, conquerentur, qui, ne hoc imperij domicilium vestris ab hostibus tueri possetis, pertimueritis. Sed de eo plura me dicere minimè necesse esse arbitror: vrbs enim pro se ipsa satis loquitur, quæ obsessa vadis vndiq;, neq; à iustis claßibus, neque à terrestribus exercitibus adiri se permittit. Itaque ad vos omnes reuertar Patres: tota enim hæc vestra causa est: nam propterea quòd imperio retinendo timidiores nos, quàm par erat, præstitimus, æquum est nunc in recuperando acres atq; fortes esse, vt eam infamiam quam formidine contraximus, animi robore atq; præstantia deleamus. Aloisium regem copijs dimißis Galliā vlteriorē petere, certiores facti sumus. Maximiliano quàm prompta sint quæ in bellum requirūtur, sanè cognoscimus. Iulius in alios quàm sit largus quàm munificus, satis superq; exploratum nobis est. quàm

hinc

hinc longè absit Ferdinandus, etiam videmus: qui tamen ipsi si velint, si festinent bellum nobis facere, vt Patauium recuperent, æstas abierit: ita hyemis beneficio res in annũ alterum differetur. quid vultis amplius? quam occasionem aptiorem, opportuniorem à dijs immortalibus postulatis? quod tempus ad hanc rem paratius atq; accommodatius esse potest? quanquam quæ simultates, odijq; semina in illorum regum animis iamdudũ insita radices altas habẽt, quæ fortunæ, ac rerum humanarum vices sunt, sperãdum nobis est, neque illos amplius conuenturos, & nos breui magnã reliquorum oppidorum partem facilè recuperaturos: ita enim cum his ciuitatibus ac populis, quos à nobis habuerunt, hostes se nostri gerunt, nihil vt malint iam, quàm illorum iugum suis à ceruicibus excutere, nostramq; in se beneuolentiam indulgentiamq; requirant. Est autem prudentiæ vestræ, Patres, hæc, si Deorum beneficia sunt, qui nobis ea quæ fœderatorum nostrorum scelere perfidiaq; amisimus, reddere statuerint, siue temporis, quòd illorum dominatum in satietatem atq; inuidiam subiectorum populorũ verterit, planè nõ despicere. semel, aut iterum homines ad regendũ imperium natos, maximis in rebus timidè lapsos esse, humanum fortasse sit, veniaq; non indignum: vsquequaq; autem sine causa eosdẽ illos omnia vereri, neq; dignum venia est, nec excusatione: ad interitũ enim tendit qui id agit. satis obdormiuimus Reip. satis longos dies in pauore, inertiaq; iacuimus: expergiscamur iã, timoremq; hunc nostrum, nocturnũ atq; vmbratilem, aliquando tandem exuamus. copias, quantis opus est, habemus proximas atq; paratißimas. agrestes homines vniuersi nobis fauent, nos expectant, morari cõqueruntur. oppi-

dani etiam accersunt nos, rogátq; ne sui obliuiscamur, néue se barbaros perpeti dominos addiscere seruitutis lõginquitate cogamus. Patauium verò ipsum eiusmodi est, *vt si receptum semel sit, amitti amplius propè non possit, cùm & custodire ipsi illud municipium, tanquam domum suam quilibet, ob propinquitatem facillimè queamus, et ob reip. vtilitates, quas ex eo percipere consueuit, & facti laudem atq; gloriam maximè debeamus, & propter priuata ciuium commoda, fructuúmq; copiam, & villarum amœnitates, magis vt velimus, adducamur honestissimè. Vnũ* Patres *moneo, vt ne tempus vllum rei gerendæ interponatur, ne, si parumper distulerimus, hostes se interim muniant, atq; ab ijs conatus nostri omnes retundantur. nihil est in bello celeritate conducibilius, nihil omnino victoriarum efficientius: ea et qui vtuntur alacriores facit, quòd in hostes imparatos impetum se facturos vident: & hostes ipsos imbelles reddit, propterea quòd sæpe imprudentes nec opinantes offenduntur, vt arma capiendi, séq; defendendi tempus facultatemq; non habeant.* Postremum est, *vt* Deos *omnes orem, teq; in primis* Marce *vrbis huius parens & conseruator, cuius templum inauratũ atq; augustum ante curiam maiores nostri antiquitus ædificauerunt, omniq; pietate semper coluerunt, quodq; nunc persanctè ipsi adimus atq; incolimus quotidie, vt si ipsi hanc mihi mẽtẽ dederũt, vt legem ad vos ferrem* Patauium *recipi è rep. esse, neq; enim aliunde recta hominibus consilia, quàm à* Dijs *immortalibus veniũt, & vos eã* Patres *cõscripti vestris suffragijs hoc vesperi sanciatis, & ipsi mihi, & vobis, ac ciuitati, & reip. totum negociũ faustũ, felix, fortunatũ velint esse.* Hac *oratione habita, cùm nõnulli magistratus ad* Molini *se sententiam*

tentiam adiunxissent, lex est perlata, vt ad Patauium *reci-piendum* Grittus *legatus e uestigio contenderet, datumq; omnibus iusiurandum, ne quid eius quis enunciaret.* De ea *re perlatis statim ad* Grittum Senatus *literis, ille cum equitibus mille, militibus item mille* Tauriso *profectus, medio itinere ad* Nouale *municipium se continuit: eodemq; die* Decěuiri *cymbas suas cũ armatis hominibus ad omnia itinera diligenter custodienda miserunt, ne quis Patauium eius rei nũcius ab vrbe mitti posset. Postero die autem, qui fuit dies decimussextus* Calẽdarum Sextilis, *noctu reliquo itinere confecto legatus ante lucem prope oppidum substitit: interim carri aliquot frumento imposito, quos legatus ad id præparauerat, cum bubulcis ante portam se contulerunt, atq;, vt sibi aperiretur, paulisper expectauerũt. apertis portis, quæ ad priorem* Medoaci *fluminis alueum sunt, quo tum alueo naues permeabant, ac demisso ponte, & carris in transmissu commorantibus, legati pedites leuissimi adueniunt, portamq; capiũt, pauloq; pòst legatus cum reliquo agmine in oppidum irrumpit: profectusq; ad interiorẽ oppidi portã, qua murus item alter postremo longè altior atq; solidior vnà cum altero* Medoaci *alueo tanquam circino circunductus vrbem reliquã tuebatur: ea refracta ad forum omnes magno cum clamore ac tubarũ sono rectà contendunt. quibus obuiam progressa gens* Parmensis *(id erat fratrum illorum ac* Centurionis *familiæ nomen, quæ se ad hoc ea nocte cõparauerat) armata cũ legato læta atq; hilaris se coniũxit.* Eo *tumultu excitus* Brunorus Saregius Veronẽsis, *clara gente natus, qui stipẽdia* Maximiliani *faciebat, eoq; biduo Patauiũ venerat, cũ turma equitum ducẽtorum,* Venetos *qui forum iam omnesq; vias*

atq; aditus obsederāt, repellere aggressus, amißis perplurimis ex suis, ab ijs capitur. Germani quoque milites ad prætorium qui erant, cum præfectis regijs eodem accurrerunt, sed commisso prælio repulsi, se in arcem oppidi fugientes intulerūt. Oppidani magna pars se legato, qui eorum prætor summa cum laude paulò antea fuerat, gratulantes dediderunt. ita paruo temporis spatio Patauium recipitur eo ipso die, quo primo captum fuerat, anni ab vrbe condita nongentesimi octogesimi secundi, cùm binos & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuisset. Miserant ea nocte Decemuiri magnam armatorum hominum manum cùm ex plebe vrbana, & naualibus, quorum omnes propè operas eduxerunt vnà cum eorum præfecto Nicolao Pascalico, qui eas regeret, tum ex suburbanis municipijs, Torcellio, Maiorbio, Buriano, Muriano euocatam suis cum nauiculis, vt Medoaco flumine superato, Patauium legato auxilium ferentes mane accederent: ij celeritate adhibita, turri etiā, quæ in Strata pago flumini adiacet, expugnata: ijs abest pagus à Patauio millia passuum quinq;: à qua remulco subuehi, Germanis militibus, qui in ea erant, lapides & tela conijcientibus, non permittebantur, progreßi, in oppidumq; recepti, vnà cum legati militibus Iudæorum, fœneratorum domos valde quidē plenas, quarum erat magnus numerus, vniuersas spoliauerunt. à quibus digreßi, nonnullas etiam eorū ciuium, qui reip. aduersißimi fuerāt, vitæ inquilinorū parcentes, diripuerunt. verū edicto legati proposito, vt prædādi finis fieret, et luminibus singulis in domibus è fenestris tota nocte ardere iußis, ne tenebræ licentiam peccādi adderēt, stationibusq; in foro atq; ad portas dispositis, ipso etiam legato cū militibus

tibus

tibus oppidum perambulante, non tamen quorundam Venetorum ciuium, qui spe prædæ priuati Patauiũ venerãt, audacia comprimi potuit, quin cũ armatis direptiones exercerent, atq; in legati milites, à quibus prohibebantur, impetũ facerent. Ea de re ab legato ad Decemuiros datis literis, *quòd statuere ipse in ciues Venetos non auderet,* Hieronymum *Quirinũ magistrum suum,* Marinum Maurocenum *triumuirum ex aduocatis reip.* Decemuiri Patauium *celeriter miserunt: hi retentis nonnullis atq; in vincula cõiectis, tumultum sedauerunt.* Proximo *verò die tormentis ad arcem oppidi positis, & magna circunfusa armatorum multitudine, demum parte propugnaculi deiecta, dum de deditione hostes agunt, milites superatis per ruinas muris arcem capiunt: in qua captiui facti* Leonardus Trißinus *præfectus vulnere in capite accepto, &* Manfredus Facinus, *vir egregia virtute, qui complura stipendia, multisq; in exercitibus reip. magna cum laude meruerat, &* Germani *viri fortes & claro loco nati sex, ciuesq;* Patauini *tres, ijq; omnes* Patrum *iussu sunt ad vrbem missi,* Facino *excepto, quem* Grittus *legatus cùm magnopere diligeret, liberaliter appellatum castigatumq;, quòd cùm tot annos reipub. militiam fecisset, tam duro eius tempore in hostium numero esse voluisset, nullo accepto incommodo statim dimiserat.*

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. IX.

MAximilianus Tridentum redit. Multa oppida à Venetis recipiuntur. Venetorũ ad Patauij propugnationem, & hostium ad oppugnationẽ apparatus. Franciscus Mantuanorũ dux à Venetis capitur. Senatus in suos pietas & liberalitas. Patauium à Maximiliano oppugnatur. Hieronymi Saorniani res pro rep. gestæ. Maximiliani à Patauij oppugnatiõe discessus. Vt omnia circa Patauium excinderentur lege cõstitutum. Res in Liburnis, Illirico, Istris, Carnis & Foroiulien sibus gestæ. Vicetia à Venetis capitur. Bellum à Senatu in Alphõsum Atestinum decernitur & geritur. Reip. exercitus Veronam frustrà mittitur. Multa oppida à Venetis recipiuntur. Classis in Alphonsum missæ progressus. Classis Veneta ab Alphonso fracta. De parente, filia pro concubina vtente supplicium sumitur. Iulij placandi ratio à Senatu inuenta.

PATAVIO *recepto, Monsilice, Ateste, pleraq; alia agri Patauini municipia paruo negocio ad remp. redierunt. Maximilianus, qui Marosticæ tunc erat (id est municipiũ in primis Alpium iugis, abestq; Patauio millia passuum vigintiquatuor) veritus ne interciperetur, eucstigiò Tridentum abijt. Senatus sex ex plebe homines fide præditos à Patribus legendos censuit, qui sex Patauij portas custodirent cũ triginta militibus quilibet. & quòd magnum rusticorum hominum studium in remp. extiterat, eos immunes annos quinq; iußit esse, fisci reliquis etiã remißis. Dũ hæc decernerentur,*

nerentur, à Maximiliano literæ ad Senatum venerunt, pridie quàm Patauium reciperetur datæ: quibus literis rex petebat, vt Aloisium Mocenicum ad se Marosticam Patres mitterent. Aloisius Patrũ iussu postero die Taurisum profectus, quòd rumor attulerat, Maximilianũ suos se in fines recepisse, præmisso tabellario, qui, vbi rex esset, quóque se venire vellet, sciscitaretur: alteris regis literis certior factus est, nolle amplius Maximilianum cum eo colloqui: itaque Taurisi paucos moratus dies, à Senatu reuocatus domum rediit. Gaspar etiam Seuerinas de quo suprà dictum est, ab incolis in oppidum Citadellam introductus, dum se ad Maximilianum Pandulfus Malatesta contulisset, missis ad vrbem internuncijs Senatui se obtulit: neq; tamen est receptus, ob leuitatem atq; inconstantiam, qua nimia vsus fuerat. Serrauallium interea, castellumq; Frãcum recipiunter, pulsis ab altero non sine cæde prope quingentis Maximiliani militibus, in altero omnibus ad vnum interfectis. Erant autem ex Hispania milites centum quinquaginta: & sunt oppida Patauio in septentriones versus. A meridie ferè autem Montanianũ in Patauinis finibus, & Lemniacũ, quod est ad Athesim flumen, in agro Veronensi, eiectis hostibus reip. insignia sustulerunt. equitatusq; ab Alfonso Ferraria emissus, vt eius oppidis præsidio esset, à militibus reipub. & agricolarum manu deflectus interfectusq; est, eorum duce capto, ad vrbemq; misso. Lemniacũ petẽte ciuitate per legatos ab imperio Veronensiũ, in quo erat, liberũ à Senatu factum est: permissumq; ijs, vt à magistratibus ab vrbe ad se mittendis regerentur. Prætor quoque, qui ius Patauinis diceret, comitijs maioribus creatus est Petrus Balbus ciuis prudentia moderationeq; insignis.

qui haud multò antea illum ipsum magistratũ obierat. Iulius Pont. Max. cognitis magna cum molestia reipub. prosperis rebus, Dominico Grimano, Hieronymo Donato ad se vocatis, animi ægritudinem dißimulans, ostendit cupere se, vt Taurisum Forumq; Iulij resp. ne amitteret: seq; eius rei autorem apud Maximilianum fore pollicetur: atq; ad sacra legatos reliquos, qui domi detinebantur, admitti imperat. Ac tum quidem ex Pannonia Guidotij Senatus scribæ, qui reipub. negocia procurabat, literis Patres certiores facti sunt, Aloisium regem Galliæ, Iuliumq; Põt. max. omni studio apud Pannoniæ regem egisse, vt is reip. bellũ inferret: perfacilè esse, propterea quòd respub. omnes suas opes amisisset, essetq; ad extremum redacta casum, eius oppidis omnibus, quæ in Istris atq; in Illyrico essent, illũ potiri: regem tamen aures eorum hortationibus non adhibuisse, neq; quicquam contra remp. aggredi aut statuere voluisse. Interim quòd Maximiliani copiæ augebantur, eratq; Vicetiæ eius præfectus Constantinus Cominatus, de quo superioribus libris sermonem habuimus, qui manus cogere dicebatur: Senatus iußit, vt Citolus & Lactantius suorum militum numerum & ipsi augerent, vt essent vtriusq; ad octingentos. Lucioq; Maluetio Bononiensi equitũ cataphractorũ centum præfecto, auctus numerus ad C. L. cum liberali stipendio: auctusq; Meleagro Foroliuiensi, Tadeoq; Vulpio Forocorneliẽsi, qui se amãter fortiterq; gesserant. Alexandrino Bigolo aũt vni ex Patauinis ciuibus, qui in Citadella obsidenda hostibusq; vexandis cum agricolarum manu egregiam operã nauauerat, vti equites leuis armaturæ centum, milites ducentos cõficeret, cura data, & stipendium à Senatu missum. Lancilloto etiam Soncinio

nio patri liberisq́; sex Patauinis *item ciuibus, qui in partibus reip. constantissimè semper fuerant, fundi aliquot eorum, qui à rep. defecerant, dono permissi: tum* Saccardo *vni ex iis equitum cataphractorum centum, & eorum qui sagittis vterentur, viginti, præfectura tradita.* Et *quoniam cum* Prospero Columna *cõfici nihil potuit,* Populæ *dominum, qui in* Brutijs *tunc erat, cum equitibus cataphractis trecentenis* Senatus *conduxit libris auri vicenis & trecentenis annuis: qui tamen postea,* Ferdinando *rege id ei non permittente, domi se cõtinuit.* Centuriones *etiam & præfecti equitum, qui ad vrbẽ se conferebãt, vt stipendia reip. facerent, perplures à* Senatu *sunt recepti, iussiq́; vt se quãprimum cohortibus turmisq́; confirmarent,* Patauiumq́; *proficiscerẽtur.* Inter *hæc* Ciuidale Belunianum *ad remp. rediјt.* Id *cùm* Feltrini *cognouissent, & ipsi spõte idem fecerunt. quod quidem etiam in* Noricis *aliquot populi ciuitatesq́; imitatæ, se ad remp. pari studio retulerunt.* At Maurus *legatus, qui, vt* Citadellam *interciperet, eò cum copijs properauerat, req́; frustrà dies aliquot tentata, quòd oppidum à magna* Hispanorum *militum manu defendebatur,* Taurisum *redierat, præsidio ad oppidum tuendum relicto cum* Imperatore *& reliquo exercitu* Senatus *iussu se* Patauium *contulit.* Magnæ *enim manus hostium pluribus in locis ad eam vrbem obsidendam comparabantur,* Maximilianumq́; *ipsum eò breui venturum fama vulgauerat.* Eas *ob res pedites quatuor mille ex plebe vrbana sunt conscripti, quos* Patauium Patres *mitterent.* Ex Patauio *ciues permulti, quorum fides atq; animus suspectus erat* Patribus, *ad vrbẽ nominatim euocati, iussiq́; inde, quoad de bello decernatur, non recedere.* Idem *post dies ali-*

quot de Taurisanis ciuibus nonnullis imperatum. Hieronymusq; Saornianus, *qui iam antea* Patrum *missu ad* Heluetios *profectus eos ad remp. iuuandam propè armauerat, sed clade exercitus nunciata impetrare ab illis nihil postea potuit, quiq; tum ad vrbem redierat, in Carnos patriamq; suam à Senatu missus est, vt illis in finibus legatis reip. præstò esset. ad quos etiam equitatum* Patres *miserant, quòd hostes eo quoq; ab latere impetum facturi dicebantur.* Atq; *ij paucis pòst diebus ad Ciuidale Carnicum oppugnandũ sunt profecti, tribusq; prælijs frustrà oppidum aggressi,* Ioannẽ Paulum Gradenicum *in* Foroiuliẽsib. *legatum, qui eò venerat, vt ab obsidendo municipio illos auerteret, vulnere illato repulerunt,* Tiberto *è* Purliliarum *principibus equitum leuis armaturæ ducentorum præfecto, benemerito de rep. homine, & Camillo* Malfacto Patauino *totidem militum Centurione cũ plerisq; viris fortibus interfectis, euestigioq; abierunt. nam dum ij ab oppido digreßi in Gradenicum impetum faciunt, oppidani egreßi hostium tormenta clauis ferreis confixerant, vt eis vti eo tempore non possent. quibus abeuntibus* Portunaonenses *ad* Gradenicum *miserunt, seq; reip. reddiderunt.* Ex Benaci autẽ *ripa vallibusq; homines quingenti sponte, vt reip. opem ferrent, se* Patauium *intulerunt: quos* Grittus *legatus liberaliter appellatos, stipendioq; dato* Taurisum, *cuius agrũ hostes depopulabantur, earum regionum auxilio statim misit: quò etiam* Maurus *legatus cum equitibus mille ea de causa redierat.* Maximiliani *verò manus, pluribus ex finibus coactæ, fugatis in* Alpibus *reip. copijs primò* Castellũ nouum, *deinde* Feltriam *recuperauerunt, prædaq; ingenti facta atq; abducta, oppidum incenderunt.* Eo *incendio*

turris

turris portæ oppidi imminens cōcidit: qua in turri carmē solido in lapide legebatur antiquitate mira præditū: is lapis igne absumptus haud paruo ciuitatis desiderio interijt. Carmen erat eiusmodi:

Feltria perpetuo niuium damnata rigori,
Fortè mihi posthac non adeunda, vale.

Supra carmen Iulij Cæsaris nomen erat inscriptum. Cretensibus vbi de Gallorum victoria deq; defectione oppidorum est allatum, magno ex ea re mœrore affecti, domi se vniuersi plures dies continuerunt: scriptisq; ad illos à præfecto classis literis, vti vellent ad Cyprum insulam firmandam, ne quis eam vicinorum regum aggredi audeat, tam afflictis reip. rebus præstò esse, ex sese libras auri centum sexaginta ad triremes, gripos, reliquasq; naues armādas, atq; in Cyprum celeriter mittendas curauerunt. Inter has iactationes alternosq; fluctus reip. Franciscus Mantuanorum dux à Maximiliani ducibus stipendio Veronæ accepto, quod quidem illi à ciuitate nullo more perq; vim exegerant, cum equitibus sexcētis octauo Iduum Sextiliū sese Mantuā referebat. Ea de re Grittus legatus ab amicis reipub. antea certior factus, Lucium Bononiēsem cum equitibus sexcentis, ex quibus erant Epirotæ ducenti, & Citolum Perusinum cum militibus octingentis, transuerso itinere Lemniacum præmisit: qui eò eiusdem diei sole abeunte cùm venissent, missis qui vias custodirent, ne quis ad Frāciscum nuncius afferretur, ante Solis ortum se interius in fines Veronensiū ad pagū, quo in pago erat dux, magnis itinerib. cōtenderūt: impetuq; facto illū seminudū, vt se repētè expergefactus domo eiecerat, atq; in milij segetē abdiderat, agricolarū indicio repertū ceperūt vnà cū suo comi

tatu omni, interfectis iis qui se defendere instituerunt, & equorum peregrinorum magno numero, & maiore stipē-dij parte ad libras auri octoginta, argētiq; in mensam affabrè cælati graui pondere: statimq; cum præda captiuisq; reliquis Patauium adduxerunt. Præda inter omnes diuisa: ipse Venetias perductus, atq; in Comitij turricula custoditus, haud minimæ ciuitati lætitiæ ex inopinato fuit. Neq; multò pòst Hieronymo Pompeio Veronensi, qui cū equitibus leuioribus stipendia reip. faciebat, quòd is à fratribus, qui Veronæ erant, de Mantuanorum ducis abitu cognouerat, legatoq; indicauerat, equites grauis armaturæ à Senatu additi: agricolisq;, qui illum latitantem reip. militibus ostendissent, immunitas pensioq; annua, quas posteri eorum sequerentur, dono data. ipsi veste liberaliter induti, auriq; libra itineri domū inter eos diuisa. Deinde cùm Pompeius ipse ad vrbem venisset, vti ei fratribusq; eius quinq; auri libræ, sex singulis annis curarentur, castellumq; Lasium, cuius in finibus prædia eorum erāt, dono eis daretur, Decemuiri sanxerunt. Marco etiam Ariminensi Centurioni reip. Lemniaci qui erat, ad eamq; rem conficiendam & studio & diligentia vsus fuerat, duæ auri libræ pensionis nomine annis item singulis, quoad viueret, cōstitutæ: auctusq; militum numerus ad alteros totidem. Latum etiā, vt ei Centurioni ciui Patauino, cuius fratres legato oppidi portam aperuerāt, ex eorū bonis qui hostes reip. fuissent, prouentus annuus attribueretur, quo se liberaliter familiamq; suā aleret. Idem munus ex Taurisanorum reip. hostium bonis, domusq; percommoda in oppido, atq; immunitas onerum omnium, quam posteri eius sequerētur, Marco Pelliciario ciui Taurisano, cuius virtute ac fide ciuitas in officio erga remp.

remp. se continuerat, vtq; ipse in suæ ciuitatis Senatũ extra ordinem legeretur, datum. Atq; ad hæc Senatusconsulta illud quoq; Patribus frequentissimis est additum: cuiuscunque rebus atq; fortunis damnum aliquod ab hostibus aut illatum iam sit, aut deinceps inferatur, remp. spondere ac polliceri, sese ei bello confecto æquis factis æstimationibus omne detrimentum sarcituram. Cuius rei edictum publicè Patauij propositum vbi est ab hominibus auditum, Senatusq; in suos ea pietas & liberalitas cognita, tantus subitò ciues plebemq; omnem atq; ipsum etiam exercitum beneuolentiæ in remp. sensus atq; lætitia tenuit, vt magna alacritas oppidi defendendi omnium sit animis innata, omnesq; ad omnia pericula subeunda multò audentiores & paratiores fierent. Maximiliani copiæ, reliquis municipijs eo ab latere captis, ad vicum Aggeris profectæ, qui abest Patauio vicus duo millia passuum, à Medoacoq; flumine intersecatur, pontem qui in vico est occupauerunt, atq; ex ijs nonnulli equites vsq; ad oppidi portam cucurrerunt, repulsiq; sunt à reip. militib. qui in porta statione habebãt. Est ad Medoacum sex mille ab oppido passus, quà flumen diuiditur, parsq; fluminis altera recto cursu Venetias versus, altera pars Patauium, circum interq; vecta ambæ ad Stratam vicum se coniungunt, atq; in vnum redeunt, arx antiquitus instituta, ne repentinis hostes incursionibus illam fluminis partem, quæ Patauiũ tendit, deriuare in alteram possent: quod quidẽ non difficile factu est, nisi arx impediat; propterea quòd ea fluminis pars, quòd multò breuiorem cursum habeat, trabibus in flumine infixis, ac mole lapidea inter trabes excitata retinetur, quoad per trium fermè cubitorũ rimam peruiã quæ visa est aquæ pars dela

batur, reliqua sustineatur ad Patauiũ irrigandum: ea si moles non sit, omnis fluminis vis in breuiorem alueũ, qui demißior est, sese fundat, neq; pars aquæ vlla Patauium perueniat. Is locus pagusq; Limẽ appellatur. Ad arcẽ itaq; Liminis capiendam omnis hostium exercitus, ad quem iam Maximilianus venerat, paucos se post dies contulit. Erant in arce milites CL. ij, quòd arx satis cõmunita non esset, dum quid agant consulunt, hostes intromißi eos propè omnes interfecerunt. Arce capta Maximiliani milites mercede proposita molem interscindere aggreßi, cùm partẽ eius deiecissent, flumenq; pro ea portione auerteretur, constaretq; omnibus, si pergerent deijcere, totum flumen ea descensurum: Maximilianus operas ab incepto reuocauit, imperauitq;, ne quis molem vlterius deijceret: neque tamen quisquam scire potuit, quã ob rem Maximilianus id iußisset, ita ea fluminis pars, quæ Patauium defluebat, nunquã postea defluere vniuersa desiit. Cæterum cùm vidissent Bachilionem etiam flumen, quod in agro Vicetino ortũ habet, quinq; millia à Patauio passuum ad pagũ, qui Longare appellatur, diuidi, eiusq; partem Atestẽ, partẽ Patauium deferri: vti hæc quoq; pars Atestẽ deflueret, eam intercipere sunt conati, ne quà Veneti eius fluminis aqua ad Patauiũ tuendũ vti possent: sed ab equitibus reip. sæpe vexati, sæpe cõmeatib. interceptis, sæpe captis nõ gregalibus modò ex ipsis magno numero, sed præfectis quoq;, incepto destiterunt. Inter captos Manfredus Facinus fuit, qui spreto iureiurando, quod legato Gritto dederat, iterũ cum hostibus se coniunxit: ei est ob periuriũ Patauij laqueo gula fracta. Hostes post hæc, quòd erat eo ferè ab latere municipiũ Monsilice, quod abest Patauio decẽ millia passuũ, mõti præ-

ti præcelso adiacēs, in cuius summo vertice est arx, quæ muro ab vtraq; parte ducto cum oppido coniungitur: cùm Ateste, quod nemo defendebat, antea cepissent, se Monsilice contulerunt, oppidumq; magno impetu aggreßi ceperũt singulari Hispanorum militũ virtute, qui ad arcẽ per montis crepidines repserant, elusis reip. qui in ea erant militibus præfectisq;, arcem posse capi non verentib. ij enim cùm ad priorem eius partem, quã tormentis antea perfora uerant, se ostendissent, per posterioris angulum, qui nudus à propugnatoribus relictus fuerat, pauci se in murum improuisi intulerunt, deq; muro in arcem deiecerũt: ad quos reliqui conuolantes perterritis omnibus magna cæde facta arcem tenuerunt, oppidũq; diripuerunt: Danielemq; Maurũ, & Petrum Gradenicum, quorum alter Atestinis prætor fuerat, captoq; municipio fugiens Monsilice se intulerat, alter ibi magistratus erat, captiuos fecerũt. Eo successu fretus Beraldius Patauinus, qui stipendia Maximiliani faciebat, Montanianum municipium cum militib. accedẽs, vti se dederent, oppidanos est hortatus. Ii velle se imperata facere simulantes, Beraldium cum ijs, quos visum est, equitibus intromiserunt, portæq; rete ferreo repentè dimisso, ipsum vulnerauerunt, captiuumq; cũ plerisq; fecerunt: reliquos interfecerunt. Galaßium quoq; Piũ in Patauinis montibus cum sua equitum turma & Maximiliani militib. iter faciẽtem, agrestes homines congreßi occiderunt. equites XX. & milites LX. captiui facti. Nicolao imperatori, quòd eius stipendiorũ cũ rep. renouandorũ tempus appetebat, eadẽ est in annũ potestas dilata, decemq; auri libræ singulis mensibus in victum à Senatu constitutæ. Maximilianus, qui tormenta graui ære permulta ad muros

Patauinos verberandos domo ad se comportari imperauerat, dum ea per Alpes magna difficultate conuehuntur, modò ad hanc, modò ad illam suburbani agri partem exercitum circũtulit, ne frustrà tempus terere videretur: vel etiam, vt pleriq; crediderũt, ne cognoscere Veneti possent, quo ab latere ille quatere oppidum vellet, vt dum omnia latera omnesq́; muri partes munitionibus firmandas sibi esse intelligunt, pro oppidi magnitudine diligenter muniant. Ea res, *quòd flumina omnibus à regionibus agrum intersecant, pontesq́; sæpe erant reficiendi, magnam difficultatem atq; moram afferebat: simul equites* Epirotæ, *quorum erat cùm magnus in oppido numerus, tum virtus atq; industria singularis, improuisis incursionib. neq; die neq; nocte vllam hostibus quietem relinquebant, quotidieq́; cũ præda cumq́; captiuis in oppidum reuertebantur.* Vnum *fuit magno vsui, quòd plurima eo tempore ad* Maximilianum *auxilia conuenerunt: nam & Aloisius rex duce homine impigro, qui* Palitiæ *principatum obtinebat: &* Iulius Pont. Max. *&* Alfonsus Ferrariensium *dux magnos equitatus & peditatus ad illum miserunt.* His *præerant ab* Iulio Ludouicus Picus, *qui bello* Mirãdulam *fratris oppidũ occupauerat: ab* Alfonso Hippolytus *eius frater, qui erat in* Cardinalium *collegio, magna animi ostentatione vir, magna sui confidẽtia, bellicarum rerum non ignarus.* Venerant *eòdem præter hos omnes ferè* Itali *aliarumq́; nationum principes suis expulsi regnis cum ea copia, quã cogere maiorem potuerunt: præfecti* Centurionesq́; *cum turmis cumq́; militibus sua etiã sponte pleriq;.* Ex Germania *verò* Galliaq́; Maximilianus *ingentes copias adduxerat cũ ex omnibus propè regionibus, tum verò ex* Sequanis *optinum*

mum & plenißimum equitatũ: vt vniuersum eius exercitum octogies millies hominum numerũ supergressum opinio tenuerit. ad quem quidem Veneti sustinendum nihil nõ curæ diligentiæq; iampridẽ adhibuerant: nam & sat magnã bonorum militum manum ad se confluentium, & equitatum vtriusq; armaturæ, quanto opus erat, Pataùium intulerunt, eisq; tribunos & præfectos fortißimos lectißimosq; homines dederunt: & omnes ferè naualium vrbanorum operas, quas antea oppido recuperando eorũ magistratus Pataùiũ subuexerat, iterum eò redire voluerũt, permanereq; quoad oppidum defendi opus esset. Præter hos sagittariorũ è plebe vrbana, atq; ab Epiro Græciaq; plurimis cohortibus euocatis, dato stipendio idem vti facerent mandauerunt: vt essent milites omnes numero ad millia quatuordecim, equites cataphracti ad sexcentos, Epirotæ ad septingentos, qui sagittis vterentur ad quingentos. Ex nobilitate quoq; primarij adolescentes permulti reip. hortatu se in oppidum inferre non dubitauerunt cum suo armatorum comitatu singuli: vt pleriq; Senatorum & magistratuum liberi ea obsidione, quos oportuit, militiæ labores & ærumnas forti animo pertulerint. Lauredanus quidem dux princepsq; ciuitatis duos ibi filios & ipse in armis habuit: quos perplures item ex nobilitate ciues comitati, haud paruum clientũ militumq; numerum secum adduxerunt. Ad priores etiam legatos Grittum Maurũq;, tertium legatum Ioannem Paulũ Gradenicum, cui ex vulnere ad Ciuidale Belunianum in vitæ periculum adducto Franciscus Capellus legatus successerat, Patres addiderũt, qui labores & vigilias inter se partirentur. Postremò tormenta omnis generis, arma omnia, vectium, ligonum, re-

liquiq; ad terram fodiendam instrumenti vim ingentem, cūq; ijs frumenti magnum numerum, cæterosq; abundè commeatus ad inopiam leuandam Patauium importari curauerunt. quibus rebus omnibus accessit, vt quoniam agrestes homines, quòd essent reip. amātissimi, passim ab hostib. diripiebantur, vulgoq; in vinculis atq; in omni supplicio detinebantur, vt pleriq; vitam cruciatibus amitterent, non paruus eorum numerus, vt tuti esse possent, se in oppidum intulerit, qui munitionibus instituēdis magno reip. vsui ad celeritatem fuit. Illa quoq; non postrema Patres cura cogitatioq; tenuit, propterea quòd existimabant ea bina flumina, quæ Patauium inferuntur, de quibus suprà dictum est, esse hostes primo quoq; tempore auersuros: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, vti molæ frumentariæ, quas iumenta verterent, omnibus in oppidi regionibus & vicis ædificarentur: nam plurimæ, antiquitus in oppido quæ erant, aqua subtracta vlli esse vsui non poterant. demum, quòd omni ab oppidi latere omnesq; ad portas erāt prooppida in agrum porrecta longo pleraq; tractu lōgisq; vijs, quorum partem Patauini Venetiq; ciues animi causa magno sumptu exædificauerant, cum sacris ædibus ac fanis: ea prooppida, ne hosti receptacula munitionesq; præberent, legati dirui mandauerant. Sed ea res parua erat ex parte confecta, cum Maximilianus singula oppidi latera quinis fluminum alueis transmissis circumuectus, vrbis situ vndiq; perspecto, vno in loco omnes suas copias continere, vt à captiuis cognitū est, oppidūq; aggredi collectis virib. statuerat. Quod vbi Patres intellexerūt, alios decem ex nobilitate ciues Patauium miserunt, qui cum obæratis et cliētibus suis fide præstantibus, ad om

nia

nia obeunda munera legatis præstò essent. Iis oppidum ingressis ratio inita est, qui numerus nobilium ad obsidionē sustinendam se Patauium intulerit: ij fuerunt centum septuaginta sex: quiq; item ex plebe optimorum ciuium: sed is exiguus fuit. Iidem Patres, quòd ægerrimè ferebāt ab Alfonso Hippolytum fratrem magna cum manu ad Maximilianum auxilio missum, omnemq; ei commeatum ab illius finibus, omnes ad tormenta exercenda res Ferrariæ subministratas, triremes quinq; à Tergestinis, quos obsidebant, euocatas, atq; è naualibus nauigiola perplura educta atq; adornata, fossam Clodianam progredi iusserūt, vt Pado subuecti in Alfonsi fines impetum facerent. Progressis, quoniam Maximilianum omnem suam copiā, omnes opes, Patauium vt caperet, breui explicaturum constabat, Senatus ad earum præfectum Hieronymum Contarenum misit, vt Patauium legatis auxilio cum classiarijs contenderet: atq; is statim nauiculas conscendens, flumenq; Medoacum, vbi in mare influit, ingressus, eo festinanter superato armatos homines quingentos, ex quibus erant sagittarij Cretenses pleriq;, ex sua classe in oppidum intulit. Iisdem diebus Petrus Pascalicus à Senatu lectus est, qui ad regem Pannoniæ in fœdere, quo cum rep. plures annos fuerat, continēdum proficisceretur: valde enim illum & Iulius, & Aloisius, vti suprà demonstrauimus, & cum ijs vnà Maximilianus per internuncios, perq; literas hortabantur atq; obtestabātur, vt bellum inferret reip. In Foroiuliensibus autē, & in Carnis, ab hostibus, qui Goritia reliquisq; Maximiliani ex finibus earū regionum coacti reip. ditionē inuaserant, nihil est cessatum: pluraq; oppida & castella, cùm incursionibus & vicorū incendijs, tū castris & tormentis positis sunt ab ijs

tentata, nonnulla capta & diruta: molestiq; sæpe nuncij ad vrbem in Patauinũ bellum suspensam & occupatam, præfectorum & legatorum literis allati, graues tumultus & querelas excitauerunt. Quibus in rebus præclara Hieronymi Saorniani virtus fuit, qui suorum clientum & agrestium ac montanorum hominum manu, omnes ferè hostium impreßiones atq; impetus audacißimè sustinuit, itaq; postea pridie calendarum Octobrium, quo die antiqua consuetudine ciues sexaginta maioribus comitijs creantur, qui annum in Senatu sint, eum is honorem est adeptus, atque ita quidem adeptus, vt omnes ciues principesq; ciuitatis suffragiorum numero vicerit: quæ res antea nunquam acciderat, vt cuius maiores domicilium extra vrbem semper habuissent, ipse in vrbem suis modò temporibus ac per occasiones ventitarit, in Senatum legeretur. Vt autem pluribus etiam suffragijs, quàm vllus alius, eam rem consequeretur, id verò magnopere mirum omnibus atq; inauditũ fuit: sed eam ipsam comitiorum & ciuitatis in illum beneuolentiam paulò pòst ea res etiam auxit, quòd is Castellum Nouum, egregium in Carnis municipium, peropportunè ab hostibus custoditum, magno animo aggressus, tormẽtis celeriter prolatis muroq; verberato, ad deditionem nulla neq; rerum neq; salutis conditione interposita compulit. Erat Fori Iulij æger Franciscus Capellus legatus, neq; exercere se poterat: quod vbi Patres cognouerũt, Aloisium Delphinum ei legatum e uestigiò submiserunt. Aucta verò paulò pòst suspicione, Patauio magnopere cõmunito Maximilianum suas copias ad Taurisum obsidendũ velle conuertere, Patres Aloisium Mocenicum magna cum potestate legatũ eò miserũt, oppidumq; rebus omnib. munire decreuerunt.

creuerunt. quod cùm esset difficilius, exhausta & pecunia & militibus & plebe ad bellum idonea ciuitate, magnam ea res perturbationem afferebat: quam tamen subleuabat, Patres certiores esse factos, aquã Silis fluminis, quod nõ lõgè ab oppido multis fontibus largiter ex terra exit, posse munitionibus adeò sustineri, vt quingentos eoq; amplius circa oppidum passus maiori ex parte ager sub aqua redigatur, ne hostibus ad murũ accedendi facultas sit: easq; munitiones propè confectas esse. Maximilianus autem, siue id nunquam in animũ induxerit, siue desperarit posse ad exitum perduci, exercitus sui partem ad eam agri Patauini regionem, quæ ad Fossam Clodiam mareq; pertingit, fertilissimam scilicet pecorisq; plenissimam, quòd sua illò reliquarum regionum homines armenta contulerant, prædatum misit: qua ex re tanta agrestium multitudo cum coniugibus ac liberis, cumq; ea, quam subitò abripere secumq; supellectilem potuerunt, missis ad eos publicè nauiculis, fuga se in vrbem contulit, loca vt publica omnia porticusq; ac fana & priuatæ domus plurimæ ea turba cõplerentur. Iis Senatus reip. pecunia commeatum dari iussit, quoad hostium discessu liberum illis reuerti domum fuit. Post hæc ad Medoaci munitionem, quà cymbæ ad vrbem transmittuntur, omnesq; ad illud vadorum vrbanorum latus hostes plurimas incursiões multis & illatis & acceptis detrimentis cùm fecissent, castra quamproximè potuerunt ad muros Patauinos à Septentronibus posuerunt, & tormentis oppidum quatere verberareq; cœperũt, tametsi à militibus reip. haud parua cum clade repulsi sæpe fuerint. Maximilianus ipse in templo Cartusiano, quod templũ oppidani non diruerant, medio ferè castrorum spatio consedit.

Erat ab ea regione portæ oppidi proxima turris ternea muro coniuncta, sed in agrum exporrecta, quantum eius spatium in latitudinem patebat, pedes propè quatercentum, quam magna celeritate ac diligentia imperator legatiq; excitari mandauerant, vt esset toti ei lateri contra hostium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos: ad eamq; conficiendam non agrestes modò homines militesq; reip. operam nauauerant, sed ciues etiam ex nobilitate Veneti, atq; ipsius Lauredani principis liberi suis terram manibus conuexerant. Ei turri Citolus Perusinus cum militibus mille præpositus, Gallos atq; Germanos ex hostium copijs aditum incursionibus aggreßibusq; tentantes, sæpe reiecerat. quod ægrè passus Maximilianus, Hispanis militibus ad se vocatis, magnis propositis præmijs eos incendit, vt aggredi capereq; munitionem vellent. Erant autem milites ij ex omni numero virtutis opinione facilè principes: qui re magno animo suscepta, quinq; signis ad munitionem se audacißimè contulerunt: reliquæ copiæ in armis non longè ab illis se continebant, eius rei finem opperientes, si negocium ab Hispanis perficeretur, sese in oppidum confestim illaturæ. Citolus suos siletio adhibito intra munitionem versari iubet, resq; ad ignem celeriter cōprehendendum idoneas in vallo disposuit: atq; in illos, qui scalis positis nemine repellente omnib. à partibus se in munitionē inferebant, vbi constitere, ignem succendit: à quo plurimi correpti sunt: reliquos acerrimè inuadit, omnesq; interficit, deijcitq;: simul tormētis in proximos emißis, eos fugæ dat, vt se ad Maximilianū magna clade accepta retulerint. Etiam Lactantius egredi ausus vsq; ad hostiū munitiones accessit, cædeq; facta, et tormentis hostium confixis,

pulue-

puluereq́; ad ea exercenda partim ſuccenſo, partim abducto, nullo ex ſuis deſiderato, in oppidum rediit. Is euentus rerum certam propè ſpem incluſis attulit, nihil regem in ea obſidione profecturum. At legati, quòd ſtipe, quam darent exercitui, plures dies caruerant (nam propter hoſtiũ excurſiones ſuſpectaq́; omnibus à regionibus itinera nihil afferri poterat) miſsis tandem ad Senatum internuncijs, quo id pacto fieret, conſtituerunt: itaq; Senatus aurum in ſtipendia ad Medoaci oſtium, quod eſt ad Foſſam Clodiam quinq; millia paſſuũ, in Decemuirũm nauiculis miſit: ibi equites Epirotæ ex oppido noctu emiſsi trecenti, eam ſtipem acceperunt, atque inter ſe ita diuiſerunt, vt qui velocioribus equis vterentur, eorum quiſq; eius pecuniæ partem ferret, vt ſi hoſtes in reditu eos adorirentur, reliqui prælium committerent, impetumq́; ſuſtinerent, ij ſe fuga hoſtibus eriperent, atq; in oppidum contendere perſeuerarẽt. Epirotas autem equites Lucius Bononienſis cum equitibus grauioris armaturæ ducentis, paucis eſt pòſt horis ſubſequutus, vt cum illis reuertentibus ſe coniungeret. atq; vt hoſtes, ſi ſe adorirentur, eluderet, duos magnopere valentes mulos ſacculis arenæ plenis ad ſpeciem atq; ſimilitudinem pecuniæ dorſo impoſitis medio in agmine ſecum duxit: qui quidem muli magno ei vſui fuerunt: hoſtes enim per exploratores de ea equitũ reip. profectione certiores facti, medio ferè in itinere ingenti equitatu circũfuſo ita ſe vndique in noſtros redeuntes intulerunt, vt ijs qui ſtipendium ferebant, facultas fugiendi non daretur, ſed omnes peræquè ſeſe defendere, manusq́; conſerere cogerentur. Verumenimuero vbi illos in mulis ſacculos hoſtes medio in prælio viderunt, eam illam eſſe prædam, quam petebãt, ra

ti, magna se pars ad eos capiendos conuertit, vt reliquis minus negocij ad se defendendos relinqueretur. Epirotæ *autem qui cum mulis erant, neq; numos ferebant, vt hostes longißimè ab reliquis abducerent, quemadmodum* Lucius *initio cõstituerat, fugæ se sinistrorsum per campos vnà cum illis raptim dederunt: quos quidem hostes plura passuum millia consequuti, tanta celeritate vti tamen non potuerunt, vt eos assequerentur, quoad emissus oppido ab legatis id futurum opinantibus equitatus recentißimus saluti atque præsidio illis fuit.* Lucius *ea de re atq; consilio magnam ab legatis atque ab omnibus laudem, optimum sui laboris fructum, tulit.* Milites *deinde* Hispani L X. *ex* Maximiliani *exercitu perfugæ in oppidum à legatis recepti sunt, stipendiumq; eis datum.* Diebus *autem insequentibus non semel eam, de qua suprà dictum est, turrim* Maximiliani *milites omnium gentium aggreßi, præterquàm quòd* Citolum *vulnerauerunt, eundem reliquis in rebus euentum habuerunt, quem* Hispani *antè habuerant.* Et *murus oppidi eo ab latere diu multumq; verberatus, tametsi longißimo spacio conciderat, tamen & hostibus ipsa eiusmodi ruina ascensum impediebat, & oppidani eodem tẽpore intra murum fossam & vallum efficiebant: quibus rebus muro ipso longè tutior ab ijs defendendi sese ratio institutioq; comparabatur.* Vnì *tamen tormentorum generi adhiberi remedium non potuit, ne vrbi noceret: quod quidem erat eiusmodi, vt pilam lapideam sesquipedis craßitudine in sublime ad fastigij speciẽ magno cœli tractu propelleret: ea intra oppidum pila ex alto cadens domorum tecta contignationesq; perforabat, lateq; vastabat, cum eorũ, qui suberant, interitu, ruinamq; inopinantibus afferebat.*

bat. Sæpius tamen accidit, vt in vias atq; in fora & aperta ædium cæ pilæ, quàm in tecta cœtusq; hominum deciderent. Quas ad res omnes Maximilianus *illud etiam addidit, vt literas sagittis alligatas intra oppidũ mitteret, quibus literis oppidanos hortabatur, vt à rep. deficerent, plurima eis atq; ingentia pollicitus, si ita fecissent: sed cùm ea quoq; re nihil proficeret, singulis autem diebus plurimi ex eius exercitu vel tormentis interficerentur, vel ab* Epirotis *equitibus caperentur, commeatusq; interciperentur: timeret etiam, propterea quòd perpetua serenitate vsus fuerat, si pluuiæ, vt plerunq; accidit, cùm perdiu cœlum siccũ fuit, magnis tempestatib. deciderent, fore vt relinquere tormenta* Patauio *decedens cogeretur, quæ reportari impeditis itineribus non possent (ita fiunt breui tempore imbribus cadentibus lutosæ omnes circa oppidum viæ) ad diem sextum* Nonarum Octobrium *sublatis castris* Medoacum *ad vicum* Aggeris *traiecit, pontemq; rescidit: deinde itinere lentißimo* Vicetiã *se contulit, atq; à ciuitate honorificẽtißimè receptus, manere tamen in oppido noluit. At* Alfonsi *copiæ cùm domum versus cum impedimentis iter facerẽt, equites leuißimi* Patauio *emißi impreßione in eos ad castellũ* Bouolentiã, *quod abest* Patauio *passuũ millia duodecim, cædeq; facta, milites ex ijs centũ, equites sexaginta, cẽturionemq; ipsum qui castellum custodiebat, & præfectũ equitum captiuos fecerũt.* Alfonsi *frater vix ægreq; fuga se hostibus eripuit. castelloq; capto, magno frumẽti numero, magno multarũ rerum cõmeatu, tormentisq; triginta cũ iumentis curribusq; sunt potiti: ijsq;* Patauiũ *adductis, frumentum omne, vt esset agrestibus hominibus inopiæ leuamen, ibidem dereliquerũt.* Ioannes Græcus *ab* Iulio *dimiſ-*

ſus vulnere leuiſsimo accepto eam rem confecerat. Hippolytus Montanianum, vt eo in loco reliquum euentum rerum opperiretur, ſe contulit. Diſceſſu in vrbe Maximiliani cognito, ob agreſtiũ in remp. fidem Senatus iuſsit, vt annum totum nemo ex ijs qui deberet, à creditoribus ad ſoluendum cogi poſſet: agreſtesq; in urbe qui erant, triduo reuerti domum iuſsi. Hoſtibus progreſsis animaduerſum eſt eos ſub terra tabernacula habuiſſe, vt tormentorum ex oppido verberationes euitarent: cuniculosq; perplures, vt occultè muro appropinquarent, effeciſſe. Tellus ipſa odore tetro infecta, ſanguinem necemq; redolens, cadaueráque omnibus in locis iacentia horridum ſpectaculũ halitumq; toto ab eo oppidi latere ac regione multos dies præbuerunt. Senatus vbi cognouit templum Cartuſianum, cuius diruendi facultatem legati nõ habuerant, magno vſui Maximiliano fuiſſe, firmæq; ei munitionis & caſtelli inſtar præbuiſſe, arborumq; magnam vim ſæpe hoſtes reip. militibus occultauiſſe, ſæpe à tormentorum ictibus defendiſſe, legem ſciuit, vt à portis mœnibusq; mille & quingentos circa Patauium paſſus quoquouerſus ædificia omnia corũ domini ſolo æquarent, arboresq; cuiuſq; generis ſucciderent, lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam aridam viridemq;, quò vellent, aſportarent: qui id intra dies præſtitutos non feciſſet, illius eiuſmodi fiſco omnia ceſſura: maximè enim voluit, ea vt planities ſpatiumq; ab omni re, quæ vmbrã faceret, eſſetq; ſolida ac reſiſtens, nudum vacuumq; permaneret, ne Patauium vllo cum hoſtium commodo, aut præſidio amplius obſideri poſſet: eaq; poſtea lex ad hoc vſq; tempus ſancta inuiolataq; ſemper fuit. Eodem tempore, quòd hoſtes in Liburnis reip. fines longè lateq;

teq; vastabant, Raspumq; municipium ceperant, rogatio est in Senatu lata, vt Aloisius Delphinus in Foroiuliēsibus legatus cum Epirotis equitibus & manu reliqua eò celeriter contenderet. Interim Angelus Triuisanus ab Illyrico ad Istros classem triremium quindecim, cui præerat, à Senatu iussus contulit: Flumenq; municipium, quod superiore anno captum resp. Maximiliano restituerat, audacissimè aggressus, interfectis repulsisq; propugnatoribus, & scalis ad murum positis, paucarum horarum spacio cepit. milites remigesq; illati cæde facta oppidum diripuerunt: qua in direptione cùm vidissent reip. insignia, quæ in foro posita fuerant, fœdè diruta deletaq; ab oppidanis fuisse, indignatione perciti oppidum incenderunt. Idem de arce, cuius præfectus eodem se die dedidit, animorū ad vlciscendum ardore nequedum sedato, fecerunt. Iisdem diebus cū ad vrbem Hieronymus Saornianus venisset, in Senatu cum reliquis, qui eo munere fungebantur, affuit: nam (vt suprà diximus) senator suffragijs declaratus fuerat. Accidit autē, vt eo ipso tempore cum magistratū à Senatu creari necesse esset, qui magistratus rationes tabulasq; militares conficit, quibus in tabulis nomina eorū qui stipendia reip. faciunt, continentur, exercitibusq; conscribendis, aut omnino recensendis, probat, reijcitq; quos vult: quem Collateralē appellāt Veneti: creaturq; perpetuus: quas ob res magna est is apud exercitum autoritate, magnoq; apud remp. in honore, & nomine. Eum magistratum cùm legere Patres vellent, omnia ferè Senatorum suffragia Saornianum renunciauerunt, hominis honori dignitatiq; fauentium: qui Senatui parens, ad exercitum munere obeundo Patauiū est profectus. At in Tergestinorum finibus noctu ma-

nus hostium quæ prædatum oppido exierat, interfecta est à reip. militibus, & capta: pauci syluarum & noctis auxilio se occultauerunt, cladisq; nuncium oppidanis attulerunt. Cognita interim cùm Maximiliani mora medio inter Vicetiam Veronamq; itinere, tum Hippolyti ad Mõtanianum oppidũ cum suis copijs sessione, legati Lemniaco veriti, quod inter vtrosq; ferè erat, milites quos oportuit eò miserunt, oppidumq; munierunt. Id Hippolytus intelligens linguam non continuit, questusq; est, graui addito ad querelam maledicto, eius rei, quam se breui posse consequi confidebat, euentum sibi è manibus ereptũ fuisse. ea hominis in remp. maledicentia Senatus cognita, Alfonsiq; studium obsidendo Patauio adhibitum repetens, ad illam cogitationem redijt, vt vtriusq; plena odij facta atq; consilia, quamprimum vindicanda omnibus sibi esse modis statueret: itaque literæ secretò ad Angelum præfectum classis datæ, Fossam Clodiam classem celeriter adduceret: atq; vti nauigia minora Pado flumine subuehenda in naualibus confestim ædificarentur, præfectis eorum imperatum, ad simulationem Tergestinis obsidendis: vtq; is sermo in vulgus efferretur, ne cognito reip. consilio suos fines Alfonsus præmuniret, Patres curauerunt. tametsi Angelus propterea quòd ad Raspam recuperandum Delphinus legatus & Franciscus Pascalicus equitum Epirotarum præfectus cum suorum manu & classiarijs eo se tempore conferebant, quod quidem paulò pòst primo impetu ceperũt, tardior ad eam rem fuit. Maximilianus missis ad Gasparem Seuerinatem, quem Vicetiæ oppidi præsidio reliquerat, militibus Germanis tribus millibus, Veronã adijt, pauloq; pòst cum paucis equitibus se Tridentum contulit: ad

quem

quem vxor eius eòdem venerat. De ea re Senatus *per exploratores certior factus, simul reip. amicorum literis admonitus*, Vicetinos ob Maximiliani *præfectorum quotidianas direptiones, quas quidem propterea, quòd nulla eis ab rege stipendia persoluebãtur, in oppidanos exercebãt, ita esse animatos, vt si ad eos exercitus reip. mittatur, fore vt eum in oppidum recipiant: pluribus biduo dictis sententijs, vti legati ad* Vicetiã *recuperandam omni cum exercitu proficiscerentur, tandem censuit. quodq; ad eas res quæ parabantur, magno auri pondere resp. indigebat, legẽ sciuit, quam postea maiora comitia probauerunt, vti magistratus omnes sine vlla stipe reiq; pub. impẽsa sex à* Calẽd. Nouembris *menses obirentur: nam tributa quidem exigi amplius propè non poterant, excussa prorsus iam tot in ærarium collationibus, tot priuatim dispendijs ciuitate: constabat enim subductis rationibus vndecies millies in id bellum auri libras remp. insumpsisse: multumq; per sese ciuium plurimos, obsidione* Patauina *sustinenda, multũ suorum fructuum direptionibus, & propinquorum, quos captiuos hostes fecerant, redemptionibus amisisse.* Imperator *legatiq;* Senatus *voluntate intellecta, recenso exercitu, qui erat præter equites, militum octo millium,* Citolo, *qui ex vulnere nondum conualuerat, &* Lucio *&* Ioanne Græco *oppidi præsidio relictis,* Patauio *exierunt, atq; ad* Camisanum *vicum in* Vicetinis *finibus castra posuerunt: cum quibus* Tauriso *profectus* Petrus Marcellus *legatus, milites mille, equites* Epirotas *centum quinquaginta, copiasq; alias coniunxerat. postero die omnes ad eam oppidi portam, qua* Patauiũ *aditur, se ostenderunt: & quòd murus eo ab latere vetustate dirutus propè intermittebat, fossæ a-*

qua quæ pluuijs creuerat, magna difficultate superata, paucis Germanis defendentibus, Naldius cum suis militibus se in prooppidũ inicecit: Gasparemq; Seuerinatem, qui vt Venetos repelleret, cum turma equitum eò properauerat, prælio commisso, disiectis primo impetu quamplurimis militibus, interfectis perpaucis, tandem in oppidum repulit: Naldijq; peregregia ea in re virtus fuit. alio ab latere Lactantius muro tormentis perforato, atq; immißis per foramina militibus, magnum timorem Germanis propugnantibus inieceratt: quæ quidem prælia nox diremit: et nisi diem totum ingentes pluuiæ vias omnes fœdauissent, fossas oppleuissent, difficilioremq; militibus pugnandi rationem, & murum verberandi tormentarijs effecissent, vrbs eo die capi facilè poterat. Naldius tamen & Lactantius cum suis cohortibus, ab ijs vbi pugnauerant locis eam noctẽ non discesserunt, portasq; oppidi atq; fossas obsiderunt. Erat vnus intus ciuis Guidus nomine, qui, dum ea sic agerentur, magno reip. amore incensus, tribus cum liberis aliquotq; amicis suis prooppidi portam, quæ Berga appellatur, cepit: missoq; ad Venetos, qui rem significaret, polliceretur q; eis se portam illam traditurum, armatus vt eos exciperet expectabat. Legati equites Epirotas quinquaginta eò miserunt, qui rem cognoscerent, ad seq; reuerterentur. Guidus è summa turri visis equitibus, magna voce appellare eos cœpit, valuasq; aperuit: illi se intromiserũt, paulumq; progreßi milites Germanos offenderunt, qui facto in eos impetu, extra oppidum, quà venerant, vniuersos repulerunt: portaq; capta, cùm Guidus reliquiq; de superiore loco se defenderent, neq; Germani expugnare illos possent, dato ab eis iureiurando nihil sibi nocituros

Germanos, ſeſe eis dediderunt, ſtatimq́; omnes ad vnum contra fidei religionem partim ab illis interfecti ſunt, partim ſe è turri præcipitauerunt, atq; ita interierunt. Ea nocte à Germanis cōcilio ciuitatis coacto, cùm illi nihil præſidij ab animi fortitudine peterent, timore autem propè omnia trepidationeq́; adminiſtrarentur, eorum voluntate legati tres è ciuitate ad imperatorem & legatos miſsi, oppidum ſe reipub. tradituros pacti ſunt, ea conditione interpoſita, vt quibus antea legibus ſub reip. imperio Vicetini fuiſſent, eiſdem etiam deinceps vterentur: Maximilianiq́; militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur, liberumq́; illis eſſet ſuis cum rebus proficiſci. His firmatis conditionibus Hieronymus Saornianus præfectiq́; aliquot cum parte exercitus temperatiore manè in oppidum recepti ſunt: reliquus exercitus eſt ingredi prohibitus, ne vrbem nobilem opulentamq́; diriperet. Hoſtes eodē die Germani milites quatuor mille quadringenti, optimè armis inſtructi, ipſi & ætate & corporibus ſpectari maximè & timeri digni, & niſi animus eorum ducibus defuiſſet, ad eam vrbē tuendam præclarè idonei: equitesq́; LX. cum tormentis & impedimentis, & magno fœminarū & calonum numero abierunt, Gaſparq́; Seuerinas cum equitibus paucis: atq; ij cū Veronam petere vellent, Baſsianum iter facere ſunt iuſsi. Poſtremi equites Iuliani CXX. qui vnà cū reliquis imperata Maximiliani faciebant, oppido egreſsi Ferrariam profecti ſunt. quibus emiſsis omnibus, imperator & legati ſe in oppidū intulerunt: quos ciuitas incredibili lætitia excepit, vt propè ab interitu erepti eſſe omnes viderentur. Senatus ijs de rebus certior factus, cùm legati ad eum ſcripſiſſent, imperatori eſſe in animo ad

Montanianum reliquaq; eo ab latere municipia, quæ ab hostibus tenebantur, exercitum ducere: eo consilio improbato literas ad eos dedit, victoriæ ipsorum ad magnas res conficiendas cursum leuioribus ijs occupationibus non esse interpellandum: nec fortunæ reipublicæ afflāti, & præstò ei esse properanti, moram afferri oportere: itaq; ad Veronam recipiendā statim contenderent: fore enim, si eò celeriter se conferrent, vt hostes imparati offendantur, ciuitasq́; & amico per se in rempub. animo, & hostium durissimis imperijs lacessita, oppido non cōmunito, primo aggressu sese dedat, vti Vicetina fecerit. Atq; vt exemplo eius reliquæ ciuitates optimam de rep. spem caperent, Vicetiæ atq; agri eius finiumq́; incolis quinq; annos omnium rerum atq; onerum leuatio est permissa: vtq́; ij, qui debēt, annum ad soluendum cogi nequeant, ei legi additum. Aloisio etiā Porto, è Vicetina nobilitate fortis ac præstantis animi adolescēti, ob eius in remp. studiū, ad equos leuis armaturæ, quos ei Senatus antea dederat, alteri totidem sunt ab eodem Senatu additi. etiam vt legati edictū proponerent: si ciues, qui in hostium partibus fuissent, intra dies XV. Vicetiam redierint, veniam illis à Senatu datum iri, præter paucos, quorum nomina recitata sunt, Patres sanxerunt; Christophoroq́; Mauro legato, ne Vicetia, reliquis tribus, ne ab exercitu discederent, mandauerunt. Interim Angelus præfectus classis, qui fossam Clodiam triremes duodecim adduxerat tribus in Istria relictis, Senatus permissu ad vrbem venit, Patresq́; monuit, Pado flumine classem subuehi sine magno periculo non posse, munitionibus in ripa, vt ferebatur, ab Alfonso institutis, aqua propter siccitates exigua, nullo exercitu, qui à terra classi præsidio sit: præ-

stare

stare autem, eas omnes quas haberent copias Veronam magna cum rei bene gerendæ spe ac tutò mitti, quàm incerto euentu earum vllam partem in Ferrariæ finibus periclitari: esse Pisaurum, esse Anconam, quæ ipse oppida, si Senatus velit, posse capere non diffidat: habere enim se ab eorum nonnullis ciuibus internuncios, qui totum munus ciuitates concitandi, reiq; pub. se dedendi sibi deposcant, modò ipse classem reip. ad illa oppida ex inopinato afferat. esse Fanum, Senogalliamq;, quas diripere atq; incendere nullum negocium sit. quòd si à Romanæ reip. municipijs abstinendum sibi esse Patres statuant, posse se in Apuliam paucis horis ex Illyrico traijcere, ibi materiam sibi nō defore, neq; etiam fortunam Dijs volentibus defuturam, reip. iniurias à Ferdinando rege illatas vlciscendi. Hoc sermone apud Decemuirûm magistros habito, Angelus ad classem redijt. Decẽuiri paulò pòst reliquis repudiatis rebus, classis in Alfonsi fines profectionẽ deferri è rep. esse, legẽ iussere rũt. Alia deinde lex ab eisdem Decemuiris iussa, vt eorum Taurisanorũ & Patauinorum & Vicetinorum ciuiũ, qui hostes reip. fuissent, bonorũ possessiones reip. nomine caperentur: Duumuiriq; ad eam rem Ioannes Cornelius, Antonius Condulmerius, qui ambo ex Quinqueuiris Senatu regendo erant, lecti, quibus binæ centesimæ ex ijs, quæ fisco addixissent, cederent. Classis itineri mora à Decemuiris adhibita senatoribus sermonem dedit, querentibus, tot Alfonsi contra remp. plena odij scelerumq; facta nō vindicari: frustrà triremes classemq; ex Istris euocatã, frustrà classem alteram biremium & paruorum nauigiorum ad Padum Athesimq; flumina facilius enauiganda iam esse cōparatam: tantũ pecuniæ temerè impensum, si Decẽuiri pro-

fectionem impediant. quibus illi vocibus permoti rem Senatui permiserunt: Senatus pluribus dictis sententijs literas ad magistratus Patauinos dedit, Fossam Clodiam ad præfectum classis milites quingentos statim mitterent. Angeloq; mãdauit, vt ijs in naues receptis militibus ostio Carbonaria Padum ingrederetur, prædas abigeret, regiones quas posset ab vtraque ripa popularetur. postreoq; die in foro edictum publicè propositum, qui vellent ad diripiendos Ferrarienses suis priuatim nauibus cymbisq; proficisci, per rempublicã licere, dum præfecto classis dicto audientes sint: quam quisq; prædam faceret, suã fore. Ea re magnus plebis numerus suis in nauigiolis se ad classem cõtulit. Dum hæc administrãtur, imperator legatiq; Veronam cum exercitu vadentes, Suauium municipium in plano ad primam Alpium decliuitatem ita positum, vt arx in iugo sit, præmisso equitatu & Gradenico legato receperunt, interfectis hostium militibus non paucis, qui à Maximiliani præfectis Verona, vt in arcem se inferrent, mittebãtur: cumq; Veronæ appropinquarent, equitatum præmiserũt, vt ad portas se ostenderet, si quis in oppido tumultus per amicos reip. fieret. Iis ad portas perequitãtibus, nemine se commouente, equites Sequani centum egressi, prælio leuissimo commisso se in oppidum receperunt: ex quibus captus vnus legatis renunciauit, esse in oppido militum tria millia, atq; ex ijs Hispanos plurimos, equitum alteros totidem, ex quibus erant Galli quingenti, quos amissa Vicetia præfecti regij Brixia euocauerãt. Quibus rebus cognitis, imperator veritus ne si eius copiæ oppido circumfunderẽtur, aliquod incõmodum acciperet, substitit, neq; ausus est vlterius progredi. quod quidem imperatoris consilium ab

Gritto

Gritto & Marcello legatis, atq; ab Lucio, qui ad eos Patauio venerat, probabatur: tametsi Gradenicus legatus & Naldius audendum & conandum esse dicerent, oppidúmque obsideri, & muros verberari oportere cōtenderent. Inter quos cùm minus conuenire potuisset, scriptis ab legatis ad Senatum de ea controuersia literis, quid ab eo iuberentur, expectare constituerunt. Senatus legatis respondit, imperatori se totā rem permittere: confidere sese, quòd è rep. sit, illum facturum. Atq; interim, quoniam ab Lemniaco milites equitesq; reip. cum agrestium manu ab ea regione quæ trans Athesim est, ad Veronæ muros iussu imperatoris se conferebant, ipse quoq; suo ab latere partem exercitus ad oppidū misit, vt hostes duobus à lateribus petise intelligerēt, ciuitasq; ea re magis magisq; permoueretur. acciditq; vt vtrique sæpius cum hostibus congressi, non paucos ex ijs caperent, plures etiam interficerent: præliisq; secundissimis se reciperent: neque tamen is, qui futurus putabatur, oppidanorum motus fuit: neque ciuitas parte ab vlla deditionis vocem aut indicium protulit. Eas ob res relicto ad Suauium præsidio, Epirotis adiectis equitibus qui quotidie ad Veronæ portas currerent, & pabuli cuius magnopere hostes indigebāt, copiam eis fieri prohiberēt, imperator ad Montanianum recipiendū cum reliquo exercitu profectus, qui oppidum reip. nomine peterent, manè aduenieēs præmisit. Præfectus Alfonso tueri se illud velle cùm respondisset, tormentis statim positis muri partem Veneti celeriter deiecerūt: qua re oppidani permoti deditionē facere volentes, modò ipsi milites q; suis cū rebus tuti ab exercitu essent, recepti non sunt: itaque postridie direptionem atq; interitum veriti, sese nulla cōditione

interposita dediderunt. Erant in oppido Alfonsi milites equitesq; septingēti, qui omnes armis, equis exuti sunt. Augustinus Villa praefectus in custodia habitus, vt cum eo Federici Vendramini, qui propinquus legato Gritto erat, atque in municipio eorum finium Abatia, cui praeerat, paulò antea captus Ferrariae custodiebatur, permutatio fieret. Postero die Atestini ad rempublicā redierunt. quos Rodigienses cum plerisq; earum regionum municipijs imitati, idem fecerunt. Monsilice dein, missis eò Patauinis è vicinitatibus agrestium hominum aliquot millibus, qui paruo equitum militumq; interiecto numero magni exercitus speciem praebuerunt, atq; oppidanis, qui illos in acie adeuntes de superiore loco prospectabāt, ea re perterritis, se reipublicae dedidit. In Alpium quoque iugis Marosticani, finitimiq; his in plano positi Bassianenses, Germanis eiectis militibus, tum maximè campestres Citadellani, missis ad praefectos Patauinos internuncijs, rei se pub. lubentissimi dediderunt. Eorū finium pagis octo, propterea quòd praestanti studio in rempub. fuissent, eadem munerum leuatio, quam Senatus Vicetinis dederat, atq; securitas tradita. Laxior etiam custodiae cōditio Leonardo Trissino, Brunoro, Saregio, reliquisq; Maximiliani praefectis, in vrbe captiui qui erant, ob regias literas ad Senatum scriptas est à Decemuiris permissa. Angelus interim classis praefectus, subuectis Pado nauibus, vtranque fluminus ripam proximáque ripis loca populabatur. praedae vndique abigebantur: quae asportari minus poterant, corrumpebantur. aedificia villaeq;, quarum magna erat & peregregia illis in finibus copia, quoquouersus incendebantur. quod vbi Senatui est allatum, literas ad Angelum dedit, aedificia incendi non opor-

oportere: quas vellet, atque vnde vellet, prædas ageret: à villis atq; tectis comburendis abstineret. Ingens autem vastitas iam illata, eas literas inutiliores reddidit. In vrbe Patauinis ciuibus, qui erãt in custodia, quatuor, Alberto Trapolino, Bertucio Bagarotio, Iacobo Leoni, Ludouico Comiti, propterea quòd in sexdecemuirûm collegium à sua ciuitate adlecti, nullo vnquam lacessiti maleficio, nulla iniuria pellecti, hostiliter se in remp. gesserant, Calendis est Decembribus in foro Decemuirum lege laqueo gula fracta, & bona fisco addicta. quæ quidem res, quòd ferè semper in vrbiũ & regnorum conuersionibus fieri consueuit, vt pleriq; in nouorum dominorum gratiam se prioribus dominis aduersarios præbeant, à multis habita est aliquanto acerbior, & ab huiusmodi temporibus aliena: nanque multi eius supplicij exemplo fortasse perterriti, ad reipub. nomen, atq; ad deditionem effecti sunt duriores. Ioannes Franciscus Mussatius item Patauinus eadem lege Decemuirûm condemnatus est, vt in Creta insula, quoad viueret, exularet: qui tamen quadriennio pòst ab exilio reuocatus est, patriæq; redditus. Angelus cùm ad eum vicũ qui abest Ferraria quinq; millia passuum, ad quem naues, quæ à vadis Venetis veniunt, appelluntur, superato flumine classem adduxisset, hostes magna cum manu obuiam progressi duas ab aggeribus triremes, quarum erat vna, qua ipse vehebatur, tormentis perforauerunt, remigésque aliquot interfecerunt: qua necessitate adductus præfectus, quòd hostibus noceri propè non poterat (nam ripæ agger ad fluminis incrementa antiquitus institutus eos tuebatur, ne vulnerari è nauibus sagittarum aut fistularum & tormentorum iactu possent) ad vicum Polesellam in ea Padi ri-

pa situm, quæ Rodigium spectat, rediens, munitionem in altera fluminis ripa celeriter, excitauit, qua hostes, si aduẽtarent, repellerentur, neu classi nocerent. Vix effecta munitione, hostes, vt eam caperent, se non semel circumfuderũt. Postremò eam firmioribus copijs adorti, cùm propè in aggere munitionis versarentur, Hercules Cantelmius, Sigismondi Neapolitani claro loco nati filius, magnæ spei adolescens, cùm se audacißimè in propugnantes incitauisset, equi lapsu humi fusus à remigib. interfectus est. cuius in loculis amicæ manu scriptæ sunt repertæ literæ, quibus illa multis precib. ab adolescente petebat, ne cum Venetis prælio contenderet. Eoq; die Gradenicus legatus ab exercitu cum equitibus & militibus octingentis, Senatus iussu classi auxilio ad alteram fluminis se ripam contulit. Ciuidale interim Carnicum in Alpibus, Feltriæq; arx, dein Scala municipium natura & artificio communitum, itineri, quo Germania magnopere aditur, adiacens, à reipublicæ copijs est capta. Erant in eius arce milites Germani octoginta (neq; enim ferè plures capere locus exiguus poterat) qui se fortißimè defendebant: in quos cùm à reip. militibus tormenta exercerentur, pilæ, quas emitterent, ipsos deficerunt: eamq; ob rem differri oppugnationem necessitas cogebat: atq; vnus ex agrestibus, qui aderant, desiderari pilas sentiens, ad præfectos accurrens, ego vobis, inquit, opportunè pilas dabo: ad proximumq; ei loco tumulum eos duxit, quo à tumulo pilæ ferreæ triginta tegebantur, quas hostes abscondiderãt. Haud facile dictu est, quantum in bello fortuna posit. nã vt casus tulit, vt is agrestis, qui sciret eas ibi pilas esse, illo temporis pũcto eodem venerit, quæq; dicerentur, audierit: ita casu magno factũ est, vt pilæ hostiũ

tormentis

tormẽtis reipublicæ ita conuenirent, vt ad id confictæ viderentur: infartæq; ijs & eiaculatæ perfecerint, vt arx eo die caperetur cum Germanorum omnium interitu, præter eorum præfectum, qui ad vrbem viuus est perductus: quam quidem paulò pòst Senatus arcem magnis munitionibus tutiorem reddidit. Atq; est eodem in itinere ter mille passus ante Scalam mons saxeus præcelsus maximeq; directus, ad perpendiculum viæ imminens, in cuius superiore parte ipso in saxo specus cum perennis aquæ fonte natura factum homines concinnauerunt, arcemq; paruam ex eo effecerunt. Ea omnino arx adiri pedibus non potest: fune autem demisso cum lignea sedecula, singuli homines rota desuper vertente attolluntur: ac quicquid aliarum rerum inferendum est, eodem vno subleuatur, atq; in arcem importatur modo. Ei arci inter montem flumenq;, quod arctam atq; angustam vallem dirimit, subest ea, de qua dixi perexigua sanè via, qua commeare ijs, qui in arce sunt, inuitis licet nulli, propterea quòd saxis modò ab ea deuolutis quoslibet obrui atq; interfici nullum negocium est. Ea quoq; arx, quam Couolum appellant, eorũ deditione qui illam custodiebãt, ad remp. rediijt. In Istris etiam præda celebris ab Epirotis est equitibus & cædes hostiũ facta. Germanis autem, qui vrbem incolebant, à Senatu petentibus, vt quoniam Maximilianus permiserat, vt qui vellent ex eius ditione vrbem adire mercaturæ causa, eis liceret, Patres item cõcederent, eos tutò venire posse, fides est ei reipublicæ interposita, itineraq; quæ toto bello clausa fuerãt patefieri cœpta sunt cupidissimis omnibus. Marcus Antonius Contarenus cognomine Camalis, quem Senatus paruis nauigiolis præfecerat, Patrũ iussu ab Angeli classe

profectus, Cymaclium inter duo Padi ostia Vatrenum & Caprariam, oppidum magnopere piscatorium, diripuit, ædificiaq; plurima incendit: quæ Alfonso non parua clades fuit, quòd ex eius oppidi septis calamo reticulato uadis, triginta millia in circuitu passuum eo ipso ferè tempore ingens vis piscium biduo triduóue maximè pluuio capta, & sale iniecto reposita, magnis redimi precijs portorijsq; consueuit. Angelus *cùm nauibus triremibus ad latitudinē fluminis dispositis pontē iniecisset, quo* Gradenici *equites transportarētur ad incursiones exercēdas, hostesq; qui munitionem copijs omnibus aggressi sæpe fuerant, sustinendos: postea, ne triremes impedirentur, quo minus ad gerendū bellum præstò essent, eundē minorib. in nauibus pontem imposuit, traiectoq; leuissimo equitatu, omnem illam oram fuga terroreq; impleuit, quoad hostes missis ab* Iulio *Ferrariam equitibus* Ludouico Pio *præfecto, quem* Verona *euocauerat, atq; ab* Aloisij *regis ministris,* Brixia *item equitibus & militib. quamplurimis, exercitum duodecim millium armatorū confecerunt.* Ac Ludouicus *quidem vnà cum* Hippolyto *ad classem ripamq; fluminis audacissimè se inferens interfectus est, capite media cum galea pila ferrea casu in eū cadente perfracto.* Deinde, *quòd hostes in munitione capienda frustrabantur,* Alfonsus *infra eum locum duo millia passuum munitionem & ipse in ripa facere instituit, qua in reditu impedire classem posset, tormentisq; deprimere.* Quod *vbi* Senatui *est allatum, literas ad* Angelū *dedit: si ei videretur, classem reduceret, ne confecta hostium munitione periclitaretur: id vnum in primis curaret, vt classem, quam à ciuitate accepisset, saluam sospitemq; reip. restitueret.* Ad *quas ille literas ita rescripsit:*

scripsit: Si classem reduxisset, fore vt omnem illam oram, quæ cis Padum est, hostium exercitui diripiendã relinque ret: itaq; id se tum facturum, cùm illa munita esse loca cognouisset. Eodemq; tempore, quòd ad Patres venerat Bulsardus Germanus, qui ad vrbem ventitare consueuerat, ad speciem, vt eis se offerret ad pacem inter regẽ remq; pub. tractandam: re, à Maximiliano eius rei cupidissimo clàm missus: Decemuiri legatos duos creauerunt, qui cum Bulsardo ad regem statim proficiscerentur, Ioannem Cornelium Quinqueuirum Senatu regendo, Aloisium Mocenicum, qui Feltriæ atq; in Alpibus legatus tunc erat. Egerãt autem cum rege ciuitates Germaniæ liberæ, vt pacem cũ repub. faceret: quarum quidem ferè omnium municipes non pauci in vrbe mercaturam exercere consueuerant, ægreq; ea re carebant. Paulus quoq; Lictestenius, cuius erat multò maxima apud regem autoritas, vti antea demonstrauimus, pacis ei autor semper fuerat. Vxor insuper regia idem cupere maximopere videbatur. Præter hæc Henricus Britanniæ rex ab Iulio & Aloisio & Maximiliano per literas diligentissimè scriptas petierat, ne cum Veneta ciuitate bellum exercerent: quæ si nusquam existeret, construi tamen omnibus ab hominibus ad publicam orbis terrarum vtilitatem atq; ornamentum profectò debuisset. Idem quoque multò etiam accuratius legatus regis, Romæ qui erat, ad Iulium detulerat. Quibus rebus cognitis spes Senatum tenuit, breui fore, vt sibi cum Maximiliano conueniret. Atq; illis quidem diebus Baldassari Scipioni Senensi, qui Liuiano propter virtutẽ maximè charus fuerat, equitum grauis armaturæ L. præfectura est à Senatu tradita. Bonifacioq; Sonzinio, qui se amanter pro rep. Patauinõ

interſcinderet, ne Rodigium poſſent accedere, ipſe ſe in tu tum cum iis quas haberet copiis reciperet: tum ad legatos Grittum & Marcellum, qui erāt in exercitu ad municipium Leonicenorū, vt aliquid copiarū auxilio ad Gradenicum mitterent, quo ſe facilius fineſq; illos ab hoſtibus victoribus tueri poſſet. Scripſere etiam ad Foſſæ Clodiæ magiſtratum, cimbas iuberet Padum ingredi, quæ fugientes reciperēt, etſi qui ſe in ſyluas aut paludes abdidiſſent, perquiſitos repertoſq; ſubleuarent. Datæ inſuper ad Ioannē Maurum literæ, qui in Iſtris cum triremibus, quas appellant nothas, tribus, legitimis duabus relictus fuerat, vt ad Padi oſtia contenderet, cumq; Marco Antonio Cōtareno, qui triremem ſuam nauigiolaq; non pauca incolumia conſeruarat, ſe coniungeret. Senatu poſtea eodem die coacto, ad claſſem reintegrandam multoq; ampliorem inſtituendam, latum, vt in Creta triremes octo, Corcyræ duæ, in Dalmatis ſex, in vrbe quatuordecim confeſtim armarētur, atq; ex his duarum remiges poſtridie, aliarum duarū perendie conſcriberentur. Angelus inter hæc ad vrbē redijt, clademq; illam non tam verè ac exploratè, quàm vt ipſi minus dedecoris afferebat, Patribus expoſuit: quem tamen eius ſermonem pleriq; ex earum, quæ perierant, triremium præfectis ad vrbem & ipſi redeuntes audacter refellerunt, probraq; omnia in illum iaci cœpta: nihil in eo conſilij, nihil prudentiæ, nihil omnino prouidentiæ: crudelitatis, auaritiæ, arrogantiæ plurimum ſemper fuiſſe: triremes ponte implicari minimè omnium debuiſſe: ſi paulùm ſupra eum, in quo erat, locum ripæ aggerem deieciſſet, flumen ipſum, quod tam altè creuerat, ſuamet illuuione & munitionem & claſſem tutam ab hoſtibus puncto tem-

poris redditurum, regionemq; illam pulcherrimam & fertilißimam longè lateq; vastaturum & fœdaturum fuisse. quæ nam autem aptior atq; facilior reip. morem gerendi occasio dari ei à fortuna potuisset, quàm quod est illi ea fluminis tam vasti magnitudine exuperantiaq; subministratũ? ita illũ, quæ è rep. nõ erant, effecisse: quæ vsui & dignitati magnopere fuissent, quæ securitatem classi attulissent, quæ hostium cogitationes & conatus omnes frustrauißẽt, prætermisisse: vnum modò magna semper diligẽtia curauisse, vt cymbas præda onustas singulis diebus domum mitteret. His cùm vocibus penè omnium, *qui in ea classe fuerant, & cladi superfuerant,* Angelus *palàm accusaretur,* Senatus *frequens rogationem iußit, vti de ea re* Triumuiri *ex aduocatis reip. quærerẽt: quod reperissent, intra dies* XV. *ad* Senatum *referrent, atq; is ea pœna, quam* Senatus *probauisset, plecteretur. atq; vt proximis comitijs præfectus classis eius loco legeretur, etiam perlatum: lectusq; est* Antonius Tronus *templi* Marcij *procurator: quo præfecturam respuente, quòd non esset rebus maritimis assuetus, comitia* Petrum Balbum Patauij *magistratum sublegerunt. qui quidem* Balbus *antequam* Patauio *decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina vtebatur, ipsamq; filiam, scelere per indicium delato, comprehendi iußit, fissosq; securi ambos percußit, igne patris cadaueri etiam supposito.* Ad hæc, *vt aliquando* Iulij *iracundiæ finis fieret,* Senatus *sæpe consultus, sæpe amplius consuli iussus, tandem censuit, vt legati reip.* Romæ *qui erant, tabulis ab* Iulio *traditis, quibus indignißimæ conditiones reip. imponebãtur, scribẽdo adessent, vt iuri scilicet, quod in sinu* Adriatico *antiquitus respub. obtinuerat, ab omnibus,*

bus, qui eo mari nauigent, exigendi, pro eorum tantum nauigijs, qui Romani pontificis imperio subessent, & eo mari nauigarent, quodq́; in Ferrariæ dominatu, quam aliquãdo in suam potestatem redegisset, permultos annos habuerat, quodq́; vllo vnquam tempore in Flaminiæ oppidis eis fuisset, reip. nomine cederent: eamq́; contra rem Romanam fecisse faterentur, veniamq́; suppliciter peterent. Ea res quòd vi fiebat, Senatui nulla liberè decernendi potestate relicta, tot regibus hostibus, tot reip. oppidis bello captis, retentis ab Iulio in vrbe sex legatis summa dignitate & nobilitate ciuibus, tũ illis qui è Flaminia in vinculis ad illum sunt perducti, ipsius interdicto, cui tamen iampridẽ paruerant satisq́; fecerant, etiam nunc vrgente, minus molesta Patribus fuit, minusq́; ei rei, ne fieret, obstiterũt: illud animis atq; sermonibus diu multumq́; repetẽtibus, vi atq; iniuria coactis ab hominib. quod fit, pro infecto haberi cõsueuisse: itaq; & naturæ, & gentium & ciuili iure & legibus omnium populorum esse constitutum. Vnum autem sese consequi, vt Iulius inimicum in remp. animum deponeret, neq; amplius eius hostibus auxilio vellet esse (quod quidem se facturũ pollicebatur) magno sibi adiumento ad reliquum bellum conficiendum fore arbitrabantur. Atq; his rebus agitatis annus finem habuit.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. X.

VEnetorum cum Cæsarianis ad Aquæ Martinianæ pontem pugna. Hatrianis petentibus, magistratus & naues quibus se tuerētur à Senatu concessæ. Pannoniæ regi pro pensionibus quomodo satisfactū. Variæ Cæsarianorum Verona eruptiões. Nicolai Vrsini obitus. Captiuorum cum Gallis permutatio. Varij belli inter Alphonsum & Venetos, & itē inter Venetos ac Cæsarianos circa Veronam euētus. Iulius Legatos Venetos ad se admittit, & interdictum abrogat. Legati ad pacem cum Maximiliano conficiendam missi re infecta reuertuntur. Leges ad pecuniam colligendā latæ. Veronæ oppugnatio frustrà tentata. Lex quæ sacerdotum propinquos in pontificijs causis senatu excludebat antiquata. Iulij consiliorum ambiguitas. Senatus de imperatore eligendo consilia. Gallorum in reip. fines irruptio. Noua Germanorum domus exædificata. Vicetia cum plerisq; alijs oppidis à Gallis capitur. Gallorum in eos qui se in concamerationem contulerant immanitas. Cæsarianorum in Carnos irruptiones. Lemniacum à Gallis capitur. Rotomagensis Cardinalis obitus. Iulij & Venetorū cum Heluetijs fœdus. Variæ Germanorum, Venetorum & Gallorum excursiones, leuioraq; prælia. Phariorum seditio sedata. Classis Iulio cōtra Genuēses missa. Laurentio Ceriti arma ex comitij armamentario data. Cypri reginæ obitus. Gallici exercitus in Venetos progressus. Ferdinandus Hispaniæ rex equum album tributi nomine, ad Iulium mittit. Franciscus Mantuanorum dux à Venetis dimittitur. Monsilice à Gallis capitur. Ioannis Sfortiæ obitus. Iulij cum Alphonso belli initium. Lucius Bononiēsis reip. exercitus imperator declaratur. Sexuiri sa-

ri sale procurando ad quatuor redacti. Iulij in Genuēses conatus irriti,& clasis Centumcellas reditus. Pannoniæ rex Venetis bellum indicit,nec tamen infert. Iulij in Alphonsum edictum, eiusdemq; in Galliæ regem maledicta. Venetorum de Brixia capienda consilia. Veneti & Pont. iterum classem Genuam mittunt. Mutina à Pont. capitur. Heluetiorum in Gallici regni fines irruptio. Lex de magistratibus qui remp. in Senatu procurent lata.

ANNO *insequente inito hostes Verona egreßi, vt in pagos plerosq;, qui exercitum reip. receperant, rebusq; omnibus iuuerant, iracundiam exercerent suam, atq; inde pabuli copiam aliquam in oppidum importarent, cùm quinque millia paßuum proceßissent, ad aquæ Martinianæ pōtem subsliterūt, vt nostris, qui re per exploratores cognita ad illos repellendos contendebant, fluminis transitum impedirent.* Erat autem præmissus ad eam rem ab Imperatore legatisq; Leonardus Apulus cū expeditis militibus & equitibus quamplurimis: is vbi pugna ante pontē magno animo cōmissa tamen traijcere hostibus, vt se priores in ponte constipauerant, angustias defendentibus se non posse vidit, equites Epirotas triginta ad superiorem fluminis partem longo circuitu, ne ab hostibus conspicerentur, cū reliquis mandatis misit. Illi itinere celeriter confecto, repertis in primo colle vadis flumen transierunt: eodemq; & circuitu & celeritate vsi, magno clamore sublato, repētè in hostes à tergo impetum fecerunt: qui noua re perturbati, cùm reliquum adesse exercitum crederent, & prælio ancipiti sibi esse decertandum existimarent, atq; ij, qui à fronte nostros sustinebant, sibi veriti sæpe respicerent, pu-

gnamq; interim remitterent, nostri ardentius instarent, relicto ponte omnes se in fugam coniecerũt. Ea in fuga perplures interfecti sunt: capti equites cataphracti L. ex leuioribus circiter ducenti, præfectiq; clari nominis sex, ad vrbemq; missi, & signa quatuor relata. Saornianus post hæc ad vrbem rediit, magistratuq; repudiato aliis in rebus maiori se reip. fore vsui est pollicitus. Erat tum in vrbe Philippus Vladislai regis Pannoniæ legatus, qui à rep. superiorum pensionum reliqua sibi dari postulabat. Ei Senatus, quòd pecunia propter quotidianos belli sumptus depẽdi minus posset, excusatione interposita, gemmas, purpuram, telasq; cæteras sericas laneasq; pro summa librarum auri trecentarum dari iussit: pauloq; pòst eodem legato petente, ad reliquas res quadraginta sunt auri libræ numeratò additæ: ipsi libræ quatuor dono curatæ. Ad Henricũ etiã Britanniæ regem adolescentem Senatus legatum creauit Franciscum Capellum, honoris illius & beneuolentiæ institutæ causa. Hatriani, quod est oppidum inter Padi ostia, prædæ nomine ab Angelo præfecto classis sub reip. imperium redacti, cùm ab Alfonso vt ad se redirent sollicitarentur, legatos ad vrbem miserunt, velle se ab rep. non recedere: itaq; & qui sibi ius diceret reip. nomine, & armatas naues, quibus se defendere ab Alfonsi cõtumeliis possent, suppliciter petere. Quamobrem Senatusconsultũ factum est, Hatrianos defendi oportere, Senatui videri: igitur & prætor eis datus Leonardus Bembus, & naues armatæ decem ad eos missæ: quibus præsidiis postea vsi, in fide atq; officio permanserunt: tametsi Alfonsus antequam auxilia conuenirent, illos, pagosq; aliquot demissiores in Padi ripa Venetisq; finib. malè habuerit. At hostes iterũ Verona

rona egressi, multosq; vicos depopulati, interfectis propè incolis omnib. partẽ suorum, quos nostri obuiã progressi aut occiderant, aut captiuos fecerant, amiserunt. Tertiò autem ob pabuli inopiam idẽ ausi, multò maiore accepta clade, Alexio tamen Bua turmæ Epirotarum præfecto, ob equi laßitudinem ab ipsis capto, se in oppidum receperũt. quibus in rebus omnibus imperatoris maximè studium vigilantiaq; extitit: itaq; febricula tẽtatus accersitis Patauio medicis, tamen conualescere non potuit: crescẽteq; vi morbi cùm se breui moriturum cognosceret, adhibitis legatis exercitum Lucio Bononiensi commendauit, atq; ipsum & præfectos reliquos grauißimis amantißimisq; verbis monuit, vt suam fidem & beneuolentiam reip. præstarent: quæ si perierit, virtus omnis Italorum animorum, resq; ipsa militaris, quam adhuc quidem ipsi vni sustinuissent, vnà cum illa perierit. Quis enim, inquit, vos alet, prouehet, ad exercitus regendos vocabit, hac terrarum parte in regum barbarorum potestatem redacta? Hæc atq; his plura cùm dixisset, paulò pòst mortem obijt apud Leonicænos septem & sexaginta annos natus: molestaq; ea magnopere ciuitati exercituiq; mors fuit. cadauer ad vrbem delatum funere amplißimo & concelebratißimo atrata ciuitas extulit. Imperatore mortuo, Ianes Fregosius Ligur eius equitibus regendis præficitur: quibus tamen etiam viuo illo præesse consueuerat, Leonardusq; Apulus ob virtutem, atq; in remp. studium stipendio à Senatu auctus est, duobusq; fratris eius liberis pẽsiones annuæ dono datæ: eamq; profectò legem sententijs omnibus Patres conscripti probauerunt, vt non modò nulla reiecerit, sed etiã ne vna quidem, cui nõ liquêret, in loculis resederit: quæ res penè pro

miraculo est habita. Fuit quidem certè singulare ac pere-gregium omnium ordinum, totiusq; ciuitatis in Leonardum studij atq; beneuolentiæ indicium. Vbaldus deinde Gallorum internuncius Mediolano ad vrbem venit, pollicitusq; est præfectorum regiorum nomine: si Gallos qui essēt in custodia vrbana Senatus restituat, ipsos ciues quosque Venetos vnà cum præfectis reip. qui Mediolani custodirentur, missos facturos: itaq; quatuordecim Gallis Vbaldo traditis, Brixiamq; missis, ipsi Iustinianum Mauroccenum, Aloisium Bonum, Petrum Gradenicum, Franciscum Memmium, ciuesq; alios, quos habebant, hominesq; militares tres, Vincētium Naldium, & Vitellium, & Bracciū, libertati restituerūt. Atq; vt scribēdo sæpius ad Maximiliani exercitum, qui Veronæ erat, redeatur, Hispani ex eo milites, hominum scilicet natura & moribus multò callidius ac sapientius Gallis atq; Germanis hominibus genus, cùm viderent Venetos castris ponendis oppido propiores esse factos (nam à Leonicænis aliquot passuum millia Veronā versus se contulerant) simul eos breui ad murum atq; portas accessuros, vrbēq; obsessuros vererentur, vt quid quæque domus atq; familia volūtatis in remp. haberet, si possent fallendo cognoscerent, nocte intempesta per oppidum, cum magno armorum sonitu incitati cucurrerunt, nomenq; Marcium, quod est insigne reip. sæpe in cursu cō clamauerunt: quo exaudito, à plerisq; illos esse Venetos credentibus, qui se in oppidum intulissent, eadem nominis acclamatione est responsum datum, salutatioq; veluti mutua facta: illi eas domos, vnde voces veniebant, atramento signauerunt, postroq; die repetitis notis omnes ad vnam diripuerunt. quibus rebus consequuti sunt, vt & reliquis

amicis

amicis reip. timor iniiceretur, ne quid vltrà facere aut dicere auderent, & ipsi præda illa pro stipendio, quod non persoluebatur, ad se sustinendos vterentur. Erant *in vrbana perliberali custodia, vti suprà demonstratum est, cùm* Patauij, *tum in* Istris, *capti* Germani *regis præfecti sex: salutabanturq; quotidie ab amicis & familiaribus suis propè vt liberi: eorum quinque noctu, custodibus in cœna occupatis, tenui perrupto muro ad aquam se nullo strepitu contulerunt: cymbaq; ad biremem clàm à suis comparatam vecti, in ea Tergeste perfugerunt: vni vt fugeret persuaderi non potuit, ne fidem, quã vnà cum reliquis reip. dederat se non abiturum, falleret.* Post *hæc* Triumuiri, *quorum erat è collegio* Bernardus Bembus *pater meus, confecta quæstione* Angelum Triuisanum, *qui classem turpiter amiserat, ad totius ciuitatis iudicium maiora comitia detulerunt, ea lege per ipsa comitia prius resciſſa, quã* Senatus, *vt ad se referrent, iusserat, tabellisq; eorum recitatis, qui permulti contra eum testimonium dixerant, causaq; dies aliquot agitata, condemnare tamen illum primis sententijs non potuerunt, propterea quòd ab reliquis ciuibus, qui eo bello improbè remp. gesserant, qui quidem erant pleriq;, atq; ab eorũ propinquis & necessarijs magnopere laboratum est, ne condemnaretur, veritis, si ille pœnas dedisset, ne ad ipsos etiam eiusmodi iudicia descenderẽt. quæ sanè res bonis omnibus magnam molestiam attulit, quòd Angelo absoluto nihil amplius in rep. seuerè, nihil omnino ex dignitate posse agi propè constaret.* Postremò *verò cùm* Triumuirum *actionibus diligentioribus, tum eiusmodi bonorum querelis permota cõcio, trienniũ ab vrbe vrbisq; finibus esse* Angelum *exulem iussit.* At ne

classi reintegrandæ, quam in rem Patres incuberant, milites aut remiges deessent, lex est in Senatu lata, vt exules maritimis ab oppidis atq; insulis reipublicæ ob homicidium qui essent facti, si pace cum mortui propinquis inita menses sex in classe reipublicæ sua impensa operam nauauerint, aut ad id vicarium dederint, restituerentur, exceptis ijs qui hominem consultò occidissent. Alfonsus verò classis reipublicæ clade nō contentus, copias quas confecerat, traiecto Pado ad fines Rodigianos *vexandos ac depopulandos misit. eæ copiæ in pago* Alfonsi *finium postremo sese vallo munierunt, & paruo præsidio ad vallum relicto instructæ, vt quod intenderant, etiam perficerent, progrediebantur.* Gradenicus *Legatus,* Rodigij *qui erat, ea de re ab exploratoribus certior factus, ante lucem cum equitatu & peditatu oppido egressus* Epirotas *aliquot præmisit, qui hostes velle aggredi simularent, lenteq; reuertentes eò traherent, vt æquo loco prælium committi posset. Hostes* Epirotis *visis in eos impetum fecerunt. Illi, vt erat eis imperatum, paulatim recedentes in nostri agminis cōspectum eos perduxerunt. Legatus cohortatus suos pugnæ signum dedit: neq; hostes sibi defuerunt: concursum est ab vtrisq; ita acriter, vt pugna diu anceps atq; ambigua fuerit: tandem hostes fessi repelluntur, seq; ad pagum munitionesq; suas recipiūt. Nostri hostium regressu incitatiores facti, cùm aliquandiu ante vallum pugnauissent, munitionem perfregerunt, eosq; in fugam omnibus à partib. dederunt. quos* Epirotæ *consectati plerosq; interfecerunt: equites vtriusq; armaturæ circiter nonaginta cum eorum præfecto captiuos fecerunt. Capti quoq; sunt eodem tempore in* Veronensium *finibus* Sequani *equites non sanè pauci,*

ci, cùm tamen illi etiam Epirotas duodenos temerè à reliquis digressos quodam in pago dormientes item cepissent. captusq; paulò pòst vnà cum viginti ex eius turma præfectus equitum Gallorum Cleta, qui Maximiliani auxilio Veronam venerat, ad vrbemq; missus. Iulius autem Pontifex Max. vbi à repub. omnibus suis postulatis satis esse factum cognouit, Legatis, qui quidem erant quinque (nam Pisanus paulò antè morbo implicitus mortem obierat) ad sacra, quæ se præsente fiebant, atq; ad pedis osculũ admißis, magna populi Romani frequentia interdictum abrogauit, deq; eo literas ad omnes reges dedit. Quibus rebus cognitis, supplicatio à Patribus est indicta, gratiæq; dijs immortalibus omnibus in templis actæ. Paucisq; pòst diebus Hieronymo Donato apud Iuliũ manere iusso, qui legationem exerceret, cæteri legati pedibus Anconã profecti, reliquo itinere in longis nauibus, quas Patres ad eos subleuandos eò miserant, confecto domum redierunt. Diebusq; æquè pòst paucis ciues ij Veneti, qui belli initio in Flaminia contra fidem datam capti, atque in Romanos fines perducti, eo tum loci custodiebantur, ab Iulio sunt dimißi. dimißi quoque ab Ioanne Iacobo Triultio, liberalitatis in rempub. nomine, ciues item Veneti tres, qui tribus Galliæ municipijs præfuerant, Mediolaniq; in custodia illos menses totos fuerant, Ioannes Grimanus, Alexander Georgius, Philippus Calbus, atq; vsq; in vrbem ab eius ministro perducti. Aloisius Mocenicus, Ioannes Cornelius legati ad pacem cum Maximiliano tractandam mißi, vti superiore libro demonstratum est, atque in Alpes profecti regijs internuncijs, qui ad eos venerant, reipublicæ datis muneribus (ea erant vini Cretici preciosioris, ceræ albæ ad te-

nebras expellendas, fructuum in Aegypto conditorum ad regias epulas omnis propè generis non parua copia) sermonem cum ijs complures dies habuerunt, non vnisq; in locis vnà fuerunt, neque tamen pax iniri potuit, cùm illi omnia, quæ in Maximiliani potestate proximè fuerant, à Senatu peterent, Senatus nihil eorum, quæ ante bellū obtinebat, vellet amittere: dependere quidem Maximiliano aliquam pecuniæ vim se obligasset, si de reliquis fœderis capitibus, quæ proponebātur, conuenire inter ipsos potuisset: sed obstinatione, duritieq; ambarum partium factum est, vt infectis rebus ab vtrisque domum discederetur: ita ea multorum dierum tractatio & mora, quæ suspensos atque solicitos Patrum animos habuerat, postremò ad nihilum redijt. Interim quod Lauretanos, qui est pagus in Padi fluminis deriuatione, Alfonsi copiæ incenderant, Senatusconsultum factum est, vt eius pagi homines Fossam Clodiam ad incolendum se reciperent, atque ab oppidanis rebus omnibus iuuarentur: quasq; antea onerum & tributorum immunitates domi obtinebant, eisdem immunitatibus eis frui Fossæ quoque Clodiæ liceret. itemq; alterum, vti Belunienses & Pagēses annum vnum immunes essent, neque ad soluendum creditoribus cogi possent. Idem Senatus cùm videret multò maximā esse in vrbe copiam eorum ex plebe ciuium, qui aliquo reipublicæ munere fungerētur, quo in munere aut stipendij mēstrui, aut quotidiani quæstus nomine lucrum facerent: vt ij quoque aliquid, neq; id tamen sine compendio, tam angusta pecuniæ publicæ procuratione in ærarium conferrent, rogationem iußit: qui è plebe ciuis munus perpetuum à republica obtineret, si decuplum stipis annuæ, aut si ea non sit, lucri summam,

mam, de qua apud magistratum constet, reipublicæ intra dies quindecim curauerit, id omnino munus ipso mortuo aut filius, aut nepos, aut frater eius sequatur: aut is, quemcunq; sibi ipse eius muneris hæredem instituerit. quibus autem sua sint ad tempus munera, ijs octuplam stipem ærario inferentibus, ea viuis munera eripi non possint, illis exceptis muneribus, quæ à Senatus, templiq; Marcij procuratorũ scribis & ministris obirentur. ea tamen octupli summa liberalitate Patrum paulò pòst lege ad quincuplum rediјt. Ab Decemuiris quoq;, vt etiam nobilitas sui æris aliquantum sponte reipublicæ tribueret, alia est rogatio paulò pòst iussa: qui è nobilitate ciuis triginta annos natus libras auri vicenas mutuò reipub. dedisset, quemq; ciuẽ maior pars Decemuirûm probauisset, ei ciui annum in Senatu esse, adempta suffragij ferẽdi potestate licere. Huius aũt mutui Decẽuiri eam esse conditionem voluerunt, vt pars pecuniæ media in ærarium nouissimum ei, qui dedisset, accepta referretur: altera parte media, si quid is onerum tributorúmue nomine in posterum publicè debiturus esset, ex eo tantundem potestas ei fieret dissoluẽdi: pauloq; pòst, ne horum ciuiũ numerus denos excederet, ijdẽ Decemuiri sanxerunt. Dum hæc domi administrantur, consilio Veronam per insidias capiendi ab legatis complures dies agitato, certorum oppidi ciuiũ suasu, qui per suos interpretes clam ad Sigismundũ Caballum necessarium suum, egregiũ atq; amãtem reip. ciuẽ, qui se pro patria exercebat, belliq; munera & præfecturas obibat, Patauium missos, res quẽadmodum perfici posset, eis ostenderant: ambo prima nocte ad pagum Martinianum exercitum adduxerunt, quingentosq; milites ex omni copia lectos, ad arcem, quæ ab ea

oppidi parte cum mœnibus erat coniuncta, non nimis cõmunitam miserunt, qua forc in vrbem traiectum cognouerant. Illi per duas propugnaculi intromißi portas (eas Benedictus Peregrinus multa arte diligentiaq́;, ferreis ad eã rem confectis Vicetiæ malleis vectibusq́;, aperuerat) ad murum oppidi scalas, quas secum attulerant, posuerunt, vt eo superato ad portam, ad quam conuenerant, accederẽt, interfectisq́; custodibus, atq; apertis valuis exercitum admitterent. Eæ scalæ cùm essent breuiores, quàm muri altitudo requirebat: ad eiusmodi eius rei subsidium comparãdum, vt alteram alteri alligarent, atq; ita longiores eas facerent, se dederunt. In eo dum sunt, signa in oppido ei loco proxima casu concinere cœperunt: illi veriti aduentum ipsorum militibus Germanis tribus millibus palàm factum esse, qui eam oppidi partem custodiebant, relictis scalis extra propugnacula celeriter se, quà venerant, receperunt: deinde ad exercitum, qui non longè aberat, vt se in oppidum inferret, re infecta magno cum dolore omnium atq; molestia redierunt. Hostium præfecti haud ita multò pòst de plerisq; ciuibus, quos fuisse eius rei conscios non tã quidem reperissent, quàm essent suspicati, grauiores pœnas sumpserunt. Peregrinus vnà cum nostris militibus oppido fugiens ad legatos se contulerat: cui Senatus ob facti audaciam atque in rempub. studium pensionem annuam, quam posteri eius sequerentur, paulò pòst dono constituit. Eadem in illorum, quos hostes interfecerant, liberos reipublicæ pietas extitit. Erat domi lex decemuiralis, nemo vt ciuis, cuius aut filius aut frater aut fratris filius sacerdotium haberet, cùm de rebus, quæ ad Pont. Max. atq; ad rempub. pertinerent, ageretur, in Senatu esse posset: quam quidẽ le

gem

gem eo consilio Patres iusserant, ne, qui suo compendio propter sacerdotioru̅ adipiscendorum cupiditatem in co̅sulendo duci poterat, vt plus Romanis rebus, quàm suæ ciuitati faueret, ei aut sententiam dicere, aut suffragiu̅ ferre in Senatu liceret: eam tum legem Decemuiri antiquari voluerunt: non enim arbitrabantur quenquam esse ciuem posse, qui tam duris reipublicæ temporibus alieniori volu̅tate suæ patriæ commoda, quàm Pont. Max. à quo tam insignitè læsus esset, in Senatu administraret. Itaq; & Antonius Grimanus & Georgius Cornelius, reliquiq; sacerdotum propinqui, cùm ad Senatum ex literis Roma ab Donato missis est relatum, deinceps affuerunt: quæ quide̅ literæ magnam in Iulio ambiguitatem consiliorum, magnámque voluntatis hæsitationem ostendebant: modò enim de rep. honorificètissimè amicissimeq; loquebatur, seq; ei adiutorem ad ea recuperanda, quæ in Rhetis Galliaq; amiserat, fore pollicebatur: Gallorum modò regem se vereri ostendebat, quem quidem propédiem in Italiam rediturum pro explorato ducebat. A Maximiliano quoq; suum legatum propè amplius non admitti, inimicumq; sibi illum ex amico esse factum, quòd interdictum in remp. se nolente rescidisset, co̅querebatur. easq; ob res vti respublica quibus posset co̅ditionibus cum Maximiliano pacem faceret, Senatui erat autor, præsertim postaquam inter Aloisium & Henricum Britanniæ regem, qui dissidere putabantur, quod quidem certè dissidium animoru̅q; disiunctio morari Aloisium & retinere, ne itineri sese daret, vna omnino poterat, fœdus esse ictum & concelebratum cognouit: itaque interdum neque cui confideret, neque quò conuerteret cogitationes suas, neque quem susciperet tuendum,

neque quid omnino aut faceret, aut planè diceret, reperiebat. Quibus rebus cognitis Senatus, cui quidem omnia penè deficiebant, Iulium tamen per legatum est hortatus bono animo vt esset: non facturum, quæ ab eo iactabantur, Aloisium: cuius omnes planè populi ab Alpium traiectu et bello in Italia gerendo magnopere adhorrerent: Maximilianum quidem & pecuniæ inopia, & aliena Germanarum ciuitatum à bello contra remp. voluntate, & aliarum rerum implicationibus perfacile ad pacis cogitationē descensurum: Hēricum verò, cur nocere Venetis cogitet, nullam habere porrò causam, cuius & maritimæ ciuitates necessitudinem quasi quandam antiquitus cum nostris hominibus institutam colant plurimiq; faciant: & portoria à nauibus reipub. quæ mercaturæ causa eò ventitāt, etiam augeantur: sese autem & exercitum non spernendū iam habere, & classem satis magnam propediem habituros: easq; opes non illi minus, quàm reipublicæ præstò, cùm vellet, futuras: quamobrem consideret, cùm tam bonam causam suscepisset, vt remp. scelere perfidorum hominum proditā ac violatam tueretur: Deos profectò immortales, quorum ipse in terris maiestatem obtineret, sibi non defuturos. Eiusmodi cùm literis labentem Iulij animum atq; cōsilia Senatus confirmauisset, legem sciuit, vt quingenti armaturæ grauioris equites, militum quatuor millia celeriter conficerētur, atq; ad eas quas haberet copias adderentur. Id autem nō tam iussit spe quam aleret, vt res ad exitum perduci posset (nam neque vnde is tum numerus accerseretur, ei constabat: neque pecunia in stipendium planè suppetebat) quàm vt eius rei sermo nuncijq; ad Iulium allati deiectas illius cogitationes & timoris plenas erigerent, exercitumq;

citumq́; reipublicæ, quem quidem & Veronæ recuperandæ difficultate, & Gallicarum rerum fama, quas rumor latius atque inflatius attulerat, tardiorem ac suspiciosiorem factum sciebat, literæ de eo ad legatos datæ ad pristinam belli gerendi alacritatem studiumq́; reuocarent. quod sanè accidit. Epirotæ enim equites vbi de augendo exercitu nuncium acceperunt, Athesi flumine traiecto hostium equites centum captiuos fecerunt: milites alteros totidem, nemine suorum desiderato, interfecerũt. Aliæ deinde literæ ad Donatum datæ, vt quoniam is ad Senatum scripserat, Iulio placere, vt bello, quod respub. cum Alfonso exercebat, finis imponeretur: ei diceret, Senatum de eo id, quod vellet, esse facturum. Quo responso accepto Iulius suum hominem Ferrariam misit eius rei causa: neque tamen Alfonso persuasit, vti bello desisteret: nam quoniam exploratum ei erat, Aloisium regem ad Lemniacum oppidũ, quod à Maximiliano libris auri CL. emerat, capiẽdũ omnes suas quamprimùm copias missurum, quo capto ipse quoq; Rodigium posse capere spem non ambiguã fouebat, arma deponere noluit. Senatus autem pluribus & literis & nuncijs certior factus, Aloisij præfectos magnis equitatus & peditatus copijs coactis, in fines reipublicæ impetum breui facturos, Lemniaco veritus, præter milites sexcẽtos sub egregijs centurionibus, ciues etiam Venetos è nobilitate quatuor cum militibus quinquaginta è plebe vrbana singulos, commeatumq́; omnis generis, & res ad tormenta exercenda, ignemq́; in fossis atq; aggeribus ex inopinato excitandum idoneas, & sagittarũ magnũ numerum eò misit. Vanissa præterea ex Dalmatis homo fortis cum turma lectißimorũ equitum octoginta, maiore quàm cõsueuerat

ſtipendio,ab Senatu accerſitus,eòdem ſe contulit. Ad Gradenicum quoq; legatum auxilia ab exercitu ſubmiſſa,ne ſi Alfonſus ad Rodigianos oppugnandos,dum reliquus exercitus à Gallis alios reip.fines tueretur,ſuas copias adduceret,imparatior offendi poſſet. Claſſi demum paucarum triremium,quæ erat Foſſæ Clodiæ, naues breuiores permultæ vrbanis è ſuburbijs eductæ atq; adornatæ vti adderentur,quæ in Alfonſi fines ſe inferret, eiuſq; copias diſtineret, latum. Ad Vitellium verò, quem captiuum permutatione facta, vti ſuprà demonſtratum eſt,Galli reſtituerant, Capinumq; eius propinquum,Pauli illius,quem Florentini Piſano bello imperatorem habuerāt,ſecuriq; percuſſerant, filium: quibus vtriſq; Senatus præfecturam equitum grauioris armaturæ C L. paulò antea dederat,atq; illi eos equites in Tifernatibus municipibus ſuis iam confecerant, mari Foſſam Clodiam deportandos, naues in Flaminiam miſſæ:quibusq; etiam milites quingentos ipſorum in finibus quamprimum conſcribendi ad exercitumq; adducendi,cura tradita. Eandem antea curam Citolo Patres dederant,vt è Peruſiæ finibus mille octingentos milites educeret:isq; iam numerus aduentare dicebatur. Turmis inſuper in exercitu reip.pleriſq; reintegrandis,quæ quidem erant magnopere diminutæ, ſtipendium à quæſtoribus curatum.penſioq; annua, quam Senatus vltra ſtipendiorum nomen Citolo dederat,vt ea,quoad viueret,frueretur,etiā aucta. quas ad res atq; ſumptus quo fiſci debitoribus facilior ſolutio fieret,Senatus iuſſerat, vt qui ex ijs aurum aut argentum cælatum, quod plerique ſibi comparant, aut à maioribus comparatum domi habent, ad Duumuiros numis cudendis intra dies XXV. attuliſſent,id eis aurum argentum-

gentúmue cum lucro partis decimæ acceptum referretur: qui Duumuiris neq; aurum neq; argentum dedissent, neq; pecuniam numeratam curauissent, eorum bona, etiam si fideicommissa essent, vendi per magistratus oportere, ijs exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur. easq; venditiones ratas & firmas haberi oportere, neque vllis posse legibus infirmari, Senatusconsulto additũ. Pauloq; pòst, quòd Patribus cõstabat ciues plerosq; ex ijs, *quibus ampla res esset, adduci tamen non posse, vt in ærarium conferrent, quòd nulla suæ patriæ charitate, nullo reipub. amore tenerentur, Decemuiri suis ministris mandauerũt, vt illos prius ea de re admonitos, si post dies octo nihil contulissent, captos in carcerem contruderent: quòd si se occultauissent, ab eorum domibus rem familiarẽ abriperent, magistratibusq; traderent distrahendam. quæ duæ quidem res vti publicè iuberentur, ante id tẽpus nunquam acciderat. Vicetina quidem ciuitas, reip. difficultatibus permota, sponte sua vicenas auri libras dono in ærarium contulit. Quoniam autem & legati non semel ad Senatum scripserant, egere imperatoris reip. exercitum: sine eo qui summæ rei præsit, omnes indiligentiores & dissolutiores quotidie fieri, & ipsi per se Patres singulis horis ea de re admonebantur: sæpe cùm essent inter se magistratus colloquuti, magna eos ambiguitas hæsitatioq; diu tenuit: nam quòd ex præfectis reip. plures parem ferè honoris locum obtinebant, existimabant Patres, in potiore adipiscendo loco alterum sibi præferri neminem eorum satis æquo animo laturũ. Tum illud accedebat, quòd ipsimet Patres, quisnam illorum esset reliquis anteferendus, non dispiciebant. De externis cùm quærerent pleriq; in eã*

sententiam conueniebant, vt Franciscus Mantuanorū Princeps, quem habebant in custodia, ei muneri maximè omniū esse præficiendus videretur: quod profectò munus & aliàs apud ipsos gessisset, & nunc eò libentius eoq; diligentius ab illo suscipi atq; administrari oporteret, quòd ex ipso carcere atq; custodia ad tam amplā dignitatem atq; imperium Patrum munere ac liberalitate vocaretur. verū propterea quòd annis etiam superioribus ad illud ipsum munus à Senatu reuocatus, vti tum à nobis demōstratum est, stipendio etiam accepto à repub. defecerat, atq; ad Maximiliani militiam autore & consuasore Ludouico Sfortia vxoris suæ sororis viro se contulerat, idcirco, nisi Senatui satisdaret se fidem reip. præstaturum, omnes vnà magistratus committendum ei esse non putabant. Id vt sciri ab eo posset, Lauredanus Patresq; eum ad sese cum honesto senatorum comitatu è custodia venire voluerunt, amicissimeq; appellato suam ei mentem aperuerunt, Senatusq; cōsultum ea de re factum ostenderunt. Ad quem ille sermonē inopinata lætitia commotus atq; illachrymans, magnas Patribus gratias cùm egisset, confirmauit filium se suum Federicum natu maiorem suæ fidei obsidem reipub. daturum: vxoriq; scripturū, vt eum ad legatos euestigiò mitteret. Quod cùm Patribus probaretur, Ludouicum Firmium familiarem suum cum mandatis ad vxorem misit. Illa verò parêre viro noluit, neq; filium ab se dimittere. Alfonsi enim soror Gallicis rebus magnopere fauebat: quib. fore impedimēto, si vir imperiū à rep. oblatum accepisset, pro explorato ducebat. ita ea res exitū non habuit. Quāobrem cùm Patres iterū de eo eligendo, qui exercitui præesset, consulerentur, magistratusq; nonnulli Lucio, nonnulli Grit-

li Gritto legato imperium deferrent, neutra lege suffragijs probata Senatus est dimissus. Quod vbi Grittus resciuit, Patribus literas dedit, non esse è repub. se, qui non magnum in re militari vsum haberet, tot fortibus & claris bello viris, qui in eius exercitu essent, præfici: neq; id eos æquo animo laturos: itaq; alia omnia cogitarent, sese nolle imperium cùm inuidiosum, tum suis maius viribus accipere. Vanissa interim, quem Lemniacum profectum dixeramus, cum suis equitibus alijsq; perpaucis, qui sagittis vtebantur, manè prædatum oppido egressus, in Veronæ finibus hostium Gallorum equites grauis armaturæ plus centum, leuioris non plurimos, milites quatercentum nactus, manum cum illis conseruit. Id dum fit, hostes vnum ex eius famulis captum nullo more iugulauerunt. quod Vanissa vbi vidit, suos cohortatus, vti eam necem vindicarent, ita acriter pugnauit, itaq; eum sui acriter pugnantem imitari studuerunt, vt paruo temporis spatio globum hostium vniuersum disiecerint, ex ijs ceperint plus ducentos, quibus omnibus ceruices absciderunt, nemine suorum, præter illum vnum, desiderato. ea res magnum illi nomē apud omnem exercitum hostesq; ipsos attulit. Alfonsus interea coactis cùm militibus, tum nauiculis, atque in eis tormentis leuioribus impositis, Venetos, qui minorum in Rhodigianis finibus fluminum ripas custodiebant, depulit. Pauloq; pòst, cùm Gradenicus nihil non ab hostibus veritus, Rhodigio relicto se in tuta retulisset, oppidum vacuum recepit: tantúsque fuit eius rei terror, cùm Galli magna cum manu aduentare dicerentur, vt neq; auxilia submissa vllo in loco consistere, neque Grittus legatus confidere, in quibus erat, castris auderet, omnesq; omnibus à

partibus sese Patauium Vicetiamq; versus, nullis hostium insequentibus tamen reciperent. Deliberatum est etiam domi, vt Patauium muniretur, tormentaq; ac farinas et vinum Creticũ magistratus eò mitterent, ciuesq; in primis Venetos decem, qui vrbem custodirent: tum, vt reliqui cõmeatus pabuliq; copia in oppidũ importaretur, cura adhibita. Datæ quoq; à Senatu literæ in Epirum ad suos magistratus, vt Thraces equites, quos possent, reipublicæ stipendio conscriberent, Iaderamq; mitterent ad vrbem trãsuehendos: id enim regiorum ministrorum voluntate fieri poterat. Latum etiam, vt lex de mercede magistratuũ reipublicæ cõdonanda, in sex menses prorogaretur. Iussus etiam Ioannes Franciscus Polanus, qui longis nauibus in Istris nõ segnè operã reip. nauabat, vt Fossam Clodiam ad præfectum se classis euestigiò reciperet. Quibus intellectis rebus Zoilus Detricus, ex Iaderensi ciuitate, amantissimus reip. vir, aurum quod in suos vsus domo attulerat, Patrib. pincipiq; dono dedit. Grittus cum exercitu Vicetiã veniẽs, ad quem ciuitatis magistratus cum armatorum ex plebe atq; agris decem millibus iter faciebat, vt ei opem ferret, ne ab hostibus cladem aliquam acciperet (magni enim de eo rumores afferebantur) cùm vellet extra murum castra ponere, ne oneri oppidanis esset, à ciuibus omnia perpeti reipublicæ causa sese velle pronunciantibus, atque ab illo, vti copias omnes introduceret maiorem in modum postulantibus, noctu hilariter in oppidum est receptus: postridieq; eius diei abiẽs medio ferè inter Patauium Vicetiamq; itinere consedit, vt vtriq; vrbi, si necessitas vrgeret, auxilio esse posset. Patres, vt Vicetinæ ciuitatis plena fidei ac beneuolentiæ officia tanti facere, quanti par erat, viderentur,

per literas sibi gratum id fuisse ostenderunt, seq; memores eius rei fore in posterum confirmauerunt. Deinde cùm de Gradenico deq; Marcello legatis non commodi sermones iactarentur, eorum loco est ab ijs legatus lectus Paulus Capellus, qui se, cùm vellent Patres, profecturum est pollicitus. paucisq; pòst diebus duo sunt sublegati reliquis legatis lecti, Federicus Contarenus, Ioannes Diedus: quorum alter Senatui paruit, profectusq; est: Ioannes excusatione valetudinis adhibita domi remansit. Eius est loco paulò pòst Sigismundus Caballus sublectus. At Galli Triultio & Palitia & Magistro magno ducibus, audito nostrorum recessu, missis Montanianū paucis equitibus deditione oppidum capiunt, itemq; Ateste, tum Coloniam & Leonicenos. Cùm verò è Carnis nuncij venissent, omnes eo ab latere hostium regiones in armis esse, cogique milites plerisq; in locis; Foroiulienses ad Senatum miserunt, velle ciuitatem sua stipe equites ducentos alere: rogare Senatum, vt Epirotas alteros totidem ijs adiungat, quibus se suosq; fines tueantur: velle omnes magno animo suam fidem omni cum vitæ periculo Patribus & reipublicæ præstare. atque ita vt fieret, Senatus censuit. Etiam in Illyrico apud Spalathram incursiones & prædæ factæ, abductiq; pueri & mulieres haud paruo numero. Vicetini destituti ab exercitu, qui se ad Medoacum receperat, cum suis rebus vulgò ad vrbem confugiebant: à quibus cùm publicani vini portorium exigerent, lata rogatio est, vt sine portorio rerum alēdi se causa importandarum Vicetini reciperentur. Pauloq; pòst domus noua Germanorum mercatorum societati publicè exædificata, quam inhabitarent, eis tradita. Gallorum duces ad Marcum Marcellum Monsilicensium magi

stratum miserunt, qui oppidum peterent. Ea intellecta re Grittus legatus cum equitibus leuißimis Monsilice contēdit: firmatoq; præsidijs oppido, præter eos qui ex plebe vrbana tum venerant, sua in castra redijt: Citolumq; Perusinum cum militibus octingentis Senatu approbante Taurisum misit, qui optimè meritæ ciuitati præsidio esset: eo enim etiam ab latere hostes impetum facturos rumor attulerat. Interim missus Lemniacum Baptista Doctus, vir fortis, cum stipe, ne, si oppidum obsideretur, pecunia defensoribus introclusis persoluenda deficeret, ab hostibus in itinere deprehensus vix ægreq; fuga se ab illis eripuit, infectáq; re cum numis ad legatos redijt. Post hæc cùm Iulius Pont. Max. Franciscum Gonzagam Mantuanorum principem, captiuum Senatui commendauisset, Patres in eius gratiam legem sciuerunt, vt si vxor Ludouicum filium Bononiam misisset, Franciscus & libertati restitueretur, & reip. exercitibus præficeretur, imperatorq; crearetur, modò Iulius puerum ad vrbem posteà mitteret: quod quidem se receperat facturum. Vicetini, ad quos legatorū & exercitus discessu Galli duces miserant, qui & oppidum & quingentas ab ijs auri libras peterent, concilio coacto, curatisq; e uestigio libris auri quinquaginta, alteris totidē pollicitis, sese eis dediderunt, militibus perpluribus receptis, quos illi Verona euocauerant. eorum exercitus in oppidi agrum se conferens, ad Barbaranum in collibus vicum castra posuit. Est in Vicetinis montibus Patauium versus cōcameratio, antiquitus effodiēdis ad ædificationes lapidibus facta, ingentis magnitudinis, vt terna millia passuum introrsus pertineat: in eam perfugij causa, quòd os angustum habet, atq; id vnum tantùm, vt facilè defendi posse videatur, hostibus

ſibus appropinquantibus eorum finium incolæ cum vxoribus & liberis & ætate cōfectis prope ad ſex mille ſe abdiderunt: eos cùm expugnare Galli non poſſent, tametſi perfractis & deiectis obijcib. ſe intuliſſent: loco enim perobſcuro, & viarum flexionibus cùm ambiguis tum innumerabilibus, aqua etiam, quæ in eo ſpecu ſtagni inſtar eſt, muniebantur: plurima ſtipula internè ſuccenſa magnum eorum numerum fumo cameras implente interfecerunt. At in Carnis Aloiſius Delphinus legatus cùm intellexiſſet, præmiſſos hoſtium antecurſores centum è Montis Falconis planitie prædas agere: ſuis militibus ſequi ſe iuſsis, cū equitibus leuiſsimis quinquaginta itinere celeriter confecto, illos qui ſe in inſidijs non magna in ſylua occultauerant, aggreſſus, partem eorum interfecit, partem cepit: reliqui vulneribus acceptis fuga ſe ad ſuos retulerunt. Legatus Sontio flumine traiecto, hoſtes, qui fuga ſuorum & cæde audita magna cum manu ad illum intercipiendum contendebant, è ripa ſagittis & pilis ferreis à fluminis tranſitu prohibuit, indeq; ſe cum ſuis omnibus incolumibus Gradiſcas recepit. In Patauinis autem finibus, quòd hoſtium equites aduentare nunciatum eſt, præmiſsi à Gritto legato equites leuiſsimi in eos venientes, qui quidem erant ſexcenti, impetu facto non paucos interfecerūt, centum captiuos fecerunt. Duces eorum Ludouicus & Federicus Gonzaga fratres, qui Bozolum oppidum in Mantuæ finibus obtinebant, ſe à victoribus equorum pernicitate vix ægreq; ſubripuerunt. Alio ab latere Vaniſſa, Citadella (quod ad oppidum Lemniaco venerat) non ſemel egreſſus, Germanorū manum ex Alpibus demiſſam vt incurſiones faceret, binis cladib. diſiecit, interfectis perplurimis. Inter hæc pau

lùm lætitiæ habentia magnam Patribus molestiam attulit Lemniacum captum: nam quòd est ipsum in dextra Athesis ripa, sic vt magna ex parte flumine abluatur, Galli altera in ripa castello, quod è regione Lemniaci est, capto, ingenti tormentorum vi dies aliquot oppidum verberauerunt. Id cùm parum profuisset, ratibus flumen traiecerũt; tribusq; à partibus tormentis positis, murum labore continenti deijcere instituerunt, vt ij, qui erant in oppido atq; in arce magistratus præfectiq;, timore non magnopere necessario perculsi, oppidum primùm, deinde arcem seseq; dederent. oppidani direpti, milites armis spoliati & dimißi: ipsi vni cum magistris tormentorum sunt captiui facti. Eodem ferè tempore Iulius certior factus Cardinalem Rotomagensem in Gallia mortem obijsse, incredibili lætitia est affectus: illo enim viuo hostem magna autoritate nũquam sibi defuturum sciebat. quam quidem lætitiam cum legato Veneto de communibus agens rebus haud obscurè præ se tulit: gratulatusq; ei est, nihil omnino cõmodius, nihil amicius de Cardinalis in remp. animo planè sentiens. Is auri libras ter mille signatæ pecuniæ testamento legauerat: quas omnino Iulius ea de causa, quòd legari iure non potuerint, sibi dari postulauit, frustratusq; ea postulatione est: nihil enim profecit. Ciues autem è nobilitate Veneta quatuor, & Ioannes Iacobus Caroldius Senatus scriba, qui captiui in Flaminia superiore anno facti in Romani agri arce custodiebantur, à Iulio dimißi ad vrbem redierũt. Ioannesq; Paulus Manfronius ab hostibus est ad Grittum missus, Bonuicinij Galli, quem captiuum nostri fecerant, tum ad Gallos item mißi loco: cui Senatus paulò pòst equitum cataphractorum centum quinquaginta stipendium constituit,

constituit, cum librarum auri sex pensione annua, praeter illud. Eius quoque filio stipendium in equites sagittarios LX. datum. Iulius aegrè ferens Gallos in reipublicae locis prosperè versari, & cum vicinis ei regibus pollere, legato reipublicae proposuit, se cum Heluetijs foedus initurum, vt sex eorum millia à Belinzonae oppidi finibus regi bellũ inferãnt, quo ille suas copias reuocare Mediolanum cogatur, modò Senatus partem mediam stipendiorum persoluat: eaq; confecta re suas ei copias attribuat ad Ferrariam capiendam. Senatus ad haec legato scripsit, Iulio stipendium ad tertiam Heluetiorum partem polliceatur: quo si cõtentus non erit, etiam ad mediam descendat, vt ei planè satisfiat. de altera verò postulatione, cùm Galli abierint, facturum Senatum quae iusserit. Postea verò nolentibus Heluetijs tam parua manu domo exire, petentibus vt X. eorũ millia saltem Iulius conduceret, inter ipsos vt octona millia scriberentur, lex est inita. Ex vniuerso stipendio Donatus legatus pactus cum Iulio est, vt à Senatu triginta auri librae mensib. singulis penderentur, numiq; Romã per chirographa missi. Vanissa Thracesq; cum praefectis turmisq; leuiorum equitum plerisq; cõtra Germanos Vicetia egressos agrumq; populantes à Gritto iussi contendere, caeteris, cùm nullis occurrissent, reuertentibus, longius progressi eosq; consequuti commisso praelio C C. ex ijs interfecerunt, & praedam, quam abigebant earum rerum dominis restituerunt. duobusq; pòst diebus idem propè facinus & ausi sunt, & perfecerunt, C L. ex hostibus interfectis, captis nõ paucis. tametsi eodem tempore alijs etiam in Venetorũ finium locis caedes hostium à nostris equitibus factae nũciabantur. Nunciatũ est etiam in Pharo Illyrici insula, ob pri

morum quorundam iuuenum in agrestes mulieres audacẽ incontinentiam, plebem ad arma incitatam, nonnullos ex nobilitate interfecisse, alios oppido expulisse, parem sese nobilibus in regenda ciuitate fieri esseq; voluisse: eos tamẽ animorum plebis motus, Hieronymi Contareni classis præfecti, qui eò peropportunè se contulit, edictis seuerioribus interpositis ad pristinam concordiam redactos fuisse, magnumq; eo in oppido exortum bellum eius hominis aduẽtum sedauisse. Nunciatum quoq; in Creta insula triremes septem instructas Corcyram breui venturas: earum vni Hieronymum Georgium è colonia Cretensi præfectum sua pecunia remiges & milites imposuisse, cuius pater plurima in rempub. officia bellis superioribus contulerit. Ei non multò pòst ob hæc ipsa in rempub. studia Senatusconsulto permissum est, vt quotiescunq; voluerit triremi præesse, liceat priori semper loco: immunem præterea tributorum illum posterosq; eius esse fructuũ suarum possessionum causa: tum vt militiæ insignia ei dentur, cùm ad vrbem venerit, eadem lege Patres statuerunt: literasq; ijs de rebus ad magistratus Cretenses dederunt, testes perpetuas Senatus in illum voluntatis. Miserant paulò antè Ferrariam Decemuirûm magistri Petrum Vampum è plebè hominem, qui se obtulerat classem ex Venetis nauibus in flumine oppidi mœnia præterlabẽte custoditam succensurum: sed illum socij facinoris indicio proditum Ferrarienses interfecerunt. Ea re ad Decemuiros delata, tribus Vampi filiabus paruulis victus est annuus è publica collegij pecunia cum domo, quam inhabitarent, dono datus, & dos, cùm adoleuerint, singulis auri sesquilibra constituta. Mulieri etiam viduæ Corcyrensi, cuius vir in Fluminis oppidi

Istrici

Istrici oppugnatione interfectus fuerat, pecunia in victum annuum dari ab eius insulæ quæstorib. imperata. Sub hæc Laurentius *è gente* Vrsinorum, *qui* Cere *oppidum obtinebat, mutatis iumentis* Roma *ad vrbem venit,* Patribusq; *salutatis sese obtulit eorum militiam facturum, dixitq; id sibi* Iulium *vti faceret, permisisse: suum comitatum equitũ centum breui affuturum: qua vellent conditione se vterentur: nihil ipsum sibi præcipuum petere, nihil recusare. qua quidem oratione libentißimè audita, omnibus illum laudibus cumulatum* Patres *exceperunt, atq; vti ad exercitum se conferret, ab eo petiuerunt, quòd existimarent suo illum consilio legatis vsui magnopere futurum interea, dum sui equites adueniunt. & quoniam sine armis venerat, ex comitij armamentario legendi sibi arma potestatẽ ei fecerũt, quod externo ante id tempus contigerat nulli.* His ita *constitutis rebus, quòd suspicio* Patres *tenuit, propterea quòd in* Patauio *muniendo nihil non curæ diligentiæq; adhibuissent, fossas purgauissent, muros propugnaculaq; firmauissent, omnis generis commeatum, magnam tormentorum vim importari mandauissent, molas frumentarias per plures, quæ sine aqua vsui essent, ædificari curauissent, ciues è nobilitate, vti superiore anno fecerant, portis & mœnibus & foro præposuissent, fore, vti* Patauio *relicto hostes ad* Taurisum *obsidendum accederent, quòd minus in ea oppugnatione se laboris considerent habituros:* Senatus *cẽsuit, vt milites quatuor mille confestim vndecunq; scriberẽtur, atq; ijs* Patrum *collegium legeret qui præessent,* Chiriæumq; Burgium *in primis, quem sibi vnum à* Mãfronio *cõmendatum, atq; omnibus ornatum virtutis industriæq; laudibus illis diebus cohorti esse præponendũ statuissent.*

Federicus Contarenus sublegatus, Citadellæ qui erat, cum Epirotis CC. egressus hostiū Gallorum turmam, quæ prædatum ad Medoaci ripas venerat, deiecit, atque ex illis quinquaginta cum eorum præfecto captiuos fecit. Germani etiam, cùm ad Clusæ fines in primis Alpibus venissent, Hieronymi Saorniani aduentu perterriti confestim recesserunt. Hostium autem vniuerso exercitu Citadellam versus accedente, Vanissaq; & Thracibus, qui se illi obuiā longius prouexerant, ab eo cum cæde repulsis, Contarenus sublegatus & Alexander Bigolinus oppidi retinendi spe deposita, præsidijs abductis Patauium sunt profecti. paulóque postq;, cùm Galli propius Venetos ad Limen se castellum contulissent, pontesq; duos in Medoaco facere cœpissent, vt exercitum reip. aggredi commodius possent, legati concilio præfectorum coacto, non esse Gallos expectādos statuerunt, seq; bene manè quarto Calendas Iulias omni cū exercitu Patauium intulerunt. quos magna agrestium hominum multitudo cum vxoribus & liberis subsequuta, in oppidum recepta est, ciuibusq; dispertita, apud quos esset, proq; cuiusq; facultatibus aleretur. Verumenimuero cùm paulò pòst hostium exercitus Baßianum versus se promouisset, Senatus iterum Tauriso veritus, Ioannem Diedum ex Veneta nobilitate virum fortem militaribusq; rebus assuetum, qui Patauij erat, eò legatum miserunt, vt vnà cum Mocenico belli rebus præesset, qui quidem Ioannes eo reiecto stipendio, quod ei Patres muneri obeundo decreuerant, sua impensa reipublicæ laboranti operā se daturum proficiscens est pollicitus. militesq; item quingenti, equites leuißimi C C. à legatis Patauio Taurisum mißi. Erant autem in hostium exercitu Galli equites grauioris armaturæ

maturæ mille C C. leuioris aliquanto plures, Germani ferè alteri totidem, ex æquo tamen inter se numero: milites in vtrisque circiter vndecim millia: sed ex ijs Germanorum duplo ferè maior, quàm Gallorum numerus erat, præterq; hos Alfonsus Ferrariensium Princeps cum equitibus C C. Is exercitus depopulatis reipublicæ agris illorum finium, Castellum Nouum, quod est in Alpibus, profectus, paucis defendentibus oppidum, cepit, diripuit, incendit, vt nihil ex eo neq; domorum, neq; templorum, vno fano excepto, non ardens dirutumq; sit relictum. Idem post Feltria passa est in maiorem sui partem, vt à priore vastitate superfuerat, aut ciues eam restituerant. Ciuidale quoq; Belunianum paruo negocio captum, cùm ciuitas oppidum, vti Feltriæ acciderat, incendi nollet. Itemq; Scala: nam qui eam defendebant, primis tormentorum pilis in eos iactis & centurione interfecto, deditionem fecerunt. Eodem tempore in Iustinopolitanorum finibus milites reipublicæ circiter quadringenti equitesq; aliquot, insidijs ab hostibus dispositis capti ad septuaginta, interfecti ad X. pœnas imprudentiæ dederũt. Inter has bellicorum euẽtuum auditiones Catherina Cornelia, quæ Cyprij regis vxor fuerat, de qua in horum commentariorum priore libro scripsimus, sexto Nonas Iulias stomachi vitio in vrbe mortem obijt, annum agens quartum & quinquagesimum: elataq; est à Patribus magna frequentia ciuitatis è Cassiani ad Apostolorum fanum ponte nauibus imposito, quo ad minuẽdum viæ spatium aqua, quam Canalem magnum appellant, transmittenda duceretur, atq; ab Andrea Naugerio laudata. eoq; postea in fano Georgius Cornelius frater tẽpli Marcij procurator, sepulchrum marmoreũ cum ædicula sorori opti-

mè de se meritæ faciendum curauit. Interim quoniam Iulij postulatione, vt claßis reipublicæ ad Genuã à Gallis auertendam in mare superum vela facere iuberetur, ab Decemuiris, qui eam dies aliquot suo in collegio continuerant, superiore dèsinente mense ad Senatum prolata, Senatusconsultum factum fuerat, triremes duodecim, & biremem vnã, quæ Corcyræ essent, Centumcellas celeriter mitti oportere, quæ Iulio præstò essent: alterum Senatusconsultum factum est, dandas esse Iulio literas, quibus certior fieret, naues triremes maiores duas ex ijs, quas nothas appellant, & minorem vnam, quæ ad vrbem sint, Senatum armari confestim iußisse, vt Centumcellas claßi priori submitterẽtur. Hæc ea re à Patribus fiebant, vt Iulij animum, quem experti fuerant & superbum & perferocem esse, his officijs delinitum procliuiorem haberent ad bellum Gallis & Alfonso inferendum. quæ quidem ei gratißima acciderũt. Sed cùm videret claßis aduentum tardiorem expectatione sua esse, moræ impatiens legato reipublicæ accersito dixit, statuisse se tribus cum longis nauibus Genuam aggredi: misisse Viam regiam Marcum Antonium Columnam: missurum cras Octauianum Fregosium, Francisci Mariæ Metaurensium ducis fratris sui filij consobrinum, magna adolescentem virtute, magna inter ciues suos autoritate, propter factiones, quas maiores sui vetusto more ciuitatis exercuerant: qui quoniam quartana esset implicitus, petere à Senatu, vt & ipse Ianẽ Fregosium confestim eòdẽ mittat, vt vnà cum illo rem iuuet. Quibus de rebus Patres acceptis à legato literis, Iani Patauio euocato Iulij petionem ostenderunt. atque is Patribus hortantibus libenti animo statim conscendens. Rauennam est profectus, vt inde pedibus

dibus mutatis iumentis Viam *regiam contenderet. Sub hæc equites* Hispani *grauioris armaturæ quatercenti* Vicetiæ *appropinquauerant, vt cum hostibus reipublicæ se coniū-gerent: tametsi* Iulius Donato *legato pollicitus fuisset, id illos non facturos: ita sibi cum* Ferdinandi *regis legato cō-uenisse: à quo publicè illis ipsis diebus tributi nomine pro regni* Neapolitani *permißione equum album acceperat, quem quidem ea cōditione sublata non fuisset accepturus.* Idem Iulius Troilo Sabello *petēti, vt eius voluntate ad rei-publicæ stipendia facienda conferre sese posset, libenti animo permisit.* Lecabuas *interea* Epirota *triginta equitum præfectus,* Pataui*j qui erat, ab agrestibus admonitus, citra* Medoacum, *quem magna hostium exercitus pars traiecerat, certo in pago equites* Germanos *ferè centum diuertisse, indiligenterq́; ibi & incustoditè versari, eò profectus, atque illos improuiso aggressus, cùm vnum ex eius turma temerè progressum hostes interfecissent, ipse reliquiq́; tam acriter in illos impetum fecerunt, vt quadraginta ex eis interfectis, quindecim captis, equis abductis, se* Patauium *cum præda victor receperit.* Patres, *quibus* Iulius *non semel autor fuisset, vt* Franciscum Mantuanorum *principem missum facerent, demum etiam vt ad sese mitterent, se illum recturum, & in officio contenturum, atque ita* Mantuam *in* Gallorum *partibus non futuram:* Donato *legato scripserunt, sese* Iulio *obtemperaturos, atque illum in trireme* Ariminum *missuros: tametsi, propterea quòd imperatoris magnopere indigebat reipublicæ exercitus, cogitauerat* Senatus *illum suis copijs præficere. itaq́;* Franciscus *postridie custodia eductus, atq́; inter* Patres *per forum ad aquam perductus, vnà cum* Bartholomæo Cōtare

no, Daniele Vendramino, quos ei principis collegium comites & curatores dederat Ariminum vsq;, conscendens est profectus. Equites quibus Ianes Fregosius præerat, qui quidem erant ij, quos stipendiarios habuerat Nicolaus imperator, Senatusconsulto attributi sunt Laurentio, qui Ce re obtinebat, vsq; ad Ianis ad vrbem reditum: suusq; ipsi equitum centum quinquaginta grauis armaturæ constitutus numerus, cum auri libra in victum mensibus singulis. Pauloq; Manfronio eiusdem generis equitum auctus numerus ad centum. quodq; hostium exercitus vnà cum equitibus Hispanis, de quibus suprà diximus, Patauio appropinquauerat, vt omnes crederent eum ad oppidi mœnia venturum: neq; deerat suspicio ab amicis reip. ad legatos delata, ex ijs qui Patauium custodiebant, nonnullos cũ hostibus consensisse, oppidiq; portam eis tradituros: eodem senatuscõsulto iussum, vt præter Citolum Perusinum cum sua cohorte, equites peditesq; vniuersi, qui Taurisi essent, & tormentorum magistri, sine mora Patauium proficiscerentur: vtq; legatis pecunia suppeteret, præter eas quas superioribus diebus sæpe miserant, centum auri libræ à ciuibus mutuò acceptæ sunt ad illos missæ. Eo in tumultu quòd Angelus Triuisanus, qui ob classem in Pado amissam in exilium missus fuerat, reip. est pollicitus, se Patauium cum militibus centum quinquaginta iturũ, eiq; vrbi præsidio mensem totum sua inpensa futurum, si restituatur: lex est in comitio perlata, ea illum conditione ab exilio re uocari reipub. placere. atq; is intra biduum eo cum militum numero se in oppidum intulit. Philippũ quoq; Maurocenum, quem quidem ob vulneratum ab eo Robertum Maurocenum consobrium suum X L. viri in carcerem
coniece-

conieceránt, auri libris X. in ærarium illatis Decemuiri libertati & ciuitati restituerunt. Hostes cùm dies aliquot de aduentu suo Patauium suspensum tenuissent, Monsilice sunt profecti, tormentisq; positis oppidum verberare occœperunt, murosq; duabus à patribus deiecerunt. Interim Epirotæ XX. Patauio emißi omnemq; agrum percurrẽtes, Sonzinum Benzonium, qui se ad hostium exercitum Verona conferebat, quorum erat rei frumentariæ procura tor, in itinere ceperunt non longè à Montañano, cũ equiti bus paucis & iumentis sarcinarijs plerisq;, & captum Patauium adduxerunt: quem quidem hominem, propterea quòd cùm ciuitate & iure cõmitiorum maioribus suis tra dito frueretur, & præterea stipẽdia reipublicæ fáceret, plá nè Senatui charißimus, anno superiore in clade exercitus Cremã à legato missus, id oppidum Gallis hostibus tradide rat, postea q; semper bellũ reipublicæ fecerat, legati laqueo gula fracta vetusto in proditores exemplo pedibus suspẽdi mandauerunt. Stanio Clementi Epirotæ et tribus eius equi tibus, qui Sonzinum ceperãt, pensiones sunt annuæ omnibus suffragijs à Senatu dono datæ: ipsi vni & militiæ insignia, & vestis aurea supperaddita. Constantinus Arenites Epirota Maximiliano Iulioq; charus, ab Iulio ad Maximilianum missus, vt illum reipublicæ placaret, pacemq; ac fœdus inter eos conficeret, Roma Venetias venit ea in triremi, quæ Franciscum Mãtuanorum principem Ariminum adduxerat: Lauredanoq; & Patribus salutatis, atque ab ijs liberaliter acceptus, auriq; libris quatuor & equo peregregio donatus, Taurisum atq; inde in Alpes cõtendit. Dionysius Naldius Fauentinus militum reipub. præfectus, uir fortis, complures dies febribus nõ remittentibus vexatus,

atq; ad vrbem delatus, morbo cedens perijt. cadauer in æde Gemellorum apud imperatoris Nicolai *cadauer positũ. domus fundiq; à republica illi, quoad viueret, dono dati, vt ad eius filiam, quam vnã puellam reliquerat, transirent,* Senatus *censuit.* Dionysij *milites* Vincẽtio Naldio *eius cõsobrino sunt traditi, vt, quòd erant pleriq;* Fauentini, *facilius ab illo regerentur.* Inter *hæc* Monsilice *ab hostibus capitur.* Ea *in re* Palitij *c* Galli *opera egregia fuit: is enim pedes in primis cum suis per eam muri partem, quam tormenta deiecerant, irrumpens occasionem reliquis dedit, vt omnes vnà propugnatoribus deiectis in oppidum se inferrent.* Hispani *ab alia muri diruti parte idem & ipsi fecerunt, neq; se à* Gallis *virtute superari permiserunt.* Tormenta *eiusmodi rotis erant imposita, vt ab extrema parte ad terram prona fieri, à priore in fastigium erigi nullo negocio possent, ad pilas in sublime eijciendas. ea sic aptata vsui magnopere fuerunt. cædes est ab hostibus ingens atq; indiscretè facta: tametsi etiam ex ipsis ceciderunt non sanè pauci.* Arx *vsq; ad noctem defensa est.* Sebastianum Naugerium *oppidi præfectum, ab* Hispano *captum milite ignaro quisnam esset, cùm ei pollicitus fuisset auri libram, vti se redimeret, daturum,* Vascones *eam rem improbantes interfecerunt.* Arcis *item præfectus cum centurionibus et militibus permultis interijt.* Hostium *exercitus timore agrestes eorum finium ad millia duodecim* Fossam Clodiam *profugerunt: quibus ea ciuitas, vti poterat, è publica pecunia in uictum est elargita.* Ioannes Sfortia, *qui* Pisaurum *obtinebat illis diebus suo in oppido mortuus filium reliquit, quẽ* Iunipera Matthæi Teupoli *ciuis* Veneti *filia vxor sex menses ante patris mortem pepererat.* Galeatius *frater nothus*

ex

ex eius testamento regnum administrandum inijt, literasq; ad Senatũ ea de re dedit. Hostes *commeatus inopia propè coacti* Monsilice *abierunt* Montanianum *&* Lemniacum *versus, abeuntesq; arcem incenderunt.* Id *incendium ab ijs qui* Patauij *erant facilè conspectum, eorum abitus indicium fuit.* Monsilice *capto, quòd* Iulius *missis in* Ferrariensium *fines suis copijs aliquot castella iam ceperat,* Alfonsus *cum* Gallis *equitibus* C C C. *præter suos, &* Hispanis *militibus non plurimis, & suis cum tormentis domum rediit ad bellum* Iulianum *propulsandum.* Et Chiriacus Burgius *cum sexcentis militibus ex* Apennini *iugis vallibusq; ad reipublicæ stipendia sese conferens* Fossam Clodiam *venerat.* Patres *sæpe consulti quisnam esset ad copiarum reipublicæ imperium præfectis reliquis anteferendus, sententiáque legatorum ea de re per literas non semel cognita,* Lucium Bononiensem *declarauerunt, exercituiq; præfecerũt: cui libras auri duas in victum singulis mensibus præter eã stipem, quam antea Senatus ei constituerat, addiderunt.* Lecti *postea sunt à principis collegio, qui ei vexillum & sceptrum, eius imperij insignia,* Patauium *afferrent,* Laurentius Orius, Petrus Maurocenus, *ambo ex* Quinq; *viris adolescentioribus, qui rebus bellicis maritimis in* Senatu *tractandis præficiuntur.* Literas *etiam* Patres Romam *ad legatum dederunt, quibus à* Iulio *petebant, vt* Ioanni Paulo Balioni Perusino *permitteret, vt eius voluntate reip. stipẽdia facere posset: idq; sunt facillimè cõsequuti.* Paucisq; *pòst diebus* Martini Burgij *&* Philippi Græci *centurionũ, qui* Monsilice *interfecti fuerant, liberis & ij sunt fundi dono dati, quos Senatus eorum antea patribus dederat: & militum numerus cum stipendio attributus.* Atq; *in comitio*

Michael Naugerius Sebastiani Naugerij item interfecti, pater, in filij mortis solatiũ omnibus suffragijs Triumuir prouentibus reipublicæ procurandis est declaratus. Lex *etiam perlata, quam quidem menses aliquot antea Senatus censuerat, vt Sexuiri sale procurando ad quatuor redigerentur: isq; postea numerus magistratuum in eo collegio fuit.* Iamq; *ad nihilum conatus* Iuliani *reciderant, in* Genuensium *ciuitate à* Gallorum *dominatione vendicanda, cùm se illi, antequam & reipublicæ classis & terrestres* Iulij *non magnæ copiæ ad eos fines accederent, & classe & militib. peropportunè munijssent.* Ea *in re tentãda* Ioannes Franciscus Polanus *triremis reip. præfectus pila ferrea percussus interijt.* Neq; *non tamen* Hieronymi Contareni *præfecti classis industria omnibus in rebus diligens, quantum esse potuit, fuit: itaq; infecta re* Marcum Antonium Colũnam & Fregosios & *maiorẽ militum partem suis in nauibus recipiens,* Centumcellas *redijt, indeq; ad vrbem pedibus* Iulij *vocatu sese cõtulit: atq; ab eo liberaliter acceptus, epulisq; adhibitus, et stipe ad panem remigum donatus auri libris duabus, iussus est classem, & militum manũ longè numerosiorem ad rem iterum tẽtandam propè diem conficere: suaq; illi* Iulius *cõsilia patefecit. atq; ad naues lõgas maiores reip. de quibus supra dictũ est, celeriter accersendas tabellariũ cum literis* Corcyrã *misit.* Eo *ferè tempore* Vladislaus Pannoniæ *rex* Ludouici Gallorũ *regis et* Maximiliani *aßiduis hortationibus petitionibusq; permotus, in suorum principũ conciliũ* Petro Pascalico *legato reip. adhibito proposuit, statuisse se bellũ reip. inferre, nisi* Dalmatas *suos quondam populos sibi restituat: nolle se vlterius ea ditione, quæ maiorum suorum fuerit, carere: si resp. sua*

sua voluntate eam tradat, se illi amicum futurum: sin belliũ malit, citò eam cogniturum, quàm præstet pacatè restituere, quod retineri bello non poßit. Legatus cùm vellet pro Senatu verba facere, reiq; publicæ causam tueri, ab illis est prohibitus: itaq; quod vnum in sua esset potestate, se de eo Patres certiores facturum dixit: tempus petere, vt quid ad ea respondeant, sciri poßit. Eo concilio dimisso, fuere nonnulli ex ijs ipsis qui in concilio fuerant, qui secretò ad legatum detulerunt, bono animo esset, bellum regem facere nõ posse, quòd numi non suppeterent: satisfactum ea denunciatione, cùm regibus petentibus, tum principibus aliquot Pannonicis, quos suæ ipsorum cupiditates impellebant, vt bellum suaderent; sed re nullum fore bellum: quod ita esse postea euentu ipso patuit. Hostium autem, qui Monsilice abierant, pars Vicetiam profecti, tormẽta, quæ priore aduentu in oppidum intulerant, ibiq; reliquerant, abstulerunt. Germani Vasconesq;, quos adibant pagos villasq;, incendiorum vastitate plerunque fœdatas relinquebant. Galli cùm vellent à reliquo exercitu recedere Mediolanum versus, ab rege literas acceperunt, quibus in literis iubebantur, duos etiam menses cum Germanis belli fortunam experiri. Ciues Veneti, qui missu Patrum Patauij portis & mœnibus præfuerant, à legatis sunt dimißi. Ex ijs Angelus Quirinus legatorum ad Patres literis laudatus, quòd magna diligẽtia cum eo comitatu, quem adduxerat, in sua tuenda porta esset vsus, sine vlla præterea stipe reipublicæ, quam reliqui omnes accepissent, sed impensa vnius sua, ad Lauredanum principem & ad Patrum collegium domum rediens cùm se, vt mos erat, contulisset, suæ in rempub. liberalitatis & virtutis fructum tulit, ipsorum

& totius ciuitatis in sese beneuolentiam. Citadella, Baßianum, Asulum, post hostium abitum non magno sunt negocio recepta: Marostica etiam, sed difficilius aliquanto; arce tormentis expugnata, captique in ea Germani milites cum eorum centurione non pauci, & inermes omnes dimißi. capti & Taurisani rebelles aliquot, atque à Mocenico legato, qui aderat, supplicio affecti. Interim Troilus Sabellus ex Romanis principibus reipublicæ militiam facturus ad vrbem venit, cum in itinere equites septuaginta reliquisset. eum Patres liberaliter exceperunt. Iidem Patres Ioanni Beltramio Hispano mercatori sanè industrio, qui ob Iulianas interminationes Ferrariam ab vrbe se contulerat, petenti vt tutum se liberosq; suos facerent ab ijs tributis, quæ sunt ab ipsis ante eum diem in ærarium inferri iussa, ita se in vrbem reuersurũ, neque postea discessurũ, libenter annuerunt: literasq; ad illum eius rei obsides dederunt. Iulius aũt magnopere in Alfonsum incensus, expugnatis oppidis nonnullis ab eius copiarum imperatore adolescente Francisco Maria Metaurensium duce, et Ioanne Paulo Balione equitum præfecto, in primis ab Rauẽna Fauentiaq; finibus, à Senatu petijt, vt suos equites leuißimos & ipse ab alio finium latere in eius regnum prædabundos immitteret: atq; ipse primùm Romæ in Cardinalium collegio edictum in Alfonsum promulgauit, in quo rebellem illum in sese Romanamq; rempubl. sæpe appellabat: deinde id edictum & in valuis templorum Romæ affigi, & Bononiæ in foro recitari, perq; orbem terrarum vulgatis impreßione tabulis omnibus in vrbibus atque locis proponi atque appendi mandauit. Præter hæc augendo eo, quem in illius fines induxerat exercitu, duo alia Heluetiorum

tiorum millia stipendio ad eos misso per suos internuncios accersiuit. Minis etiam & maledictis Aloisium Gallorum regem omnibus in sermonibus quotidie insectabatur, onerabatq; perfidiæ in Christi vicarios nota, quorum ipse tutelam & propugnationem clarißimo vocabulo præ se ferret, perterrere illum volens, ne vlterius Alfonsum tueretur, missaq; ad illum auxilia sua reuocaret. Quibus de rebus Aloisius certior factus, animum propè induxerat, vt se ab Alfonso defendendo abstineret, præsertim quòd eius vxor Anna regina, optima sanctißimaq; fœmina, quæ prægnans tunc erat, magnopere virum quotidianis precibus obtestabatur, ne arma in Romanum Pontificē exerceret: existimari sese, ventrem, quem ferebat, aliter prosperè se non gestaturam. vehementißimè autem rex cupiebat prolem, quam adhuc nullam habebat, ex ea suscipere. Alienandæ verò ab Aloisio Genuensium ciuitatis cogitationem Iulius non modò non abiecerat, non prospero euentu rerum deterritus, sed etiam auxerat, ardentior repulsa irritatiorq; factus: itaque ad naues duas onerarias maximas conducendas atque armandas, & ad classem reliquam addendas Neapolim misit: Heluetiosq; priore à se stipendio in regis fines impulsos, ad Genuam expugnandam esse adducendos cogitauit. quas ad res id ei etiam animos addiderat, quòd plerosque ex ijs, qui Romæ erant sacerdotes magnis thesauris præditi, ea æstate mors abstulerat: quibus thesauris iure ad se redeuntibus ditior factus, fortunam ipsam fauere suis rebus cogitationibusq; dictitabat, planeq; gloriabatur. Senatus autem, vti Iulio satisfieret, naues triremes duas & biremes aliaq; nauigia perplura armari, Mar

coq; Antonio Contareno, qui ad Fossam Clodiam cum triremi vna erat, mitti oportere legem sciuit: quam ille classem Pado flumine in Alfonsi fines induceret: edictúmque in foro proponi iussit, qui prædam vellent in Alfonsi finibus facere, per rempub. licere, dum ab incendijs prorsus abstineant. Quamobrem ducentæ ferè priuatorum hominum nauiculæ paulò pòst se ad præfectos reipublicæ in Pado contulerunt. Vincentium etiam Guidotium scribam suum Bononiam misit, vt apud Cardinalem Papiensem, qui amplissima cum potestate ei vrbi & toti Flaminiæ rebusq; in bellum administrandis præerat, reipublicæ nomine esset: ita enim Iulius petierat. Eodem tẽpore ab legatis Patauio Senatus iussu equites leuiores CC. cum militibus CCCC. Leonardo Apulo & Meleagro Foroliuiensi ducib. in Rhodigianos fines missi: & triremes nothæ duæ, atq; vna leuioris generis, cui Franciscus Cornelius Georgij filius præerat, Hostiam appulerunt, deindeq; cum reliqua se classe Centumcellis coniunxerunt. & Hieronymus Contarenus, vexillo cum clauibus & corona triplici ab Iulio cupidè ad se misso, vt ea sui etiam iuris esse classis videretur, vnà cum vexillo reipublicæ Patribus permittentibus deinceps est vsus cum fœderis præfecti nomine: Frãcumq; Ghibertum vnum ex ijs, qui ærarij Romani causas administrant, quem Iulius præfecti socium esse voluit, vt ita maximè ei classi suam autoritatem impertiret, apud se sua in triremi habuit. Eum Ghibertũ cùm Iulius in collegio Cardinalium ad id munus publicè legeret, ad Gallos Italia expellendos, remq; Venetam iuuandam, sese legere palàm dixit. Post hæc ad Contarenum misit, vt classem Hostiam adduceret: quam cùm diligenter inspexisset, ampliterq; probauisset,

habuiſſet, vini Corſi carros ſexdecim, boues ſexdecim (tot enim erant naues) hircos genitalibus deſectis bis totidem, panis cum ſemel cocti tum bis cocti magnum numerum ei dono in claſſem miſit: cumq́; ea claſſe poſtridie ſua in triremi Centumcellas eſt profectus. Eo deinde Viterbium petente, *Contarenus ſuos remiges ſociosq́; cùm tentari valetudine videret, per Senenſium portus, qui eo in tractu maris ſunt, quosq́; vltrò ciuitas ob veterem in rempub. beneuolentiam ei obtulerat, claſſem circunduxit.* Iamq́; *ab Iulij exercitu arce Lugiana vi expugnata,* Vaſconibusq́; *ducentis, qui in ea erant, interfectis,* Mutina *oppidum, ne poſtea grauiora perpeti cogeretur, eius ſe miniſtris, qui illò copias conuerterant, certis conditionibus interpoſitis tradidit.* Et Marcus Antonius Contarenus, *vt erat ei à Senatu imperatum,* Pado *ſubuectus* Rhodigianos *ad deditionem compulit.* Mocenicus *quoq́; legatus, qui ſe cum* Citolo *Peruſino & equitibus leuioribus perplurimis in Alpes intulerat, vt* Ciuidale Belunianum *expugnaret (quæ ciuitas in Maximiliani partibus obſtinatè* Ioanne Diedo *altero legato antea cum copijs eò miſſo ſe continuerat) muro tormentis perforato, cùm ſe milites vellent intromittere, nulla ſpe oppidanis reliqua ſe tuendi, ne vrbs honeſta diriperetur,* Citolo *adiuuante illos continuit, & pacatè oppido eſt potitus.* Poſt hæc & *qui in Alfonſi fines ſe intulerant reipublicæ præfecti, omnia ferè earum regionum oppida caſtellaq́; in ſuam poteſtatem redegerant: &* Iulianæ *item copiæ captis municipijs eo ab latere quæ erant, magna ex parte,* Ferrariam, *cui vrbi appropinquauerant, iamiamq́; irrumpere ſe poſſe confidebant.* Grittus *verò &* Capellus *legati Senatus permiſſu* Patauio *cum exercitu egreſſi, non*

Vicetiam modò reliquaq; finium eorum municipia nullo negocio receperunt, sed hostes etiam qui se in Veronæ finibus nostros veriti, aquarum deriuatione atque aggeribus communierāt, ad vicina eis loca motis castris in oppidum compulerunt. quo in itinere præmiſsi equites leuißimi, vt illos laceſſerent, non ſemel & prædam & cædem fecerunt, & captiuos abduxerunt. Patres interim Laurentium Ceretanum omnibus suis militibus præfecerūt, & Naldio Fauentino penſionem annuam librarum auri quinq;, quoad viueret, persolui mandauerunt. Dum hæc administrarentur, cum Ioanne Franciſco Gambara homine inter ciuitatis Brixianæ principes claro, qui anno ſuperiore turmæ equitum reipublicæ præfectus ob ſimultatem, quā cum vno ex Lauredanis ciuibus Venetis grauiter ab eo offenſus exercebat, in clade exercitus ad Gallos hoſtes ſua cum turma tranſierat, atque ab rege ſtipendio accepto in eius exercitu poſtea contra rempubl. ſemper fuerat, Cardinalis Papienſis per ſuos internuncios clàm ad eum miſſos egit, vt darè operam vellet efficereq;, ſua vt ciuitas ad rempubl. rediret. Ille autem cui quidem Gallorum imperij valde iam pertæſum eſſet, ita ſe rem facturum eſt pollicitus, ſi reſpublica eum ſibi apud ſe gratiæ locum, quem habebat ante cladem, reſtituat. Ea de re Cardinalis Iulium certiorem facit. Iulius per Donatum legatum à Senatu poſtulat, vt ſuam fidem Ioanni Franciſco det, fore vti ipſemet conſtituiſſet, ſi reipublicæ Brixiam tradiderit: addiditq; habere ſe etiam, qui ſint Parmam ſibi oppidū iiſdem artibus tradituri: itaque ſperare ſe breui Gallos Italia eiecturum. Donati literæ iis de rebus ad Senatum perlatæ magnam in ſpem belli celeriter conficiendi Patres erexerunt:

sunt: itaque Senatusconsultum factum est, de Ioanne Francisco Gambara ita fore, vti ipse cōstituisset, si Brixiam reipublicæ restituat: suam ei fidem Iulius interponeret, Senatus illam omnibus numeris seruaturum: magno silentio imperato, ne quid eius sciri posset. Iidem Patres Iulio permittente literas ad Franciscum Mantuanorum principem dederunt, velle se imperium reipublicæ copiarum ei tradere: mitteret ad vrbem suum hominem, qui cum res transigi posset. Triultius inter hæc Brixia Mediolanum proficiscens propter Heluetiorum in Gallici regis fines impressionem, tormenta ibi quæ erant, secum vt ferrentur, imperauit. Heluetij autem cùm ad Abduæ fluminis è lacu Lario exitum Galli eis occurrissent, binis eos cladibus affecerant. Legati reipublicæ non longè à Verona, qui erant certiores facti hostes in timore esse, neque satis sibi confidere: cùm non longius ab eorum castris passuum sex aut septem millibus abessent, singulis cēturionibus et equitum præfectis appellatis interrogatisq́;, vellentne atque auderent cum hostibus confligere: atque ab omnibus responso alacriter dato, nihil se malle, quàm pugnare, atque ab ipsis periculum de sua virtute fieri, communi consensu statuerunt illos aggredi: itaque præmissis equitibus leuioribus sexcentis, qui hostes morarentur, castra enim iā mouerant, subsequi ipsi omni cum exercitu cœperunt. Equites suam operam legatis præstiterunt. quòd si illi etiam in eo, quod constituerāt, perstitissent, bellū confici eo die pro fectò poterat: fusis enim fugatisq́; ijs, quod erat sanè per facilè (nam propter Gallorum abitum, qui partim Ferrariam, partim Mediolanum recesserant, ad non magnum re dacti erant numerum) neq; Verona, neq; Brixia, neque re-

liquorum oppidum vllum in hostium manere partibus perseuerauisset. Verumenimuero fortuna, quæ reipub. inuidere nō desierat, Lucij, qui exercitum regebat, animū secordia infecit, vt ille sæpe suos in itinere aliam atque aliam ob causam inanem quidem atque futilem remorando tempus teruerit, dum hostes se in oppidum reciperēt: quos tamen iidem equites consectati, tantum eis formidinis iniecerunt, vt qui intrauerant, portæ pontem erigentes viginti quatuor ex suis oppido excluserint: quos nostri captiuos fecerunt, Epirotamq́; vnum, qui se cum hostibus iniecerat, amiserunt. Domi autem Henrico Britanniæ regi per literas petenti, vt arcuum millia quadraginta ex vrbe asportare suis hominibus liceret: etsi id contra leges erat, Senatus tamen ob veterem cum rege beneuolētiam de media eius numeri parte permisit. Atque vt cum pacatæ rei memoria huic decimo meorum commentariorum libro finis imponatur, Decemuiri cùm viderent in magistratibus, qui remp. in Senatu procurant, nullum discrimen collegarum fieri, legem sciuerunt, nemini esse in eis magistratibus licere, cui esse in illis magistratibus, quos comitia declarant, propter propinquitates affinitatesq́; non liceat.

PETRI

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. XI.

Veneta classis cum Pōtificijs copijs tertiò Genuā petit,& cum Gallica congreditur ac re infecta redit. Pontifex Bononiam se confert, eiusq; in Alphonsum bellum. Veneti Veronam oppugnant, & obsidionem soluunt. Veneta classis in Alphonsum missa frangitur. Altera classis in eundem mittitur, resq; terra inter eosdem gestæ. Gallorum prope Montanianum clades. Franciscus Mantuæ princeps, Veneti ac Pontificij exercitus imperator declaratur. Lex de ambitu Venetijs lata. Venetorum in Tesinum regionem excursio. Pōtifex Gallis igni & aqua interdicit. Reip. & Iulij exercitus cōtra Alphonsum coniunguntur,eorumq; res gestæ. Exercitus iterum Veronam mittitur, indeq; re infecta recedit. Concordia à Venetis capitur. Infans biceps in vrbe natus. Gallorum ad Setiam clades. Mirandula à Iulio capitur. Idemq; Mutinā Maximiliano tradit. Alphonsus Iulij exercitū fundit. Venetijs & in imperio terra tremuit. Concordia à Gallis recuperatur. Bononia à Gallis & Bētiuolis capitur. Veneti prope Bononiam à montanis hominibus fracti. Alidosius Cardinalis à Franciscomaria trucidatur. Iulij in Bononienses edictum. Concilium Pisis indicitur,& ad id Pont. vocatur. Variæ in Carnis pugnæ. Venetorum prope Veronam clades. Taurisum miro artificio munitur.

IVLIVS *à Centumcellis per Aureliam proficiscens, Genuensium ciuitatis à Galloru̅ imperio auertendæ cupiditate in dies magis ma*

gisq; ardens, Corytum profectus est, ibique in littore cum præfecto classis Venetæ Contareno, quam quidem classem illò adduci iusserat, hilariter pransus, classiarijs ferè vniuersis se adeuntibus mira facilitate ad pedis osculum admissis, & militibus quatercentum in triremes impositis, iterum ei, vt celeriter in Liguriam contenderet, imperauit: qui confestim Populoniam se contulit. Quoniã autem triremes Venetæ in Aegeo mari nauem magnã Genuensium mercibus onustam ceperant, per Donatum legatum, perq; suas literas à Senatu petijt, vt eam nauem Genuensibus restitueret, eo illos munere lenire cupiens. Patres seruatam apud Corcyrenses nauem omnibus cum mercibus Genuensium internuncio tradi mandauerunt. Iidem Patres, quòd Lucij timore atq; ignauia hostib. elapsis pulcherrimam Veronæ capiendæ occasionem turpiter amiserant, indignabundi de Iulij consilio, qui Romam redierat, Franciscum Mantuanorum principem suarum copiarum omnium imperatorem faciunt, eodem ferè Senatusconsulto, quo antea quã honorificentißimo fecerant. Is cùm imperium nõ modò libentißimè, sed etiam hilariter, vt videbatur, accepisset, deq; eo immortales gratias Senatui egisset, seq; ad exercitum atq; ad legatos breui iturum recepisset, dum equites cogere, dum comparare sese per literas perq; suos interpretes ad vrbem sæpe missos certiores Patres facit, cùm etiam contra priorem animi sui alacritatẽ Senatusconsulto non cõtentus, duriores reip. conditiones interponit, pedem Mantua nusquã protulit. Interim Troilo Sabello, de quo suprà dictum est, equites grauioris armaturæ centum, leuioris qui sagittis vterentur alteri totidem à Senatu traditi: Thracisq; hominis, qui equites leuissimos

simos

ſimos ducentos in Epiro paratos habebat, oblatio accepta vt reip. militiã facerent, auri ſemuncia ipſis ſingulis in menſes ſingulos, eorum præfectis vncia cum ſextante in ſtipendium conſtituta: iuſsiq́; quamprimum conſcendere. In Foroiulienſibus autem cùm hoſtes cogi, vt in eos impetum facerent, vndequaq; dicerentur, Ioannes Viturius, vir magni animi, qui in Sacilienſibus magiſtratum gerebat, ad illos legatus eſt à Senatu miſſus. Iulius iterum Roma per Flaminiam profectus à Spoleto in dexteram flectens, ad templum Lauretanum ſe contulit, ibiq́; in Virginis ædicula ſacris à ſemet peractis, Anconam venit, vt Bononiam ad bellum, quod cum Alfonſo gerebat, adminiſtrandum procederet. Legati Veneti & Lucius præfectus in campis Martinianis recenſo exercitu, tormentisq́; à Lactantio, qui eorum curam gerebat, ad Veronæ muros poſitis, eos deijcere oppidi capiendi ſpe adoriuntur. Id cùm dies aliquot feciſſent, partemq́; non paruam diruiſſent, quòd mons difficultatem magnam dabat, aggredi omnibus copijs atq; irrumpere non ſunt auſi, cùm id facere debuiſſent: milites enim & audebant quæ proponebantur, & quæ imperabantur obibant magno animo: ſed inerat in Lucio incredibilis omnium rerum, etiam non magnopere timendarum, ſuſpenſio animi, & cordis gelidus quidam pauor, qui eum retinebat, ne quid egregium atq; altum auderet: quem tamen timorem verbis & prudentiæ ſimulatione tegebat, vt non facilè appareret, vtrum timidior, an prudentior eſſet. In ea oppugnatione dum tempus terunt, hoſtes ex oppido prima luce repentè egreſsi ad tormenta configenda, quæ indiligenter cuſtodiebantur, conuolauerunt: nam Lactantius pridie eius diei pilæ iactu in femore percuſſus, curando

vulneri Patauium se perferri voluerat: paruoq; negocio repulsis qui aderant, quod intenderant assequebantur: cũ Citolus, clamore fugientium audito, è tentorio ita, vt erat, sine galea cum suorum paucis accurrens, repellereq; illos aggressus in medium eorum agmen imprudens se iniecit, atq; ibi vulnere in capite accepto, tellure prostratus confossusq; interijt. ita Veneti duos longè reliquis præstantiores præfectos militum viros, quorum virtuti legati exercitusq; omnis summopere confidebant, bidui spatio amiserunt. Lactãtius enim suo ex vulnere paucis pòst diebus est mortuus. Citolo interfecto eius milites ad vindictam incitatiores facti, accurrente reliquorum globo hostes à tormẽtis repulerũt, interfectis circiter quadraginta, & quæstore Germanorum militum, captis ad quinquaginta cũ præfectis tribus: quorum ex numero Franciscus Maldonatus Hispanus fuit, qui quidem Venetias est perductus. Rebus ita se habentibus cum nihil proficere muris Veronæ verberandis legati se cognoscerent, & Galli equites peditesq;, qui auxilio inclusis à Mediolani præfecto mittebantur, iam ad Benaci lacus deriuationem Minciumq; peruenissent, atq; è Germania appropinquare manus à Maximiliano iussæ dicerentur, tormentis præmissis ad pagũ Martinianum exercitum reducunt. Oppido obsidione liberato, milites Hispani & Germani, in eo qui erant, octingenti in Pantænæ vallis vrbi proximæ incolas, propterea quòd amicè nostros omnibus rebus iuuerãt, eam iniuriam vindicatum egreßi se inferebant: qua intellecta re equites trecenti, Ioanne Græco duce, ad illos sustinendos properè à legatis missi, eos omnes fuderunt, fugatos vsq; ad montis Feliciani cacumen insequuti partem interfecerunt, partem

captiuos

captiuos abduxerunt circiter ducentos. In Ligustico verò *mari iisdem ferè diebus non longè ab Genua classis Iulij et reip. triremium XV. classisq; Gallica magnarum nauium & triremium XXV. propiores factæ, atq; in suas vtræque acies conspectis hostibus distributæ, cùm eiaculandis tormentorum pilis duarum horarum spatio se lacessere perse uerauissent, coorto vento abductæ in diuersa abierunt: & quòd oppidum magnæ Gallorum introductæ copiæ tutissimum reddiderant, Contarenus omni commeatu consumpto infectis rebus Populoniam rediit: triremesq; duæ nothæ ab Senatu è Corcyra ad Contarenum missæ, cum eius se classe coniunxerunt: tum quæ nauiculæ vrbanæ in Iulij gratiam Pado subuectæ, Alfonsi ab eius exercitu alio ab latere vapulantis damna atq; molestias adaugebant, earum partem Alfonsus ipse, cum equitibus Gallis Italisq; sexcentis, militibus duobus millibus traiecto repentè flumine, vacuam hominibus (fugæ enim sese dederant) cepit: reliquas ipsi Veneti, ne hostes illis potirētur, incenderāt. Hatrianos etiam itemq; Rhodigianos reliquaq; eorum locorum municipia, fugatis magistratibus recepit Leonardus Apulus: cæteriq; equites elusis locorum cognitione & celeritate sua hostibus, Montanianum se contulerunt. Senatus nonnihil ab Alfonso, quem ipsa hostium vel fortuna vel indiligētia tuebatur, atq; ab Gallis metuens, legatis collaudatis, quòd Verona exercitum abduxissent, vti tormenta Patauium mitterent, imperauit. Iamq; in Leonicænos se exercitus receperat, cùm intellecta propter Alfonsi prosperas res Leonardi Apuli & reliquorum equitum fuga, Grittus legatus cum equitatu Montanianum profectus, & incolas illarum finium omnes, & municipes ipsos, quos inopi-*

natus hostium timor inceßerat, opportuno aduentu atque auxilio confirmauit. Patres vt amissæ in Pado classiculæ damna dedecusq; sarcirent, nauiculas centū biremesq; aliquot celeriter armari, & earum nomine latißimo præfectū in Pado flumine, quod nunquam antea factum meminerāt (id enim nominis ad illum vsq; diem bella tantum in mari exercenda sibi vendicauerant) creari statuerunt: lectusq; Ioannes Maurus egregia virtute, nauiter ad suum munus obeundum se dedit. Audita Venetorum equitum & magistratuum fuga, Gallici equites & milites, Leminiaci qui erant, Athesi traiecto vt cum Alfonsianis se coniungerent, atque in perturbatos impetum facerent, Montanianum cum tormentis muralibus duobus oppidi capiendi spe se conferebant. Ea re per agricolas opportunè cognita, mißi confestim ab legatis præfecti equitum tres bona cum manu medio ferè in itinere hostibus aduentantibus occurrunt, eodemq; temporis puncto cum longè maxima suorum parte pugnam ineunt: & reliquis, vt pontem, qui non longè aberat, eratq; hostibus in reditu transeundus, rescindant, ad intercludendum eis abitum si superarentur, imperant. ab ijs ponte rescißo, hostes ab reliquis intercepti cùm se trium propè horarum spatio acriter fortiterq; defendissent, demum superantur, atque in fugam versi transitu pontis impedito, omnes ad vnum vel cæsi vel capti sunt, equites optimi nominis C L. pedites primorum ordinum C C C C. & capti omnes Venetias perducti custodiæq; traditi centum & decem. Eius cladis fama celeriter percrebrescente, municipia quæ Veneti amiserant, propè omnia recepta sunt, vt amplius triduo in hostium potestate non fuerint. Iisdem diebus Episcopus Moloponitanorum

tanorum Iulij legatus ad vrbem venit, vt apud Patres *moram traheret, communemq́; rem eius nomine autoritateq́; iuuaret*. *Ipse Iulius* Bononiam *sacris præeuntib. introierat*. Eo *magnopere adnitente, qui* Ludouicum Francisci *Mantuanorum principis filium obsidis loco apud se habebat, post plerasque interpositas à patre satis quidem duras atque illiberales & stipendiorum & reliquarum rerum conditiones, quæ eius animum ab vxore deprauatum ostendebant, tandem alterum Senatusconsultum factum est, quo per quinquennium idem imperium est ei traditum cum stipendio librarum auri quingentarum in annos singulos, dum ipse equites grauioris armaturæ tercentum quinquaginta, leuioris centum, milites ducentos belli tempore paratos habeat: resq́; publica omnia eius ditionis incommoda omnibus ab hostibus se præstaturam pollicebatur. pauloq́; pòst illius familiari* Vico Patauino *homini, quo is pluries ijsdem de rebus internuncio apud* Patres *vsus fuerat, equites leuis armaturæ centum attributi*. Ob Citoli Lactãtijq́; *interitum milites non pauci ex illorum ordinibus nulla abeundi facultate sibi permissa, sigillatim ab exercitu discedebant: quod quidem factum nonnulli reliquorum tribunorum & centurionum milites imitabantur: quamobrem edictum est ab legatis propositum, vt qui non missi abitum parauissent, omnibus in reipublicæ locis caperentur, & armis exuerentur, ignominiaq́; notarentur. ea res ei licentiæ opportunum remedium fuit. Cæterum cùm ex* Alpibus *certis autoribus afferretur* Germanorum *manus comparari, vt reipublicæ municipia in primis iugis inuaderent, quibus captis ac direptis in planitiem descenderẽt,* Sigismundus Caballus *est ad ea loca cum copijs ab legatis*

contẽdere iussus præfecti nomine. Frãciscus *imperator* Bo*noniã ad* Iuliũ *profectũs hilariter ab illo exceptus est, imperatorq́; Romanæ etiã reipub. dictus.* Galli,*qui ad* Mincium *venerant,vti suprà dictum est,ad* Alfonsum,*vt ei auxilio contra* Iulium *essent, se contulerunt.* Legati, *vt* Iulio *satisfieret, equites grauiores ducentos & quinquaginta, leuiores ferè totidem,milites mille in* Alfonsi *fines intromiserant:* Maurusq́; *claßis præfectus cum nauigiolis plurimis & biremibus aliquot, cumq́; triremibus tribus, quæ ab* I*stris &* Dalmatis *ad illum venerant,* Padum *flumen ingredi damnis* Alfonso *inferendis est à* Senatu *iussus.* Inter *has belli cogitationes rei etiam pacatæ, quæ malum in exemplum inuerecũdiæ ciuiũ impudentiæq́; vertebatur,* Patres *animum adhibuerunt.* Nam *cùm in creandis magistratib. ambitus eo anno magnopere viguisset, vt prensandis ciuibus,qui suffragia in comitio daturi essent, à candidatis et candidatorũ propinquis clientibusq́; nullus modus fieret, nulla eos modestia contineret,lex est in* Decemuirûm *collegio perlata, qui deinceps ciuis ciuem rogauerit, vt sibi aut alicui suorum in dando suffragio fautor sit,is ad vllum magistratum, aut omnino reip. in comitio munus* X. *annos ne admittatur,& si in magistratu fuerit, ab eo reijciatur: cui autem rogari se contigerit, is rogatoris nomen ad* Decemuiros *deferat: id si non fecerit, quinq́; annos eandem mulctã subeat.ita magnæ ciuium molestiæ à* Patribus *obuiam est itũ.* Iußi *etiã sunt* Dominicus Triuisanus *tẽpli* Marcij *procurator,*Leonardus Mocenicus, *legati ad* Iuliũ *à* Senatu *pridem lecti,vt statim conscenderent,* Rauẽnámque *proficiscerentur, vt* Bononiam *se conferrent.* Literæ *post hæc ad legatos* Grittum & Capellum *datæ, vti alter*

eorum

eorum cum exercitus parte in fines Rhodigianos *atq; ad* Padi *ripas accederet, vt quantum posset* Alfonso *noceret. ita factum à* Paulo *est, cùm id illi muneris sorte ducta obtigisset.* Maurus *claßis præfectus cum triremibus tribus* Padi *ostium, qui* Vatrenus *appellatur, ad triremes ex* Venetorum *classe iampridem capta duas, quas* Alfonsus *suis hominibus armauerat, ibiq; continebat, atq; ijs qui itinerũ causa mare illud exercebant, multa damna intulerat, capiendas aut omnino repellendas est ingressus, frustrà: illi enim siue admoniti, seu etiam casu, ad superiora sese fluminis iã receperant.* Senatus *interim ad pecuniã belli rebus subministrandã, cuius magnopere indigebat mediam vnius censi partem ciuibus imposuit, certis conditionibus, quo facilius ea ipsa pars exigeretur, adhibitis.* Paulus *autem legatus cũ se* Figariolum *in* Padi *ripa castellum, quod supra* Ferrariam *est millia passuum* XII. *cum exercitu contulisset, tormentis positis dirutaq; porta,* Alfonsi *milites in eo qui erant, paucarum horarum spatio ad deditionem compulit: alterumq; item in fluminis ripa è regione castellum fugatis hostibus cepit: ijsq; captis equites leuißimos flumen traiecit, qui celeritate vsi & prædas abegerunt, et agrum illum omnem fuga terroreq; impleuerũt.* Diuersa *quoq; à belli parte* Ioannes Delphinus Feltriæ *magistratus cũ ijs quas habebat copijs, & agricularum manu complures in* Alpibus *hostium pagos repentè aggressus, in regione quæ* Tesinus *appellatur, eos planè omnes, qui quidem erant rebus plurimis & ad commeatum & mercaturam exercendam refertißimi interfectis aut fugatis incolis incendit, omniq; uastitate regionem fœdauit: vt damna atq; incendia, quæ ij* Feltrinis *intulerant, propè ex æquo vindicarit.* In Istris

quoq; nonnihil incommodi per illos dies & acceptum & illatum est. Sed vt ad Padum flumen reuertamur, Paulus legatus pontem in eo facere cùm vellet ad exercitum traijciendum, vt se cum Iulij exercitu coniungeret (quod quidem vt faceret, Iulius ab eo per literas diligentißimè petierat) ab vxore Frãcisci impeditus, quæ naues retinebat, destitit: quingentos tamẽ equites leuißimos cum præfecto eorum Federico Contareno traiecto in nauibus flumine obuiam imperatori misit, vt Mantuam redire tutius posset. Galli enim hostes haud longißimè aberant: quos etiam vnà cum Alfonso eò venturos, impetumq; in se facturos, non vanis literis nuncijsq; cognouerat. Maurus sub hæc à Paulo admonitus reip. interesse, vt ad sese cum minorum nauigiorũ classe quã citißimè accederet, quatuor nauibus Hatriani municipij, vbi tũc erat, auxilio relictis, cum nauigijs reip. L. reliquis priuatorum hominum propè C C. superato flumine, nullo ab hostibus, qui in ripis se ostendebant vt eũ impedirent, detrimento accepto, ad illum se contulit, animum alacritatemq; exercitui, qui timere multa & cauere cogebatur, aduentu suo spe omnium celeriore afferẽs. Paucisq; post horis cùm nuncij Paulo venissent, Franciscum imperatorem vnà cũ Federico Contareno ad vicum Sermenẽ, qui est in Padi ripa Figariolo proximus, suos se in fines retulisse, ad illum profectus communicatis de bello inter se cõsilijs, sua in castra redijt: ille Mantuam, vt suos equites militesq; cogeret, multa pollicitus, multa spe concipiens, vt inquiebat, se recepit. Attulerat imperator secundas Iulij literas legato, quas in itinere acceperat, quib. ab eo Iulius multò impẽsius petebat, vt copias reip. traiecto celeriter flumine cum suis copijs coniungeret: Gallos enim hostes magna

cum

eum manu, quam omnibus è locis euocauerãt, ſuum in exercitum velle impetum facere, quæq́; ipſe de Alfonſi oppidis ceperat, expugnare decreuiſſe, non obſcurè cognouerat. Legatus eas literas ad Senatum miſit, petens, vt iuberẽt Patres, quid ſe vellent facere: nihil enim tantis de rebus Senatu non conſultu ſe auſurum: interea tamen quæ ad traijciendum opus ſint comparaturum, & curaturum vt ſi ipſi iuſſerint, nulla traiectui mora interponatur. Patres nõ his modò à Paulo, ſed etiam à Hieronymo Donato et Triuiſano ac Mocenico, qui iam Bononiam ſe contulerãt acceptis eadem de re literis, Senatu coacto Iulio ſatisfieri oportere legem ſciuerunt: Senatusq́; conſulto Bononiam ad legatos miſſo, vt tranſitũ maturaret Paulo mandauerunt. Ad Grittum etiam literas dederunt, vt ad Paulum augẽdis eius copijs equites grauiores ex ſuis centum, leuiores CC. confeſtim mitteret. Pecunia etiam à Senatorum nõnullis mutuò, quæ Mantuam in ſtipẽdium imperatori mitteretur, Patribus eſt tradita: tum ab iiſdem Patribus frumenti ſtaria ducenta in ſanctiores monachorum ſocietates diſpartiẽda dono data, vt in eo rerum diſcrimine Deo opt. maximo pro Iulio proq́; rep. preces facerent. Paulus dum conficiendo ponti ſeſe dat, eundem Federicum cum equitibus ſeptingẽtis properè Bononiam præmiſit Iulij auxilio, ſeq́; cũ exercitu confeſtim ſubſequuturum & breui affuturum confirmauit. Donatus enim & reliqui legati duo certiorem illum fecerant, omni à Gallis arte procurari, vt cum Iulio fœdus ineãt, auertendi eum à reip. tuendis rebus cauſa. Imperatore interea moras omnes interponente, vt quod primũ atq́; maximũ Paulo promiſerat, ſe ad eum celeriter venturũ, id nõ ambiguè differret, ac nulli omnino vſui Iulio aut reip.

velle esse videretur statuisse, Patres de eo admoniti consulto Senatu Franciscum Capellum *eius familiarem ac necessarium, qui erat in Senatu, illa ipsa hora contendere ad imperatorem iusserunt, monereq; illum ne vlterius expectari sese tam opportuno atq; etiam tam necessario reipub. tempore patiatur: publicam omnium salutem in eo positam, ipse se ad exercitum statim si conferet, munusq; obierit, ac fidem præstiterit suam.* Franciscus *nondum dimisso Senatu apertis sibi vni foribus* Mantuam *est profectus. Dum hæc administrantur,* Galli *castella quædam in* Alfonsi *finibus ab* Iulianis *capta acriter aggressi recipiunt: incursionibúsque in* Bononiensem *agrum atq; vsque ad oppidum factis magnum timorem* Iulio *incutiunt, vt iam, quid se præstet facere, planè nō dispiciat.* Augebat *eum timorē, quòd* Bentiuoli Gallis *adiuncti,* Bononiensium *ciuium factionem excitatum iri haud ambiguè putabantur, vt & ad portas, & ipso in oppido* Iulius *hostes vno tēpore esse habiturus videretur: qui quidem quoniam febribus aliquot iam dies tentabatur, nullam propè legatis* Venetis *se adeundi facultatem dabat: tametsi etiam à* Francisco Alidosio Cardinali, *qui* Iulij *nomine ciuitatem regebat, & Gallis maximopere fauebat, studium per cubicularios adhibebatur, ne alloqui illum possent.* Ponte *confecto, & parato ad traijcēdū exercitu,* Maurus *classis præfectus, cū eodē* Padi *alueo, quo venerat, reditum sibi ab* Alfonso *tormētis in ripa fluminis non vno in loco collocatis aut omnino interclusum, aut plurimis maximisq; periculis propositū uideret, superato reliquo vsq; ad* Castellū Nouū *flumine, traductisq; ripam nauibus, ac per cāpos aquæ plenos ob intersectas* Athesis *ad* Lemniacum *à* Gallis *ripas decem millibus passuū*

confectis

confectis, classem ducentarum nauium in Athesim ad Caudam vicum incolumem perduxit; deinde prono flumine ad fossiones Philistinas sese recepit. Aliquot ex ea classe naues, quæ quòd maiores erant alijs, ripam traijcere non potuerant, Mincium se in flumen, deinde Mantuam contulerunt. Expectauerat Paulus legatus per eos dies imperatorem, qui iamiamq; se affuturum pollicitus fuerat, vt vnà traiecto flumine quò vellet Iulius proficiscerentur. Ille verò causis moræ post causas non ita cautè interpositis, quin falsò quæsitæ agnoscerentur, neq; se in viam dabat, neque suos equites militesq; ad illum mittebat, neque verò etiam Franciscus ab Senatu ad eum excitandum missus quicquã proficiebat. quamobrem ne à Patribus reprehendi posset, mandata reipub. tanta de re tam angusto tempore differẽs, pridie Cal. Nouembrium Paulus Padum exercitum traduxit. Vno tempore ea de re Iulius nuncios accepit, & Fabritius Columna vir egregiæ virtutis, quem Ferdinandus Hispaniæ Rex cum trecentis equitibus ex Neapolitanis finibus ad Iulium mittebat, vt ei auxilio in Ferrariensi bello esset, cũ expeditioribus ad illum venit, reliquis bidui post se interuallo in itinere relictis, quæ duæ res ita Iulij animũ exhilarauerunt, vt febris eũ continuò reliquerit: itaq; confirmatior factus edictum proposuit, quo edicto Gallorum præfecto, qui magister magnus appellabatur, reliquisq; Gallis igni & aqua, sacris conceptis verbis, interdicebatur, si deinceps Alfonsi causam vlla ex parte tuerentur: idq; impreßis publicè tabulis vulgari iußit. Imperator domi sedens, Paulum legatũ traijcere admonitus, insesso equo cũ suorum paucis ad Stellatam vicum, vbi se ille continuerat, totius exercitus traiectum operiens, ad eum venit, atq; vnà

velle esse videretur statuisse, Patres de eo admoniti consulto Senatu Franciscum Capellum eius familiarem ac necessarium, qui erat in Senatu, illa ipsa hora contendere ad imperatorem iusserunt, monereq́; illum ne vlterius expectari sese tam opportuno atq; etiam tam necessario reipub. tempore patiatur: publicam omnium salutem in eo positam, ipse se ad exercitum statim si conferet, munusq́; obierit, ac fidem præstiterit suam. Franciscus nondum dimisso Senatu apertis sibi vni foribus Mantuam est profectus. Dum hæc administrantur, Galli castella quædam in Alfonsi finibus ab Iulianis capta acriter aggreßi recipiunt: incursionibúsque in Bononiensem agrum atq; vsque ad oppidum factis magnum timorem Iulio incutiunt, vt iam, quid se præstet facere, planè nõ dispiciat. Augebat eum timorẽ, quòd Bentiuoli Gallis adiuncti, Bononiensium ciuium factionem excitatum iri haud ambiguè putabantur, vt & ad portas, & ipso in oppido Iulius hostes vno tẽpore esse habiturus videretur: qui quidem quoniam febribus aliquot iam dies tentabatur, nullam propè legatis Venetis se adeundi facultatem dabat: tametsi etiam à Francisco Alidosio Cardinali, qui Iulij nomine ciuitatem regebat, & Gallis maximopere fauebat, studium per cubicularios adhibebatur, ne alloqui illum possent. Ponte confecto, & parato ad traijcẽdũ exercitu, Maurus claßis præfectus, cũ eodẽ Padi alueo, quo venerat, reditum sibi ab Alfonso tormẽtis in ripa fluminis non vno in loco collocatis aut omnino interclusum, aut plurimis maximisq́; periculis propositũ uideret, superato reliquo vsq; ad Castellũ Nouũ flumine, traductisq́; ripam nauibus, ac per cãpos aquæ plenos ob intersectas Athesis ad Lemniacum à Gallis ripas decem millibus passuũ

confectis

confectis, classem ducentarum nauium in Athesim ad Caudam vicum incolumem perduxit, deinde prono flumine ad fossiones Philistinas sese recepit. Aliquot ex ea classe naues, quæ quòd maiores erant alijs, ripam traijcere non poterant, Mincium se in flumen, deinde Mantuam contulerunt. Expectauerat Paulus legatus per eos dies imperatorem, qui iamiamq; se affuturum pollicitus fuerat, vt vnà traiecto flumine quò vellet Iulius proficiscerentur. Ille verò causis moræ post causas non ita cautè interpositis, quin falsò quæsitæ agnoscerentur, neq; se in viam dabat, neque suos equites militesq; ad illum mittebat, neque verò etiam Franciscus ab Senatu ad eum excitandum missus quicquã proficiebat. quamobrem ne à Patribus reprehendi posset, mandata reipub. tanta de re tam angusto tempore differẽs, pridie Cal. Nouembrium Paulus Padum exercitum traduxit. Vno tempore ea de re Iulius nuncios accepit, & Fabritius Columna vir egregiæ virtutis, quem Ferdinandus Hispaniæ Rex cum trecentis equitibus ex Neapolitanis finibus ad Iulium mittebat, vt ei auxilio in Ferrariensi bello esset, cũ expeditioribus ad illum venit, reliquis bidui post se interuallo in itinere relictis, quæ duæ res ita Iulij animũ exhilarauerunt, vt febris eũ continuò reliquerit: itaq; confirmatior factus edictum proposuit, quo edicto Gallorum præfecto, qui magister magnus appellabatur, reliquisq; Gallis igni & aqua, sacris conceptis verbis, interdicebatur, si deinceps Alfonsi causam vlla ex parte tuerentur: idq; impressis publicè tabulis vulgari iussit. Imperator domi sedens, Paulum legatũ traijcere admonitus, insesso equo cũ suorum paucis ad Stellatam vicum, vbi se ille continuerat, totius exercitus traiectum operiens, ad eum venit, atq; vnà

Mutinam versus diem vnum omnes processerunt. *Ea verò nocte quæ est diem illum subsequuta, ab vxore per literas vt aiebat, certior factus*, Gallos, qui Veronæ erant, *in eius agrum populationem et cædes fecisse, ædificia combußisse, prædas abegisse*, Paulo *conuento ad sua tuenda redire se domum velle ei denunciauit. atq; ita, cùm legati preces, &* Iulij *atq; reipub. maximorum erga se promeritorum commemoratio, & sui nota nominis, quam quidem notam atq; calumniam accepto ab vtroq; stipendio eorum causam tali tempore deserens, erat magnam indelebilemq; subiturus, nihil apud ipsum valuissent*, Mantuam *redijt*. Erat Brixiæ *in* Ioannis Francisci *Gãbaræ equitatu honesta conditione* Petrus Longena, *eius oppidi ciuis, qui indignans se arma ferre cõtra eam ditionem, sub qua natus altusq; annos triginta vixerat, coactò equitum idem sentientium numero, ex oppido profectus* Montanianum *ad* Grittũm *venit, vt militiã reip. faceret, orans obtestansq; se recipi: de eo* Gritti *literis certiores* Patres *facti*, Petrum Longenam *recipiẽdum, et præfecturã* LX. *leuiorum equitum ei dandam censuerunt. In comitio verò postridie eius diei* Marco Venerio, *qui pridẽ vulneribus in expugnatione* Monsiticẽsi *acceptis vsum propè manuũ amiserat, scribæ munus in prætura* Foroiuliensi *per quatuor magistratuum tempora dono datum, vt se alere familiamq; suam posset*. *Filijs aũt* Ludouici Michaelis, *quem* Carauagianæ *arcis custodem* Galli *captiuum fecerant, atq; in* Galliam *miserant, in triremibus reip. balistarũ loca decẽ, nobilibus adolescentibus dari solita, ad eorũ matrẽ seq; ipsos sustinendos item dono attributa*. *Inter hæc* Senatus *certior factus* Hispanos *equites, qui* Veronæ *erãt, à* Ferdinãdo Neapolim *reuerti iussos ab oppi*
do

do tuendo discessisse, literas ad legatum Grittum dedit, vt cum ijs quas habebat copijs Veronam contenderet: confidere se, si id celeriter faciat, posse ab eo vrbē propè vacuam recipi, præsertim si edictum proposuerit, nullius ciuis in remp. iniurias Senatum vindicaturum, ciuitatemq; immunem omnium onerū iubere esse, si ad remp. redeat. Quibus acceptis mandatis legatus, tametsi parum spei aleret, rem eum exitum habituram tam exiguo copiarum numero (cataphracti enim equites amplius quatercentis, milites amplius quatuor millibus non erant) idq; ipsum Senatui rescripserit, tamē accitis quamplurimis è vicinis locis operibus, et tormentis Patauio afferri imperatis, se ad iter cōparabat. De maritimis autem rebus vt ratio haberetur, impensisq; reip. modus fieret, Senatusconsultum factum est, vt Maurus classis in Pado flumine præfectus priuatorum hominū nauiculas, quibus non magnopere indigebat, missas faceret, triremesq; quas habebat leues retineret, Hieronymusq; Contarenus classis in mari supero legatus, qui Genua sæpius tentata, quòd ab Gallis hostibus largiter erat communita, nihil profecerat, vt Iulij missu Corcyram se reciperet, retentisq; apud se quatuor quas vellet triremibus, reliquas ad vrbem redire permitteret. Interim ab Iulij reiq; pub. exercitu Saxolum in Mutinensi agro ad Setiam flumē castellum arce atq; opere communitum tormentis positis, cùm à quatercentis propugnatoribus Gallis defenderetur, ardore militum per muros irrumpentium celeriter est captum. Ioannes etiam Delphinus Feltriæ magistratus in magnam hostium manum cum Alpium tractum depopulantē impetu acriter facto, maiorem eorum partem cæcidit, reliquos omnes fugauit: specusq; illud mōtanum, de quo antea

dictum est, quod Couolum appellant, compulsis timore ad deditionem ijs, qui in illo erant, recepit. Qua intellecta re, *vt ciuitati optimè de repub. meritæ, omnia perpessæ àb ho stibus damna, Patres grati essent, omnium tributorum immunitas, ea pecunia excepta, quæ ab illa in Principis salarium quotannis ad vrbem mittitur, municipio* Feltrinorũ *est ab Senatu dono data. Ab* Ioanne *quoque* Viterio *in Carnis hostes quatercenti è Goritia egreßi,* Sontiumq; *flumen transgreßi omnia uastantes, ita cæsi fugatiq; sunt, vt eorum plurimi timore se in flumen præcipitauerint.* Ea in re Aloisij Porti Vicetini *equitum leuiorum turmæ præfecti vir tũs plurima extitit.* Redierat Mantua per eos dies ad vrbẽ Franciscus Capellus, *retuleratq;* Patribus, *nullã esse in imperatore rei bene gerendæ voluntatem, nullam fidem: vxoris artibus eius animum delinitum:* Alfonso *illius fratri cupere omnia, neq;* Iulium *neq; rempublicam præ illo quicquam facere: fauere etiam* Gallis *plurimum.* Gritto *ad* Veronam *iterum obsidendam profecto, eæ sunt tempestates consequutæ, vt recedere, seq; ad* Suauium *municipium recipere, vt equites & milites sub tectis contineret, sit coactus.* Demum *intelligens* Veronam *communitiorem esse factam,* Montanianum *exercitum reduxit. qua re cognita iussus à* Senatu *est, equites quingẽtos, milites octingentos, ad* Rhodigianos *reliquaq; circa* Padum *eius regiones municipia tuenda & custodienda mitteret.* Iuliani *exercitus* Frãcisco Maria *imperatore et* Fabritio Columna *reliquisq; ducibus, qui erant* Mutinæ, *se non explicantibus,* Paulus *legatus ad oppidum* Concordiam *foßis atq; aggerib. cõmunitum suis cũ copijs accedens, tormentisq; eo vesperi collocatis, et verberatis prima luce muris, paucarũ id horarũ spa-*

cio

cio contra ſpem omniũ cepit:tanta tamq́; præſens militũ virtus fuit. Propugnatores,qui ab oppugnatione ſuperfue rant,in arcem repulſi,ſine mora ſe legato dediderunt. Atque ante eos dies in vrbe puer è plebe natus eſt cum duob. capitibus, quatuorq́; humeris & manibus, tum femorib. atq; pedibus quatuor, vt duo eſſe pueri vnà cõglutinati vi derentur, ſi corpus reliquum duplex habuiſſet. habebat aũt vnum tantũ cum renibus vnis tergoreq́; reliquo pe ctus:vixitq́; ſeſquihorã,vt Chriſtianæ aquæ ablutione non caruerit.Et Nicolao Triuiſano templi Marcij procurato re mortuo, Antonius Grimanus,quem ciuitas ab exilio re uocauerat,magno omnium ordinum fauore in eius locum ſuffectus eſt.atq; illa quidem in procuratione eo erat tem pore Antonius,cùm eſt exul factus:itaq; bis eam dignitatẽ eſt adeptus, quod nemini antea contigerat. annusq́; cũ iis ferè comitiis finem habuit. Prima verò ineuntis anni die, quòd Galli,qui ad Carpos municipiũ ſe receperant,in Se tiæ fluminis ripa, quod auctum imbribus tranſiri vado nõ poterat,ſingulis ſeſe horis oſtendebant, atq; à noſtris, qui trans flumen eam regionem tenebant,ita vulgò conſpicie bantur,vt etiam colloquia ex vtraq; ripa inter ſe haberẽt, Paulus legatus noctu ponte celeriter in nauiculis cõfecto, ſuarum copiarum partem cum Troilo Sabello bene manè flumẽ traiecit,atq; in primum Gallorum agmen, quod ad flumen veniebat,impetu facto,eos fudit fugauitq́;,interfe ctis captisq́; nõ paucis.Eo timore perculſis reliquis, nocte intempeſta vniuerſi Rhegiũ Lepidi verſus abierunt.Iulius ſuos duces nihil omnino amanter, nihil ex re agere cùm vi deret,omnes aũt moras,omnia impedimẽta ei bello inter ponere illos nõ ambiguè cognoſceret, vnum Capellum e-

iusq; fidem atq; animum summis laudibus prosequens, statuit se ad exercitum cõferre, vt Mirandulã oppidum munitißimum præsens oppugnaret: quo capto facilius posse se Ferrariam obsidere, suæq; ditiõis eam facere cõfidebat. tametsi illud etiã cogitauerat Iulius, cùm Ferrariæ appropinquauisset, se Hippolytum Cardinalẽ Alfonsi fratrẽ ad colloquium euocaturũ, qui fratrẽ hortaretur, vti bello finẽ imponeret, ne dãna vltima perpeti cogeretur: se ei, si vellet, Ferrariã habere permissurum, Mutina modò sibi Rhegioq; Lepidi cederet: quorum tamen oppidorum alterum se iam suum fecisse. quam quidem cogitationem suã Iulius reip. legatis aperuerat, illi ad Decemuiros literas ea de re dederant. Patres consulto Decemuirûm collegio, eam Iulij moderationem pronumq; ad pacis studia animũ maximopere laudauerant rescriptis ad legatos literis, easq; literas legati Iulio recitauerãt. Sed Iulius, vti dictum est, quãquam hyems durißima ingrueret, lutosißimæq; essent viæ, & nix largiter cecidisset, ad vicina tamen Mirandulæ ædificia & agricolarum casas lectica vectus se contulit: cumq; suis ducibus parum cõfideret, belli munera per sese perq; Paulum legatũ plerunq; administrabat: nam omnino Frãciscus Maria, siue quòd Alfonsi sororis filiam in matrimonium duxerat, vt nouæ affinitatis studijs adolescens viginti annos natus traheretur, siue quòd ita ei suaderet suus animus, neq; bellum probabat, neq; suas in eo partes suãq; diligentiam patruo præstabat, vt quæcunq; faceret, ea omnino lentè atq; inuitus facere videretur: si quid autem operæ Venetos egregiè nauasse intelligebat, id ægrè illũ molestéq; ferre omnes planè homines cognoscerent. Iulio itaque imperante, vt tormenta cùm à suis tum à legato Vene-

to

to ad muros oppidi deijciendos collocarentur: quod quidem magna cum difficultate fieri erat necesse, cùm propterea quòd oppidani è propugnaculis & turri maximè cōmunita, suis item tormentis appropinquare muro neminē permittebant, tum quòd nix duos ferè pedes in altitudinē creuerat: legatus virtute militum difficultatibus superatis, celeritate vsus verberare muros senis tormentis cœpit, cū Iuliani neq; post triduum vnam in eos pilam misissent. Muris igitur oppidi ita deiectis, vt qui in eo erant, equites septuaginta, milites trecenti, tueri oppidum sese posse non confiderent, præsertim cùm omnis fossæ aqua frigore conglaciauisset, mulier vidua Ioānis Iacobi Triultij filia, quæ Ludouici Pici, de cuius morte superioribus commentarijs diximus, vxor fuerat, quæ oppido præerat, reliquiq; præfecti, ad diem duodecimum Cal. Februarij conditionibus interpositis se atq; oppidum Iulio dediderunt. Iulius, quòd oppidi porta ruinis clausa deiectusq; pons fuerat, per muralem scalam in oppidū est receptus: is mulctæ nomine oppidanis, vti auri libras sexaginta soluerēt, imperauit. præfecti & centuriones qui erant, ijs captiuis esse iussis, reliquis missis, mulieri ad patrē abeundi potestatem fecit: paucosq; ibi dies commoratus, dum exercitum lustraret, stipendiaq; persolueret, Mirandulæ imperium Ioanni Francisco Pico, quod oppidum pater testamento ei reliquerat, Mutinæ, Maximiliani internuncio eam ob rem ad se misso tradidit: eius enim oppidi, & Rhegij Lepidi ius, Imperatoris esse Romanorum intelligebat. idq; propterea minus grauatè fecit, vt eo exemplo Maximilianus etiam Rhegiū sibi à Gallis, qui in eo erant, tradi postularet, vt quoniam illos Maximiliano morem minimè gesturos confidebat,

Maximilianus eam ob rem Gallorum amicitiam repudiaret. & cum ipso se coniungeret. Iis constitutis rebus Ferrariam versus tormenta perferri exercitusq; procedere imperauit: quæ cùm Senatus futura intellexisset, in Iulij gratiam classe nauicularũ è suburbijs, & biremium & aliorum nauigiorum è naualibus vrbanis celeriter instructa, cum ea cumq; ijs quæ ad Fossam Clodiam erant triremib. Maurum iterum ingredi Padum iubet, qui pontem ad naues, quæ eum sustinerent, catenis cõiungendas secum adduceret, ad copias & equitatum traijciendum. Grittus etiam Senatus iussu vnà cum Lucio ad Padi ripam eas quas habebat copias duxit, militib. paucis & equitibus Montaniani relictis. Interea cũ Senatus decreuisset, vt triremes octo in Creta insula, Zacynthi vna, Cephallene altera, duæ in Dalmatis Iadera & Ascriuio, decem & octo in vrbe armarentur, omnes numero ad triginta, quarum decem eßet ex ijs quæ nothæ appellantur, nothis quidem est præfectus lectus idem Maurus, qui claßi in Pado exercendæ imperabat; reliquæ sunt triremes singulatim ijs ciuibus qui se Decemuiris obtulerant, dari iussæ. Iamq; Iulij & reip. copiæ ad Finale municipium & Creuacorium vicum eaq; loca se continebant; & Gallorum duces, Triultius, atq; is qui magnus magister appellabatur, euocatis Verona & Lemnia eo auxilijs ad Padum processerant conserendi manus causa, vt ipse afferebat rumor: itaq; & Iulius suorũ militũ numerum celeriter auxit, & Veneti se cõmunitiores quibus opibus poterant reddiderũt: neq; tamen ea diligẽtia opus fuit, hostes enim nullo facinore aut gesto aut tẽtato sese Carpos Rhegiumq; retulerunt: Mutinamq; de improuiso aggreßi, vt eam suã facerent, à Marco Antonio Colũna, quẽ

Iulius

Iulius cum quingentis militibus eò miserat, vt oppidū Maximiliano tueretur, facilè repulsi sunt. Verumenimuero ijs agitatis rebus Iulius, id quod existimauerat, vt capto Mirādula municipio aditus sibi ad Ferrariam oppugnādam eo ab latere patefieret, cū in dies singulos plus rem difficultatis habere animaduertisset, cogitare cœpit, si ab Rauennæ finibus in Ferrariensem agrum suas copias introduceret, castellumq; quod est in Padi ripa, quod Bastia appellatur, expugnaret, se facilius bellum posse conficere, præsertim reip. classe duorum exercituum impreßiones adiuuante: quā quidem classem audierat Volanæ ostiū ingressam Alfonsi biremes duas cepisse, cùm eas Maurus præfectus per tresdecim millium passuum iter contra cursum fluminis celeritate suorum remigum assequutus fuisset, nauemq; onerariam aduenarum mercatorum, quā biremes illæ in mari expugnatam in ostium fluminis attraxerant, recuperauisse: itaq; moræ impatiens (erat aūt inexplebilis etiā animi, & alias semper ex alijs res atq; incœpta temerè plerunq; aggredientis) cogitata perficiendi spe, cùm in reditu paucos dies Bononiæ fuisset, Rauennam proficiscitur, magno suarum copiarum & comitatus labore, difficillimo anni tempore, impeditißimis vijs: nā reip. copiæ in illis, in quibus erant locis, ferè se omnes continuerunt. Sed aliter res atq; ipse sibi finxerat, cecidit: vbi enim Iulij copiæ (erant aūt equites grauiores sexcenti, leuiores quingenti, milites quater mille) castello appropinquauerunt, Alfonsus, qui se ad id cōparauerat, eas fudit, interfectis captisq; non paucis. Neq; profuit quòd Maurus classem reipub. plus quàm centum diuersi generis nauigiorū proximè castellum adduxißet, nonnullosq; ex Alfonsi equitatu tormentorum pilis

interfecisset: qui quidem Maurus postea, cùm intellexisset ex amicorum reip. literis, non vnis in riparum inferiorũ locis Alfonsum sua tormenta disponi mandauisse, vt clasi noceret, sine vlla ostensione ad fluminis ostium rediјt. Hac re intellecta, Galli apud Rhegium qui erant, iterum Carpos venerunt, flumenq; Setiam factis pontibus iterum traiecerunt, vt reipub. copias aggrederentur: quod tamẽ facere neq; tum quidem sunt ausi. qua in re cognosci potuit, sanè iustas Pauli legati querelas fuisse, cùm dolenter sæpe diceret Iulianos duces vincere noluisse: si enim secum, vt ipse cupiebat, eisq; proponebat, coniuncti ad hostes persequẽdas se comparauissent, profectò Galli deleri vna pugna potuissent: quo facinore confecto Ferrariã capere Iulio non magnopere difficilè fuisset, quacunq; is à parte cũ vtroq; exercitu in eius se fines intulisset: nunc se relictum, qui vnus neque integris copijs Gallorum impetum exciperet: præfectos enim equitum tres vnà cum Iulij ducibus eò miserat, vnde repulsi ab Alfonso cum detrimento ignominiaq; fuerunt, pauloq; abfuit quin etiam caperetur. Sed Galli nulla molestia Paulo adhibita, cùm ad Padum se cõtulissent, submißis Alfonso secundo flumine auxilijs militum non plurimorum, vnde discesserant, redierunt: magnusq; eorum magister Rhegij febribus confectus mortem obijt, cùm ab Iulio veniam totius suæ vitæ criminum mißis ad eum internũcijs impetrauisset. Itaq; vnus eorũ ductor atq; imperator Triultius deinceps fuit. Atq; illis ipsis diebus Marinus Georgius, multæ philosophiæ vir, quẽ legatum apud Bergomates agentẽ in clade exercitus anno superiore Galli captiuũ fecerant, atq; in Galliam perduxerant, in custodiaq; vnà cũ Liuiano habuerant, fide illis data

ta intra sex menses vel pecuniam quam petebant, vt eum liberum facerent, se eis missurum, vel in Galliam atq; in custodiam reuersurum, Venetias venit. Vanissa Thrax equites septuaginta secum ducēs, ab exercitu Pauli legati missu profectus, vt quid hostes molirentur, circūspiceret, cum eorum militibus quamplurimis, in quos incidit, congressus, interfectis plus cētum triginta, quos captiuos fecerat, Francisco Mariæ imperatori dono misit. Ea dum administrantur, ad diem septimum Calendarum Aprilium in vrbe terra tremuit motu tam vehementi, vt Senatu qui habebatur, ante vllam latam legem præter morem dimisso, Patres ruina tectorum intercipi metuentes, tumultuose se foràs truderent. cadebant autem è summis curiæ templiq; Marcij parietibus pinnæ ac signa marmorea, quæ in ijs antiquitus posita prominebant: turresq; templorum nutare cacuminibus & commoueri prospiciebantur: & æs Cāpanum in plerisq; earum, maximeq; in ea turri quæ in foro est, sponte insonuit: pleræq; etiam vitium fecerunt. & aqua vrbanis in alueis altè excitata contremuit: innumeraq; fumi receptacula, quæ supra ædium culmina tubo atq; calatho attollūtur, quassu diuulsa in vias ipsasq; in tecta corruerunt: domusq; non vna cum incolentium interitu, parietes verò domorum & fanorum frequentes ruinā traxerūt. mulieresq; prægnātes permultæ timore perterrefactæ abortum fecerunt, mortuæq; sunt. vnū iuuit, quòd is non longinquus terræ tremor fuit. atq; eas ob res, quæ acciderant, postridie eius diei Deo optimo maximo supplicationes omnibus in vrbis regionibus dies tres fieri, & ne quid præter panem & aquam ad vescendum omnes puberes sumerent, ab Antonio Contareno Patriarcha Vene-

torum consultis Patribus indictum. Pauloq; pòst eundem propè terræ motum cum eisdem ferè prodigijs Patauij, Taurisi, Fori Iulij, nonnullisq; alijs in reip. oppidis & finibus fuisse, magistratus eorum Patribus significauerunt. Sed nihil æquè eis molestum per eos dies fuit, nihil tam ægrè vniuersa ciuitas audiuit, quàm id quod Pauli legati literæ attulerunt, Leonardum Apulum, cùm ad hostes Gallos, quos paucos esse audierat, repellendos ad vicũ Belacrem cum quadraginta equitib. processisset, interfectum ab illis fuisse, magna scilicet fide, magno animo & virtute hominẽ, atq; in primis Veneti nominis amantissimũ: cuius postea cadauer ad vrbẽ delatũ marmareo in sepulchro reip. impẽsa exædificato, in æde Gemellorũ Senatus cõdi iussit. Franciscus reip. copiarum Imperator, cùm fictis pro tempore caussis Mantuæ se ad eum diem continuisset, calumniam à Senatu atq; omnibus ab hominibus veritus, ad Iuliũ velle se conferre palàm fecit, profectusq; Coregium, quod municipium abest Mantua passuum millia circiter triginta, ibi se aduersa valetudine correptum simulans domum redijt. Interim quoniam Paulus clarè ad Senatum scripserat, nihil se confidere boni à reip. exercitu posse cõfici, Iulij ducibus in contraria omnia obstinatè nitentibus ne Alfonsus domo expellatur, Senatus ad eum rescripsit, omnem curã adhiberet ne pugnare cogeretur: pro explorato enim sibi esse, si manus conferat, illos cum media in pugna desertu-ros: itaq; Paulus cùm per sese, tum à Senatu admonitus operam dabat, vt neq; timoris indicium sui hostibus proderet, neq; vniuersum exercitum periculis obijceret, quãobrem in minutis & quotidianis expeditionibus cũ Gallis, qui ad Padi ripam venerant, sæpe congressus, nõ semel

eos fudit, fugauit, superiorq́; manu semper inferior nunquam fuit. tãtùm Paulum Manfroniũ Galli hostes cum X. equitibus captiuũ fecerunt. Neq; à Gritto quidẽ legato eodem tempore hostes non malè habiti, quas quidem pugnas referre nihil necesse esse duximus. Venerat autẽ antea Bononiam Matthæus Lãcus Curcensiũ Episcopus ex Germania magno comitatu, homo arrogãtia & elatione insignis, à Maximiliano missus, vt cum Iulio de fœdere cum Venetis ineundo ageret: qui paucos ibi dies moratus, cùm nimis duras pacis cõditiones attulisset, infectis rebus in Germaniã rediijt. Senatus quoq; censuerat dignitatis et existimationis apud Iuliũ reliquosq́; reges retinẽdæ causa, vt equites grauis armaturæ, quos habebat, ad duûm millium numerũ augerentur, militũ sex millia veteribus addenda conscriberẽtur. paucisq́; pòst diebus ei Senatuscõsulto alterũ fuerat Senatusconsultum additũ, vt ex Epiro equites mille leuißimi accerserentur: vti etiã magnũ arcuum numerũ amphoráfque vini Cretici qningẽtas Petrus Pisaurus, cui cũ rege Britanniæ neceßitudo mercaturæ exercendæ causa intercedebat, ad illum mitteret, fuerat à Senatu permissum. Mauro aũt claßis præfecto aduersa valetudine laboranti Andreas Bõdimerius sublectus est, sexq́; triremes in Creta insula armari iussæ. Cumq́; Iulius Heluetiorũ militum sex milliũ numerũ cõducere statuisset, qui in Mediolani fines cõtra Gallos impetum facerent, velletq́; vt tertiã eorum stipendiorũ partem resp. impenderet: Iulius de eo à Senatu ladatus, & conditio libenter accepta, & lex de media mercedũ parte à magistratibus reip. remittenda, quæ tempus sex mensium expleuerat, in alteros sex menses prorogata. Ad hæc Cõcordiæ municipium, quòd à Iulianis indiligenter custo-

diebatur,facilè ab hosth. receptum est. Captũ aũt à legato Gritto propugnaculũ natura & opere commũnitũ in paludib. positum Crucula Lemniaco vicinũ,missis noctu militibus in nauiculis cum tormentis,præsidiúmq; impositũ. In vrbe vni ex nobilitate ciui Gaspari Valerio, quòd hominem Rocchum nomine, tabellariorum reip. præfectũ, Taurisii interfecerat, Decemuirûm iudicio medio in foro ceruices sunt abscissæ. Iis ita administratis rebus, Galli hostes ab exulibus Bentiuolis adiuti, qui factionis suæ montanorum hominum magnum numerũ excitauerant, ex inopinato Bononiam contenderunt: cuius portas eiusdẽ factionis ciues furtim eis aperituros conuenerat: itaq; timore perterritus Iuliani dux exercitus Franciscus Maria reliquiq; duces, præripere sese hostibus statuentes, relictis tormẽtis impedimentisq; omnibus constipati ipsi fugam capiunt, et ad Paulum legatum mittunt, qui hæc ei nũciet, atq; illum idẽ facere suadeat: nullum aliud relictum subsidium: in eo vno positam esse salutem, si hostes præcesserint. Paulus, qui de hostium aduentu tam inopinato nihildum audierat, querens in fraudem ab Iulianis se proiectum, quòd spatium colligendi recipiendiq; sese sibi nõ dederint, cum suis omnibus subsequi Iulianos celeriter cœpit, relictis ijs, quæ imitari eãdem celeritatem non poterant. Et quoniam Bentiuolos oppidani iam introduxerãt expulso Alidosio Cardinali, qui per aliam se oppidi portam eiecerat, Iuliani autem ad Bononiæ muros accesserãt, vt ijs circumactis in fines Forocornelianos se reciperẽt, quòd nullã aliam habebant itineris faciendi rationem, idem ipse quoq; sua cũ manu Paulus facit, eiq; accidit quod Iulianis, qui eũ antecesserant, non acciderat: illac enim contendenti armatorum

hominum

hominum montana incolentium plures manus occurrerunt: à quibus disiecti, vt quisq; potuit fuga capta se eripere sunt conati. ita tormentis impedimentisq; amißis, militibus magna ex parte vel captis vel diffugientibus, interfectis nonnullis, equitatu non frequenti, se in tutum receperunt. Hac intellecta fuga Patres ad Grittum legatum, qui Lemniaco capiendo animum adiecerat, eratq; eò cum exercitu profecturus, literas statim dederũt: quoniam ad Bononiam malè gesta resp. sit, à Lemniaco aggrediendo absti neat, eq; Padi ripis & regionibus tormenta Patauium abduci curet: & si quid Galli molirentur, ne intercipi ab illis poßit, se recipiat. Etiam magistratib. Patauinis & Taurisanis mandauerunt, munitiones eorum oppidorum, quas instituissent, perficere maturarent. Pauloq; pòst ea re non contenti, legatum qui munitionibus procurandis Patauij præesset, reliquasq; res ad oppidi præsidium curaret, Christophorum Maurum legerunt, qui statim proficisceretur; milites q; quot potuerant in vrbe conscriptos eòdem miserunt, verentes ne Galli fuga exercitus reipub. sublati Padum traijcerent, atq; in eius oppidi fines irrumperent, si quid de eo capiendo & sua celeritate, & reipub. indiligentia possent efficere, tentaturi. Legato verò Donato Senatusconsultum est missum, quo Iuliũ Patres hortabãtur, ne propter recentia exercituũ detrimẽta animo perturbaretur, remp. ei nunquã defuturam, omnem fortunam libẽtißimè cum illo subiturã, vrbicas prouincialesq; opes, animos deniq; ciuiũ omnium prõptos paratosq; ei polliceri. quo Senatusconsulto accepto, Iulius lætari se primùm cõstantia reip. respondit, firmioremq; multò & alacriorem aduersis rebus contra Gallos sese factum confirmauit. Eo

ferè tempore res à Patribus non semel antea agitari cœpta finem habuit: nam vt eorum ciuium Patauinorum, qui im- probi & contumaces fuissent, bona & possessiones inter illos centuriones, quos amanter fortiterq; in obsidione Pa tauina reip. nauasse operam constiterat, vel si ipsi mortui essent in eorum liberos & propinquos partirentur, Sena- tus censuit. Venerat Rauennam ad Iulium pulsus Bononia, vti dictum est, Alidosius Cardinalis: atq; vt ea quæ accide- rãt, nulla sua culpa cecidisse illi ostenderet, multa de impe- ratore tanquam rerum bellicarum propter adolescẽtiam imperito questus apud eum est, atq; vt erat sermone satis accommodato ad fallendũ, omnes eius oppidi amissi cau- sas, quarum ille propè omnium autor fuerat, in vnum illũ deriuauit. cõstat enim Alidosium omne studium adhibuis- se, vt quæ ab imperatore procurabantur, ea illi omnia in contrariam partem cederent, neq; vllum ad exitum perdu cerentur: oderat enim adolescentem non tam eius vitio, quàm suo: cupidoq; illum ingens incesserat, sui vt fratres, quos esse fortes viros prædicabat, magno in honore apud Iulium essent, bellicisq; rebus præficerentur, & autoritate potentiaq; pollerent, quarum rerum illo prosperè impe- rante spem habere nullam poterat. Itaq; vt in patrui eum inuidiã adduceret, ea præsertim in re, qua nullã se vnquã aptiorem et commodiorem habiturum confidebat, crimi- nationibus subdolè cõfictis est adortus: quod quidem ei a- pud hominem turbulentum, planeq; iracundum, cui erat ipse antiqua consuetudine et quotidiano victu perfamilia- ris, facilè factu fuit. quamobrẽ cũ paulò postea imperator, qui de calumnia sibi ab Alidosio apud patruũ conflata de Iulij familiaribus amicis suis pleraq; intellexerat, se ad Iu-

lium

lium purgandi sui causa contulisset, Iulius furore percitus verba in eum doloris contumeliæq; plena temerè effudit, neque audire illũ voluit, submisse vt patruo responderet se comparantem, atq; à conspectu suo indignißimè repulit. Adolescens contumeliam tam insignem Alidosio acceptam referens, magnum facinus facere in animum induxit suum: itaq; à patrui cubiculo discedens cum septem aut octo, quos habebat secum, ex suis familiarib. ad diuersorium Alidosianum pedibus rectà contendit, atq; ipsum domo egressum media in via frequenti comitatu, septumq; militibus plurimis, & equitibus armatis plus sexaginta, vnà cum sororis suæ viro Guido Vaina illorum equitum præfecto se ad Iulium conferentẽ conspicatus, vbi Alidosij vicinus fuit, quasi eum alloquuturus à viæ latere ad illum inter arma omniũ declinauit, mulæq; ephippijs, quâ is vectus incedebat, læua manu admota, educto dextra gladio hominem transuerberauit. quod factum eius comites intuentes, gladijs eductis & ipsi idem fecerunt. ita illum pluribus confossum vulneribus, sui à fræno milites mulæ detractum, in eam domum cuius ante fores erant, humeris intulerunt. qui quidem paulò pòst se ipse sæpius accusans egit animam, turpis & flagitiosæ vitæ vir, cui nulla fides, nulla religio, nihil tutum, nihil pudicum, nihil unquam sanctũ fuit. Imperator gladio recondito, eo quo venerat passu pacatè suũ ad hospitem rediens, insessis equis, egressusq; oppido, ad Metaurenses se suos retulit. Paulus legatus cum ijs quas secum habuit, copijs, cumq; illis quæ cladis initio per diuersa ab hostibus & inuia montium fuga capta sese illis eripuerant, atq; ad eum venerant, in Cesenatium vicũ ad mare se cõtulit, vt in naues militibus et equitibus impo-

sitis in fines Patauinos se atq; illos sisteret. Quod vbi Patres cognouerunt, nauigia plus centum ex vrbe & suburbanis & Fossa Clodia, triremesq; septem maiores è naualibus eductas paucis pro re administrantibus ad vicum Cesenatium miserunt ea de causa. Dum verò hæc procurantur, milites propè vniuersi, qui disiecti apud Bononiam à Bentiuolorũ factione vel capti fuerant, singulatim ad Paulum inermes venerunt, centurionesq; illorum militum omnes, quorum nonnullos interfectos fuisse rumor attulerat: eos Paulus, vt ad se nauigia appellebant, impositos ad Albanũ montem mittebat: is est locus in primis Patauinorũ à Fossa Clodia finibus. Ipse autem Paulus, vniuerso exercitu præmisso, triremem instructiorem è classe Bondimeriana ad se præter alias missam conscendit, & me, qui casu tunc ad eundem vicũ Vrbino veneram, vt Bembum patrem meũ aduersa valetudine Pataui laborantem inuiserem, lætissima vnius diei nauigatione Fossam Clodiam secum vexit. Is fuit dies ad octauum Calend. Iulias. Paulus ad Patres se cõtulit, atque ab ijs missionem postulãs, ea non impetrata ad Leonicænos, vbi erat Grittus, est profectus. Patres exercitu reficiendo confidentes, Mariano Prato, Leonardi illius quem Galli hostes interfecerãt, fratris filio, tribunatũ quingentorum militum cõcesserunt, atq; vt eum numerũ quãprimum conficeret, ad Grittumq; legatum adduceret, mãdauerunt. Erant Veronæ milites Hispani mille, ij oppido egreßi ad Grittum miserunt, quoniam nullius tunc hominum stipendia mereant, si legatus velit se ad illum venturos stipẽdiaq; reip. facturos. Ea de re Patres admoniti, coacto Senatu cũ plures sententiæ dicerentur, ea vicit, quæ nõ esse eis confidendũ censuit: itaq; nõ sunt recepti. Iulius Romam

mam rediens in itinere edictum in Bononienses protulit, ni ad se remq; pub. Romanã reuertantur, sese eos ab aqua & igni, à sacrorum communione, à conuictu hominum di ris imprecationibus arcere. Cumq; post eos dies acta è nubibus grando solito maior atq; frequentior, omnes terræ fructus, qui in agris erant, per X. millia passuum circa op pidum abstulisset, vulgi suspicio tenuit, edicti Iuliani causa eam conflatam vastitatem cœlo missam cecidisse. Eo tempore è Pannonia literæ venerunt, in conuentu regio, qui postremus Budæ indictus fuerat, statutum fuisse à reip. fœdere discedi nõn oportere. In Carnis quidem hostes ad Vtinum incursiones fecisse, vicosq; tres apud oppidum incendisse, Patres certiores facti, Aloisio Mocenico legato Foroiuliensibus à Senatu lecto, vti statim proficisceretur, mandauerunt. Nondũ erat Romæ Iulius, cùm nouem numero Cardinales, quorum erat princeps Bernardinus Cardinalis sanctæ Crucis, homo Hispanus, literas ad illum Mediolano dederunt, quibus literis eum certiorẽ faciebant: quoniam ipse tot annos, ex quo summus Pont. esset, contra maiorum decreta generale concilium ad remp. Christianã iuuandã cogere distulisset, se cõmunẽ causam obire agereq; statuisse: itaq; illum, vt Pisis se ante diẽ Cal. Septembris cõcilio agendo sisteret, monebant. Neue Iulius eas literas inficiari posset se accepisse, quòd nemo esset tam audax, qui ei se allaturum vllo præmio polliceretur, in foribus tẽplorum Parmæ atq; Placentiæ, tum verò etiam Arimini eas præfigi curauerunt. quod quidem Iulio permolestum sanè fuit, præsertim cùm illi eis in literis testarentur habere se consiliorum suorum adiutores Galliarum & Hispaniarũ reges Ludouicum & Ferdinandum: tametsi spem aleret Iu

lius,autoritate potentiæ suæ vel interminando vel hortando vel pollicendo,aliquos ex eo conuentu in suam voluntatem se abstracturum, eamq; coniunctionem diuulsurum, ipso eorum Principe homine ventosissimo parum prudētiæ tantam ad rem,reliquorum nonnullis parum autoritatis afferentibus: qua effecta re nihil ab alijs posse cōfici eorum,quæ sperauerant, confidebat. Sed omnino post illud tempus plenior solito curarum & cogitationū Iulius fuit. in Carnis cùm hostes sat magno equitum & militum numero ex Goritianis finibus ad Cremonse oppidum accessissent,vt illud,si possent,caperent, prædas autem abigerent,damnaq; incolis & vastitatem inferrent:Ioannes Viturius legatus obuiam illis factus, præliū acriter magnoq; animo inijt,ipse manu promptus ac paratus,vt quiuis alius:itaq; eos fudit,interfectis captisq; perplurimis. Erat cū illo Aloisius Portus,de quo suprà dictum est,validorum et pulcherrimorum membrorum excellentisq; virtutis atq; inuicti planè animi adolescens. Is cùm se medios in hostes audacissimè intulisset, eosq; iam in fugam coniecisset, ab vno ex illis in collo apud tenontes vulnere tam tenui accepto,vt vix pellem gladius perforarit,omnibus tamen membris captus ab equo statim decidit,sublatusq; à suis per manusq; seruatus,prorsus immobilis per plures menses fuit, cæterùm exercere se postea in armis nequiuit vnquam: qui profectò casus cladem illam hostium Viturio,à quo Portus propter virtutem amabatur sanè plurimum, odiosam in primis & lachrymabilē reddidit. Interim domi Patres ob ærarij inopiam in magna curādæ pecuniæ difficultate versabantur: quamobrem vbi dies comitiorum venit, sedentibus in curiæ subsellijs ciuibus,Principis & reip.nomine

scribarum

scribarum magister sic eos est alloquutus: Putare sese nemi*nem in curia esse, quem ærarij angustiæ hoc tempore lateant: neminem, qui non videat, quàm ad ea recuperanda, quæ indignè amissa sunt, pecuniæ resp. indigeat: ea vt suppeditari ad impensas belli possit, omnia excogitata à* Patri*bus esse, nihil relictum inexploratum, nihil intentatum superesse, præter vnum, vt qui fisco debent ciues, ij soluant, atq; in ærarium quod debent conferant: id si fiat, superfuturam pecuniam magistratibus palàm esse: si non fiat, rem ipsam pub. in prædam hostibus & direptionem venturã, non esse ab vllo iam vlterius ambigendum: vtrum eligere malint, fortunã ipsam eis hodie proponere, vel eã portionem qua reip. tenentur, sua ipsos manu ei tribuere, vel hostibus inuitos omnia (nihil enim victis superesse, quod non in victorũ potestate sit) ex altero parua suarũ rerum parte ipsos defecturos: ex altero prædia, fundos, insulas, domos, vxores, liberos, quibus nihil in vita charius, nihil esse dulcius potest, lares, templa, libertatem reip. cõmunicationem imperij, cœlũ deniq; hoc, auramq; ipsam, qua viuũt, ipsos in periculum adducturos. maiores ipsorum hanc eis patriam suo sanguine peperisse, eos autem paruo suo incommodo tueri eam nolle, neq; deos neq; homines probaturos. nihil esse miserius seruitute: itaq; dura eis oĩa perpetienda potius esse, quàm seruiendum:* Leonardum Ducem *ipsorũ magistratusq; vniuersos, qui hanc rempub. procurant, rogare obtestariq; eos per ea quæ vnicuiq; iucundissima suauißimaq; sunt, vt qui fisco debent, quamprimũ in ærarium inferant, vt ope auxilioq; eorum nixa resp. subleuare se erigereq; tandem poßit, ne in timore amittendi omnia perpetuò versentur.* Hoc sermone habito, ad

magiſtratus creandos ſe ciues conuerterunt. Sigiſmundus Caballus, qui legatus extraordinarius in exercitu reip.q; locis fuerat, facultate à Senatu ſibi permiſſa domum rediens, in ſermone quem ad Patres habuit, multa de Lucij copiarum reip. præfecti timore formidineq; animi in conſilijs capiendis, plura de tarditate negligentiaq; in maturãdis & perficiendis, actione planè libera & ſeuera dixit: quæ quidem propè omnia Patres, ipſi per ſeſe præterita repetentes, maiori cum dolore, quàm adhibendis ei malo remedijs agnouerunt. tametſi haud multò poſt eos dies, cũ ea inter ipſos opinio percrebuiſſet, perniciosum eſſe reipub. copijs hominem imperare & ſemper timidum, & nunquam diligentem, eoq; maximè, quòd Lucij præfecturæ tempus explebatur, cœptum eſt à magiſtratibus agi de alio in eius locum eligendo, cui ſe tutius ciuitas in belli rebus tradi & permitti poßit: itaq; Senatu coacto, aliqui ex illis Laurentium Ceretanum, qui militibus reip. præerat: aliqui Marcum Antonium Columnam, qui Iulij ſtipẽdia merebat: alijq; Gaſparem Seuerinatẽ, Mãtuæ qui erat, certioresq; Patres fecerat, libentißimè ſuam ſe operã reip. nauaturum, eſſe præficiendum cenſebãt. Laurentij virtutem egregiam eleuabat Gallicus, qui appellatur, morbus, à quo interdum impediebatur, ne exercere ſe, quantum opus erat, poſſet. Seuerinatem cùm nonnihil adiuuaret inimicus in Gallos animus, à quibus Veronæ cùm eſſet, cuſtodiæ traditus per inuidiã fuerat, alia multa premebãt. Marco Antonio Colũnæ adoleſcentia erat aduerſaria. Neque tamen defuerunt, qui tunc quoq;, vti aliàs, Gritto legato id imperium eſſe dandum exiſtimarent, quòd ea res neminem ex reip. præfectis lædebat. Eæ ſententiæ cùm non ſemel in Senatu

Senatu dictæ essent, à Ioanne Medice Cardinali literæ Romæ datæ Patribus proposuerunt: si suis copijs præficere Ioannem Paulum Balionẽ velint Perusinæ ciuitatis principem, magno in re militari nomine, se curaturũ vt is internuncios ad vrbem suos mittat, quibus cum agere, quæ agenda erunt, Patres poßint. quæ intellecta res magistratuum controuersiam diremit, pluresq́; in eam sententiam, quàm in ullam aliam ierunt, vt Balioni præfecturam traderent. Ipse verò Lucius hæc vel præuidens futura, vel facta de amicis suis cognoscens, literas ad Patres dedit: senem se factum, minusq́; iam ad belli munera & labores obeundos idoneum, quàm antea fuerit: itaq; cupere artem desinere, si per eos liceat, atq; ad requietem se vitamq́; reliquam dare, petere vt liceat. Quam quidem eius petionem Patres opportunè oblatam libentes acceperunt, honorificoq́; responso missum eum fecerunt. Milites Epirotæ quingenti, Veronæ qui erant, ab exercituq́; reip. profugerant, stipendijs apud hostes fraudati, commeatuum egẽtes, omnia perpeßi mala, impetrata venia ad Grittum redierunt. Ferdinandus Hispaniæ rex ægrè ferens Cardinales eos, de quibus suprà dictum est, in illa concilij Pisis agendi missa ad Iulium denunciatione nomen suum adscripsisse, cùm se ab illo adiuuari præ se tulissent, Iulio per legatũ suũ cõfirmauit, nullã se ad id voluntatis suæ partem adhibuisse, nulla omnino se in re cum illis consensiße: quòd si Iulius eum in primis, qui Hispanus esset, dignitate illa et sacerdotijs, quæ in suo regno habet, spoliauerit, priuatumq́; reddiderit, sibi eum rem gratißimã esse facturum, et suum illi mendacium eam, quam debeat, mercedem allaturum: vti autem Bononiam recipiat, omnes suas copias, quas fore propédiem

satis multas exploratum sibi esse, Iulio se daturum polliceri. quæ legati oratio gratissima Iulio fuit. Interim Ioanni Paulo Balioni *omnium reip. copiarũ præfectura per annos tres cum equitib. grauioribus ducentis, leuiorib. quinquaginta, militibusq́; centum, atq; ijs vnis belli tantũ tempore, cumq́; eorum omnium stipendio, tum ad ipsius mensam libris auri triginta annis singulis à Senatu traditi.* Tadeo Vulpio Forocorneliensi, *quòd ad* Bononiam *in exercitus fuga vnus omnium præclarè se gesserit,* Bentiuolorũq́; *amicos porta oppidi exire properantes, vti agmen prætereuntium aggrederentur, magno animo reprimens in oppidum reuerti compulerit, numerus equitum grauioris armaturæ, quem habebat, est à* Patribus *auctus ad* C L. *eiusq́; fratri equites leuiores* L. *attributi.* Venerat *ad vrbem in veste plebeia tenuiq́; comitatu* Matthæus Heluetius Sedunorum Episcopus, *quem* Iulius *in Cardinalium collegiũ cooptauerat, homo magni animi, Gallis inimicus atq; aduersarius maximè. Causa veniendi fuit, vt* Iulij *pecuniã ibi acciperet libras auri ad ducentas, militibus* Heluetijs *sex mille conscribendis, qui eius stipendia facerent: moratusq́; in diuersorio, quod* Patres *ei parauerãt, dum sibi numi curarentur, per* Lauredani Principis *domum salutatis semel* Patribus, Pisaurum *in triremi, quam ei* Patres *dederant, se contulit, numis per suos domum missis: inde* Romã *ad* Iulium *est profectus, atq; is tantùm abierat, cùm ad vrbem item venit homo reipub. amicus* Maximiliani *regis familiaris, vt* Patres *certiores faceret, si legatum ad* Maximilianum *secretò miserint, qui eum roget vti cum ciuitate fœdus ineat, honestasq́; ei conditiones proponat;* Maximilianum *cum repub. consensurum. Ea intellecta re* Patres

tres

tres Senatu coacto Antonium Iustinianum legerunt, qui statim ad Maximilianum proficisceretur, cum fœderis feriendi potestate, si conditiones non respuerit: inter quas erat, vt si is Veronam reipublicæ restituat, Antonius polliceatur rempub. ei daturam aliquam pecuniæ vim: eaq; res vt bene reipublicæ verteret, omnibus in templis dies tres supplicatio decreta est. Antonius tacitè profectus Feltriã vbi venit, literas sibi obuiam missas accepit, quibus ei Maximilianus suis in locis atq; oppidis dies octo commorandi potestatem faciebat. Eis literis non contentus Antonius, quòd tam breui temporis spatio Maximilianum conuenire, remq; tantam perficere posse se non confidebat, alias longioris moræ literas sibi mitti postulauit, easq; in castello Butistanio, quod est in extremis reip. finibus, se expectaturum confirmauit. Antonio itaq; Butistanij eas literas expectante, hostes qui Veronæ erant, à Maximiliano atq; ab rege Galliæ haud parua manu aucti, commeatu & tormentis per Athesim flumen ad eos in ratibus Tridẽto missis, oppido egressi vt exercitum reipublicæ aggrederẽtur, ad Grittum, qui non longè aberat, contenderunt: congressiq;, cùm Veneti propter paucitatem premerentur, eos repulerunt, ducentosq; ex equitibus captiuos fecerunt, interfectis perplurimis, & Suauium ac Leonicænos ceperũt. Grittus cum reliquis, qui quidem fortissimè pugnauerant, in Atestinorum se fines recepit. Fuerat hostium numerus equitum grauis armaturæ septingentorum, leuis mille quingentorum, militum circiter septem millium cùm Vasconum, tum Germanorum, ad quos gregariorum magna multitudo accesserat: quibus omnib. Palitia Gallus homo non obscuri inter suos nominis præerat. Eius prælij nũcio

H

accepto non mediocris timor Patres incesßit, ne eo successtu hostes sublati Patauium improuiso se conferrent, quod vacuum defensoribus sciebant esse, vt de eo capiendo, si quid possent, experirentur. Augebant eum timorem literæ à magistratibus Alpinis ad eos datæ, Maximilianum Tridentum venisse, rumoremq; satis constantem vagari, illum propédiem in fines reip. Taurisum versus impetum facturum. quas ob res legatum, qui Taurisi rebus belli præesset, Ioannem Paulum Gradenicum Patres legerunt: & militum quina millia vndecunque celeriter conscribenda esse sanxerūt: atq; vti è nobilitate ciues viginti Patauium, decē Taurisum mitterentur ad eas vrbes custodiendas, cum X. militibus singuli totidemq; è plebe vrbana cum tribus, qui portis eorum oppidorum adsisterent, Senatusconsulto addiderunt: Grittumq; exercitum sine mora Patauium adducere iusserunt: scripsisse enim Iustiniano, vt si quippiam cognosceret, quod impedimento esset, quo minus conueniret inter Maximilianum atque rempublicam, quamprimùm poßit, ipse operam daret, vt quicquid id esset, omnibus modis è medio prorsus tolleretur. Quoniam autem Principis, & eius collegij iussu edictum propositum fuerat, ne cui, qui fisco deberet, frumenta possesßionum suarum in vrbem aduehere, nisi ipsis permittentibus, liceret: ne ea res aduectiones moraretur, altero edicto facultas in vrbem aduehēdi ciuibus omnibus est data. quodq; sunt in Sili flumine molæ frumentariæ perplures, quibus ciuitas vtitur, eas qui custodirent, armatos homines in nauiculis XXIIII. vti suburbia, quæ à Septētrionibus sunt, mitterent, Senatus iußit, æquè inter ea, quæ quatuor sunt, diuiso nauicularum numero, cum Muriani Torcelijq; magistratibus,

gistratibus, qui eis præessent: panisq; classicus omnibus cũ viginti dierum stipendio publicè datus: quorum dierum spatio quid hostes molirẽtur sciri posse Patres existimauerant. Exercitu Patauium *adducto, militibusq; mille in* Rhodigianis *finibus qui erant, quos* Patres *euocauerant, eôdem introductis, magna est hominũ fuga ex agris cùm* Patauium *tum etiam* Taurisum *facta, vt omnes viæ carrorum, pueros, mulieres & impedimenta domestica conuehentium, implerentur. quem timorem augebat, quòd afferebatur, quoniam hostes Leonicænis captis maiorem oppidanorum partem vnà cum mulieribus et infantibus interfecerant, oppidumq; & vicos aliquot incenderãt, eos omnibus in reip. locis idem esse facturos. itaq; Baßiani Asulique magistratus relictis municipijs, quibus præerant, nullis eos hostibus impellentib. sed sola earum rerum auditione perterriti,* Taurisum *profugerunt.* Missus *autem eò* Laurentius *Ceretanus præfectiq; alij cum militibus & equitibus leuißimis, fractos iam ciuium & reliquorum animos confirmauerunt: qui vnà cum Gradenico legato, vt oppidum redderent, communitius, animum intenderunt, magnumq; agricolarum numerum, qui in oppidum confugerant, nacti celeriter eius quod intenderant, non paruã partem effecerunt. Frumenta, quæ in agris erant, in oppidum cõportari mandauerunt. Præterea, vt in vrbe maior numerus reperiretur eorum qui è nobilitate, qui ve è plebe* Patauium *aut* Taurisum *accederent: vtq; ad id faciendum eo prõptiores essent, præter* Bartholomæum *Mustiũ, qui iam sese* Patribus *obtulerat cum armatis hominibus* XXX. *duos menses in vtro vellent oppido, sua impensa reip. operam nauaturum, & Sabam hominem è plebe, qui*

cum decē, ac propterea magnopere laudabantur, propo- sita fuerunt præmia, tam ijs qui è nobilitate, quàm ijs qui è plebe, pro sua quibusque conditione, qui ad tutanda ea oppida ire vellent. Hostes interea vacuam hominibus Vicetiam, quòd propè vniuersa ciuitas fuga Patauium atque ad vrbem se contulerat, facile ceperunt: Pandulfusq; Malatesta Citadellam, ab illis eò cum equitibus quadrin- gentis propinquo eius misso. Eas ob res Patrum iussu sa- cerdotum & sacrarum virginum collegijs tercenta staria frumenti dono data, vt preces Dijs immortalibus pro rep. facerent. Atq; vt pecunia quibus posset modis exigeretur, lex antea perlata, nūquam autem palàm proposita, quòd asperior duriorq; esse Patribus videbatur, in Senatu lecta est. Ea erat eiusmodi: Qui senatores fisco deberent, decem dierum spatio in ærarium conferrent: qui id non fecerit, à Senatu excludatur, aliusq; in eius locum sublegatur. Et a- lia item eiusmodi: Qui in ærarium pecuniam inferret, ea il li accepta vnà cum decima à quæstoribus referatur: qua is pecunia quæ ipse quæue quis alius portoria vllis vrbanis magistratibus debiturus in posterū sit, soluere, acceptúm- que ac relatum facere poßit. Etiam à Decemuiris, prædia reip. fundiq; aliquot in Cypro insula vt venirēt, eaq; statim ad vrbem pecunia traijceretur, latū. Sed eam legē quæ de ijs qui fisco debent, à Senatu eijciendis loquebatur, paulò pòst etiā ad omnes alios magistratus cū vrbanos tum pro- uinciales extēsam atq; amplificatam maiora comitia pro- bauerunt: itaq; perplures magni viri à rebus publicis tra- ctandis eiecti, in priuatorum numero sunt habiti. Lucius molestè ferēs se à Senatu missum fuisse, tametsi velle quie- scere ipsemet Patribus significauisset, querelisq; ea de re

legatorũ aures quotidie obtundẽs, id perfecit, vt Senatus, ne in illum ingratus esse vlli hominum videri posset, pristinum ei locum restituerit: quo in loco tamen parum temporis esset futurus, Ioanne Paulo Balione breui ad exercitum venturo, cui parere Lucium oporteat. tametsi, etiamsi ad exercitum Balio nunquam venisset, non tamen irrita eius Senatus opinio fuisset, non multum scilicet temporis in sua præfectura futurum Lucium: paucos enim post dies in febriculam incidens, ea in horas grauiore facta mortem obijt. Romæ autem accito ad sese reip. legato Iulius, qui cum erant Hispaniæ Britanniæq; regum legati, ei proposuit; se cum illorum legatorum regibus cumq; rep. fœdus inire statuisse: quo ex fœdere Galliæ regi bellum eodem tempore omnes facerent: ei bello Ferdinandum confirmare equitum grauioris armaturæ mille ducentorum, leuioris mille, militum tresdecim millium numerum se præstaturum: totidem item Henricum; quibus copijs bellum à suis finibus in Galliæ fines inferat: ipsum autem suum exercitum bene plenum paratumq; in commune allaturum: idẽ vt Veneti se facturos polliceantur, non tam hortari, quàm confidere, nulla eos in re desiderari suum munus atq; officium permissuros: neq; enim vllius sociorum tam referre id bellum fieri, quàm reip. itaq; iubere ipsi, vt ea Senatui perscribat, petatq; ab eo syngrapham, qua pro eius parte fœdus confici & conscribi possit. Eum Iulij sermonem vterq; Regũ legatus Donato comprobauit. Quibus rebus cognitis, ex Donati literis Senatus omnibus suffragijs syngrapham fieri, atque ad illum mitti iussit. Monuerant Grittus Paulusq; legati Senatum, quoniam equites grauis armaturæ vulgò conquerebantur, eo quo merebant

stipendio non posse sese equosq; suos alere tam duro tempore, tam frequenti omnis commeatus propter fugam agricolarum inopia, tantisq; laboribus perferendis: optimum factu esse, si stipendia illorum Patres auxerint, vt lætioribus animis suam reip. operam vberioriq; cum fructu nauent: quamobrem eis Senatus & stipendiorum summã auxit ad auri librã in annos singulos, quæ prius erat quinta parte minor: et duorum mensium stipendia repræsentari à quæstoribus imperauit. Quòd autem pecunia publicè defecerat, à ciuibus ditioribus, quod opus esset, mutuò petere Patres constituerunt: vtq; cæteri eo exemplo mouerentur, dux ipse Lauredanus libras auri decem eo nomine in ærarium primus contulit. Id reliquorum ciuium perplures imitati, & ipsi pro suis facultatibus idem fecerunt, vt esset omnis ea pecunia libras auri ad ducẽtas, eoq; amplius. Scripserãt Patres ad Balionem, vt è Perusij Spoletiq; finibus pedites bis mille conscriberet, secumq; adduceret: pecuniamq; ad eam rem suis internuncijs dederant. Itaq; ad eos reliquosq; illius milites & equites & comitatũ aduehendũ, triremes nothas tres vacuas paucis administrãtibus, aliaq; nauigia ad eam rem accommodata Patres in Flaminiam miserunt ad vicum, qui appellatur Catholica. eisq; nauigijs euntibus & redeuntibus Bondimerium Padanæ classis præfectum esse præsidio iusserunt, ne quid eis Alfonsus in itinere noceret. Gradenicus in Taurisanis legatus de Laurentij & Vitellij multæ virtutis hominũ consilio, vt oppidum communiret, magnam curã & diligentiã adhibebat: muros reficiebat: è turribus, quæ in ijs erãt veteri cõsuetudine altiores, quàm præsens rei militaris ratio postulabat, superiorem partem detrahebat: fossas latio

res

res & profundiores faciebat, aggerem construebat, extra oppidum per quingentos passus tecta diruebat, arbores succidebat, vt nihil aut prospectui, aut ciaculandis tormẽtorum pilis obesset. Aqua Silis *fluminis, quod flumen oppidum interfluit, vt in oppido sustineri posset, quæ hostib. accedentibus effunderetur ad omnem circa oppidum regionem submergendam, alueos è lateribus solidißimos cũ ostijs lapideis plurimis, ad quamuis vim aquæ breui euomendam, cõcamerationesq́; sub mœnibus perq́; aggerem firmißimas exædificabat. quod opus magna impensa postea perfectum expletumq́; eiusmodi nunc quidem est, vt neq; pulchrius et elegantius, neq; aptius atq; accommodatius quicquam vllum ad oppidum muniendum & tuendũ alijs in locis ferè conspiciatur.* Hostes *autem, quorum erat numerus propè viginti millium, vlterius per* Vicetinos *fines progreßi, incendijsq́; omnia fœdantes,* Camisanumq́; *maximè, totius agri plenißimum vicum, vt incendia vsque* Patauio *prospicerentur,* Baßianum *oppidum ceperunt, diripuerunt, virgines violauerunt: è quibus tamen equites* Epirotæ *reip. extremum agmen aggreßi triginta captiuos* Patauium, *vnde venerant, intulerunt. In ijs* Hieronymus Posterla, Mediolanensis *ciuis, homo satis diues fuit. Interea* Iustinianus, *quem ad* Maximilianum *fœderis ineundi causa missum à Senatu dixeramus, cum regijs procuratoribus colloquutus, cùm ij se ad illum non semel cõtulissent, spretisq́; quas afferebat conditionibus, eum tandem missum fecissent, demum etiam reuocauissent, neq; tamẽ conuenire inter ipsum atq; illos posset, à Senatu reuocatus ad vrbem redijt. Ac domi quidẽ magistratib. comitia habentibus,* Bartholomæoq́; Mustio, *qui amanter* Patauiũ *pro-*

fectus tuendo oppido cum triginta militibus sua impensa, vti suprà dictum est, reip. operam dabat, senatore tanta ciuium voluntate declarato, vt multò ipse maiore suffragiorum numero, quàm vllus ex suis competitoribus, id muneris adeptus esset: tametsi magna illorum pars in eo magistratu sæpius fuerint, quæ res maximè aduersaria solet esse ijs, qui idem petunt: Lauredanus Dux ad ciues conuersus eiusmodi sermonem habuit: Lætari se plurimum, quòd ipsi fauore suo atq; beneuolentia eos in primis ciues prosequãtur, suffragiaq; sua ijs honestandis conferãt, qui communi commodo inseruiunt, seq; pro patria periculis obijciunt, & impendia rei familiaris erecto animo sustinent: itaque, inquit, non omnino Deos immortales iratos nobis esse atque aduersos puto, cùm hanc vobis mẽtem datã, atq; hunc ab illis sensum videã, vt qui amore patriæ in labores, in discrimina sese dãt, maximè dignos vestris muneribus existimetis, atque illis qui minus id faciunt, præferendos vestris sententijs iudicetis. Gratulórque Mustio, quem hoc honore amplificauistis: quo quidem gauisurum eum puto in illis suis laboribus longè magis, quàm si omnibus commodis affluens, plurimis in voluptatibus versaretur, summaq; vitæ securitate frueretur: hoc est enim verè viuere, prodesse patriæ; defendere rempub. tueri ciues suos, vitam sine libertate minimi facere, etiam præferre mortem seruituti: hæc qui secum reputat, qui sentit, ille mihi præstans & magnus ciuis videtur, ille dignus, in quem vnum à sua ciuitate omnia studia, omnes honestates conferantur. Hæc vos ciues, mea mihi vita chariores, dies atque noctes cogitare oportet, vt Mustio similes, cùm vsus erit, patriæ laborãti succurratis: quod si feceritis,

tis, & illa beneficiorum & laborum vestrorum memor, omnes suas dignitates in vos profundet, & ipsi non ab ea modò, quod tamen ciui egregio & amanti patriæ satis esse planè debet, sed etiam omnibus ab hominibus laudabimini: nam qui acta ciuitatis nostræ conscribunt, vestra nomina suis libris inserent: ita virtutes & benefacta vestra legentur, alijs narrabuntur, per ora gentium & seculorum peruagabuntur, nomenq; vestrum æternitati commendabitur. Hac oratione à Lauredano habita, perplures ciues ipsi & magistratibus se paratos obtulerunt, neq; rei familiari, neq; vitæ suæ parcere, vt saluti publicæ pro virili sua opem atq; præsidium afferant. Ita comitia dimissa.

PETRI BEMBI RERVM VENETARVM HISTORIAE LIB. XII.

CLades in Istris à Friapane accepta. Gallorum ac Germanorũ in Carnis & alibi progressus. Iulij ægritudo. Pisaurũ à Iulio Franciscomariæ traditur. Germanorum ex Alpibus populationes. Gallorũ ad maius littus usq; incursiones. Venetorum cum Iulio & Britanniæ rege fœdus. Galli & Germani Taurisum obsidēt, eorumq; discessus. Lex de nouo naualiũ magistratu creādo lata. Exercitus ad amissa in Carnis recuperanda missus, eiusq; res gestæ. Vicetia ad reip. imperium redit. Iulius eos qui Pisanum concilium coegerant cardinalatu spoliat. Brixia & Bergomum à Venetis capitur. Varia pacis cum Maximiliano negotia. Bononia à Pontificijs & Hispanicis copijs obsessa, à Gallis liberatur. Venetorum ad Villa francā clades. Brixia à Gallis expugnatur. Duo-

decim Heluetiorum legati ad orbem veniunt. In luciæ inter Maximilianum & Venetos. Pugna apud Rauenam. Lateranensis concilij initium. Rauenna à Pontifice cum arce recuperatur. Heluetij se Veneto exercitui coniungunt, eorumq; res gestæ. Bononiéses se iterum Iulio dedunt. Galli tota Insubria pelluntur. Selimus patri regnũ eripit, eiusq; ad Venetos legatio. Genua à Iano Fregoso capitur. Alphonsus Atestinus à Iulio interdicto absoluitur, & Roma aufugit. Heluetij à Iulio, Ro. reip. defensores appellantur. Iulij in Alphonsum conatus irriti. Mediceorum Florentiam reditus. Iulius Galliæ regi aqua & igni interdicit. Veneti Cremá recipiunt. Gallorum in Aquitania clades. Veneti cum Aegypti rege fœdus renouant. Neapolis prorex Brixiam capit. Iulij cum Maximiliano fœdus, à Venetis alienatio & obitus. Leonis X. creatio.

EO *tempore in Istris incommodum acceptum est, fugatis equitibus & militibus reip. cum legato eius regionis Andrea Suriano, à Christophoro Friapane, qui se in insidijs occultauerat, prædaq; facta. quas ob res paulò pòst Suriano à ciuibus malè audiente, Sebastianus Iustinianus à Senatu lectus est, qui legatus Istris regendis eò se statim conferat, cùm antea regendis Dalmatis lectus fuisset. Ab hostibus verò Gallis Germanisq; Asulum & Marostica facilè capta: qui cùm in planitie populationes facerent, Epirotis reip. extremum illorum agmen carpentibus, plurimos ex suis non semel amiserunt: quod quidem detrimentum sarcitum cum fœnore est, Vasconibus mille quingentis aucto eorum exercitu. A Fossæ autem Clodiæ municipibus classicula celeriter coacta, fugatis Alfonsi nauibus, perplura ab eis*

eis capta optimis mercibus onusta nauigia: excepta sunt in Vatreni ostio, atque ad vrbem & ipsum ad forum magnis acclamationibus & tubarum ac tympanorum strepitu & tibiarum sonis, tanquam in triumphum ducta. Auctis verò admodum febribus, quibus iterum tentari cœperat Iulius, vt se moriturum crederet, Francisco Mariæ fratris sui filio, quòd Alidosium Cardinalem interfecerit, ne crimini esset, decreuit, scriptísque id literis est testatus: Pisaurúmque oppidum regendum & obtinendum ei tradidit, quod hæredes eius sequerentur, stipendio leuißimo in annos singulos dari Romanis Pontificibus imperato: filiæq; suæ Felici libras auri centum viginti, totidémque Francisco Mariæ, alterosq; totidem Nicolao Ruuero sororis suæ filio dono dedit. Exierant Vicetia hostium equites grauis armaturæ centum, leuioris ferè ducenti, milites Vascones quatercentum Verona profecti, vt Marosticam se conferrent: id cùm ab agricola Federicus Contarenus cognouisset, qui Patauio egressus cum equitibus leuioribus quingentis, vt hostibus si quà posset noceret, candẽ regionem versus se conferebat, cum tertia suorum equitum parte, quò illos iter facturos arbitrabatur, se conuertit: reliquas duas partes diuersis itinerib. si hostes reperire possent, misit, cum mandatis, vt qui priores hostiũ agmen cõspicarentur, id celeriter reliquis significandum curarent. Accidit autem, vt ipse in eos prior incideret: itaq; vnà cum Guido Rangonio magni animi adolescente sine mora con gressus, parũ abfuit quin ab eis caperetur. Rãgonius quidem ab equo deiectus in manus hostium venit: quorum impetum Federicus tẽperanter sustinens eos morabatur, dum reliqui, ad quos accersendos miserat, accederent: id dum

per horæ ſpatium fit, reliqui adueniunt, tum reintegrato ſimul prælio, cùm diu atq; acriter vtriq; pugnauiſſent, hoſtes ſuperantur, ſeq; fugæ mandantes, quòd equitũ noſtrorum celeritatem effugere non poterant, milites conciduntur: reliqui omnes ad vnum capiuntur cum iumentis ſarcinarijs permultis, quæ ſupellectilem magni precij ad Palitiam reliquosq; duces afferebant, cumq; mulierum turba, quæ agmen ſequebantur. Rangonius equitem, qui eum ceperat, à ſe captiuum factum, in equi ſui poſtremo dorſo Patauium in reditu ingrediens adduxit. erat autem hora noctis ferè tertia, vt multis luminibus allatis vtrunq; agmẽ victores ſimul & victi non ingratum ſpectaculum Paulo legato, qui in porta aderat, & oppidanis dederint. Grittum legatum ob aduerſam valetudinem Senatu permittente Patauio ſui ad vrbem detulerunt: & Bondimerium è Foſſa Clodia eadem de cauſa item ſui. Lucio mortuo dum Balio ad exercitum venit, Bernardinum Braccium, egregia fide hominem, pro præfecto copiarũ reip. Senatus eſſe iuſſit: quæ res præfectis reliquis exercituiq; omni gratiſſima ſanè fuit: eiq; in præſentia datæ libræ auri decem in ſtipendium, quinq; autem in menſes ſingulos ad victum inſtitutæ. Meleagro etiam Foroliuienſi, quoad Ioannes Græcus, qui longinquo morbo detinebatur, conualeſceret, eius equites regendi dati vnà cum alijs leuioribus quinquaginta qui Lucij fuerant: ex centum autem grauis armaturæ, qui fuerant eiuſdem Lucij, Guido Rangonio ſeptuagintaquinque, reliqui Tadeo Vulpio diſtributi. Atque inter hæc Theodorus Palæologus, homo reipub. amantiſſimus, Zacyntho rediens equos quinquaginta leuiſſimos ad vrbem ſecum duxit. cuius ab inſulæ prætura,

Ioannes

Ioannes Barbadicus Triumuir ad magistratuum prouincialium furta criminaq; cognoscenda, Hieronymum Bernardum eiecerat, pecunijs omnibus, quas nullo iure abstulerat, restitutis, ipso ad vrbem se sisti iusso, Stephanoq; Capello Propraetore in insula instituto: eam enim illi potestatem Decemuiri dederant. Hostes cùm frequentes populationes in Alpibus fecissent, Belunium cepissent, castella multa & vicos diripuissent, cum carris quamplurimis, qui nauiculas ad pontes sustinendos binas singuli, quiq; ipsos pontes disclusos atq; in partes plurimas seiunctos ferebãt, Plauim flumen versùs se contulerunt. quorum discessu cognito, Federicus Cõtarenus Ianesq; Fregosius, Pataui o ad Castellum Francum procurrentes, porta succensa municipium capiunt vnà cum praefecto, quem hostes ibi reliquerant ad commeatum procurandum, & eius equitibus aliquot militibusq; triginta, cumq; ijs qui panem exercitui conficiebant, quorum erat non paruus numerus: farinaeq; carros aliquot abstulerunt, frumentiq; aliquantum modiũ, vt Epirotae ferè omnes oneratos admodũ ea praeda equos suos in reditu habuerint. Taurisij autẽ Legatus praefectiq;, quòd hostes ad se venturos intellexerant, eam diligentiam perficiendis munitionibus adhibuerunt, vt non ipsi modò reliquiq; ciues Veneti & Taurisani, ex nobilioribus, sed ipsae etiam mulieres singulis diebus plures horas terra suis manibus fodienda & conuehenda laborẽ forti animo subierint. Posito in nauiculis ad Plauim ponte, Germani flumen transierunt. Galli traijcere noluerunt, verẽtes ne Germani, cùm suae terrae finibus appropinquauissent, cupiditate domum redeundi, & quòd eis stipendia ferè non persoluebantur, se relinquerent. erat autem Gallorum nume-

rus propè viginti millium, Germanorum duodecim millium, præter equites vtriusq; armaturæ circiter octingentos: quorum grauiores more ipsorum duos ad summum singuli, sæpe etiam vnum tantùm equum habebāt. Germani igitur Sacilium profecti, oppido defensoribus vacuo facilè potiti sunt, atq; ibi commeatu, quo antea caruerāt, exercitum refecerunt. Eo *capto municipio magnus est omnibus illis populis iniectus timor, ne ab ijs ferro atq; igni ob innatam genti feritatem & crudelitatem vastarētur. Qua re cognita, fortunæ fauore vsi, et sua paulisper remissa vulgò sæuiendi consuetudine, non multis diebus eam omnem regionem in suam potestatem redegerunt.* Ea *tempestate ne pecunia* Patres *deficeret, propterea quòd rerum fisco cedentium* Triumuiri *magnum suis in libris publicè debentium ciuium numerum habebant, Senatus legem sciuit, vt ijdem* Triumuiri *bona ciuium fisco debentiū omnia, quæ sui iuris fecissent, facturiue essent, ipsi in foro licerentur, licentibus partem eorum bonorum tertiam fisci nouissimi pecunia vel sua, vel aliorum, cuius essent creditores, emere liceret, si pro reliquis duabus partibus numeratò persoluissent: eaq; bona ita distracta si redimere priores domini voluerint, intra dies octo eo modo, quo empta erūt, poßint: si noluerint, ex emptiones nullum postea præiudicium patiantur, sed firmæ solidæq; sint tota tempora. At in Carnis Germani etiam Couoli arcem, quæ quidem nulla vi expugnari poterat, vti antea dictum est, qui in ea erant se dedentibus, ceperunt. quo accepto nuncio Aloisius Gradenicus Vtini magistratus, magni sanè, sed parum muniti oppidi, relictis prædæ hostium magni precij tormentis, ex eo discesit. Dein Portus Gruarius, pauloq;*

pauloq́; pòst Mota ad Liuentiam flumen municipium, & non lõgè ab eo flumine Vdertium captum, quoniam verò earum regionum ferè omnium, quæ citra Plauim sunt, agricolæ se in vltimas Taurisanorum collium syluas abdiderant, Galli magna cum manu eò profecti, atque introrsus patefactis vijs, non paruam eorum partem conciderunt, magnamq; armentorum pecorumq́; vim, quam illi secum adduxerant, abstulerunt, mulieresq; eorum ætate ac forma non spernenda tenuerunt. Alia autẽ ex parte à Germanis Sacilium Carnicum est captũ. Ea re audita Patres, vt Gradiscas communirent, curam adhibuerunt, mißis eò celeriter equitibus, et, quos in vrbe conscripserant, militibus cum centurionibus & præfectis: quæ tamen cura nihil illis profuit: positis enim ad castelli muros castris, cùm Germani tormentis, quæ nec multa nec magni põderis habebant, eos quatere cœpissent, qui in eo erant sese hostibus dediderunt, cùm defendere municipium paruo negocio potuissent. Fouebantur autem Germani à plurimis Foroiulianis ciuibus, atque ab Antonio Saorniano quidem maximè, vno ex Vtini principibus & nobilitate & opibus & reipublicæ paulò antè gratia in primis claro, qui nulla vnquam laceßitus iniuria ad Maximiliani duces profugerat, eosq; rebus omnibus iuuabat, autorq; illis fuerat, vt se Gradiscas conferrent. nisi tamen iniuriam accepisse illum est existimandum, quòd paucos ante menses coactis agrestibus hominibus clientibus suis magnam in ciuitate cædem fecerat, trucidatis plerisque honestißimis ciuibus aduersarijs suis, eorumq; ædificijs incendio absumptis, vt neque ius, neq; pudor, neque timor reipublicæ, neque magistratus qui aderat, reuerentia conti-

nere illum potuerint: quod tamen eius consilium apud cõsobrinum suum Hieronymum Saornianum *tanti non fuit, vt eum ab officio atque ab amore reipublicæ abduceret. nam cùm ille suum in castellum, quod in* Osopio *monte est loco alto atque edito, viæ, qua* Germania *plurimum aditur, imminens, quodq́; pridem has ad res magna sua impensa exædificauerat, se contulisset, ducesq́;* Maximiliani *ad eum misissent, vti se dederet, eiq́; necem & incendium exemplaq́; vltima interminati essent, nisi paruisset, spretis eorum minis se ad defensionem forti & constanti animo comparauit, literasq́; ad Senatũ ea de re dedit, pollicitúsque est* Patribus, *nihil se indignum suis maioribus, nihil à reipublicæ erga se charitate alienum, nihil* Antonij *rebus simile commissurum. quibus acceptis literis* Patres Ioanni Viturio, Taurisi *qui erat, mandauerunt, vt* Osopium *euestigiò cum quadringentis equitibus contenderet* Hieronymo *auxilium laturus. Cumq́; dies comitiorum senatoribus sexaginta creandis venisset,* Hieronymus Saornianus *pluribus suffragijs, quàm vllus alius, est senator renunciatus: tantùm ciuitati in tam turbidis reip. temporibus, optimus in illam* Hieronymi *animus gratus & iucundus fuit. Iidem* Patres *cùm fisco debentes in tot eos latis legibus non tamen in ærarium conferrent: ad eas leges, de quibus in superiore libro dictum est, aliam etiam in Senatu legem sciuerunt, quæ paulò pòst maioribus in comitijs est perlata: qui magistratus vel sint, vel futuri sint, afferant singuli reip. scribis fidem quatuor magistratuum scripto cõfirmatam,* Triumuirûm *scilicet, qui prouentibus reip. præsunt, quiq́; res fisco cedentes administrant, et qui regni* Cyprij Triuùiri *apellantur, & item* Quinqueuirûm *sale reip. procu-*

rando, se, quod debeāt, persoluisse: qui nō attulerit, is magistratum reipublicæ neque obire, neque adire vllum possit. qui autem ex ijs magistratibus fidem fecerit, aliquem ciuem soluisse, qui non soluerit, is magistratus mulctæ nomine ciuis illius omne debitum reipublicæ persoluat: scriba verò qui tabellam confecerit, à suo munere obeūdo expellatur. Neque tamen ea lege satis esse factum Decemuiri existimantes, pleniore coacto collegio sanxerūt, vt fisci debitores detinerentur, custodiæq; traderentur, à qua nequirēt liberari, quoad soluerent: tabellamq; cum centum eorum nominibus suis ministris dederunt, iubētes, vt quemlibet eorum caperent. Inter hæc Legati, Patauij qui erant, Paulus & Christophorus certiores facti, Mediolano Brixiaq; hostium equitatum optimi generis ad Suauium municipium venisse numero ad quatercentos cum præfectis octo, vt ad Palitiam se conferrent, equites & milites Guido Rangonio duce miserunt, qui eos, si possent, interciperent. Ii celeriter Suauium profecti, cùm ante lucem ad oppidi se portas tacitè contulissent, partem militum collem, in quo est arx, ascendere iusserunt, vt se in arcem inferrent. Missi elusis qui arcem custodiebant militibus, cùm se & ipsi custodire illam dicerent, scalis quas secum attulerant positis muros conscenderunt, interfectisq; qui primi se opposuerant, arcem tenuerunt, nomenq; Marcium conclamauerunt. Iis exauditis vocibus præfecti hostium armis captis equisq; inscessis, cùm portas obsideri à Venetis intelligerent, facto ex equitibus grauis armaturæ, quos habebant quinquaginta, priore agmine, cæteris omnibus subsequentibus, condensi aperta oppidi porta eruptionem facere cōtenderunt, omnesq; ad vnū capti sunt, Patauiumq;

perducti. Ex præfectis fuere Continus Melzius Galeatij Mariæ, qui dux Mediolanensium fuerat, filius nothus, Sebastianusq; Atestinus Alfonsi Ferrariensis ducis patruelis frater, alijq; claro loco nati quatuor. Melzius aduersa valetudine cōflictatus in itinere interijt. Eodem ferè tempore à Gallorum hostium equitibus, vado in Liquentia flumine inuēto, incursiones sunt vsque ad littus, quod Maius appellatur, & vicina tribus portubus littora, qui portus à Septentrionibus propè ad vrbis æstuaria pertinent, omnia prædantibus armentaq; abigentibus, factæ. atq; ij redire ea cum præda volentes, quòd flumen imbribus creuerat, traijcere non potuerunt. Ea re à Patribus intellecta missi cū cymbis bellicis è plebe vrbana qui illos interciperent, celeritate non magnopere vsi, eos in castra reuertisse intellexerunt, quatuor equitibus in flumine amissis. Petrus etiam Dureus non multò antè à rege Hispaniæ ad Maximilianum Legatus pacis cum Patribus ineundæ causa missus, cùm apud illum dies aliquot fuisset, Venetias venit, hortatusq; Patres est, vt inducias cum Maximiliano facerent: quarum induciarum tempore pax tractari commodè conficiq; inter ipsos posset. Senatus literas Romam ad Legatum dedit, qui de eo Iuliū certiorem faceret, eumq; ad fœdus, de quo pridem agebatur, conficiendum omni studio & diligentia hortaretur: quod quidem fœdus impediri vlla induciarum tractatione nolebant. Idem Patres sanxerunt, vt quæ oppida, quæue arces captæ ab hostibus fuissent, earum magistratus & præfecti, qui eas tradidissent, quiue profugissent, in vrbe se ad carcerem sisterēt, vt de eis iudiciū fieri posset. Ex ijs pridie No. Octobris viginti duo numero in publicas custodias profecti sunt, adhibito

bibito suo prædæ quilibet, è custodia se non abiturum. Romæ autem paucos post dies Legato procurante fœdus ab Iulio & Ferdinando & Venetis percussum est: quo fœdere Ferdinandus mittere ad Iulium viginti dierum spatio tenebatur equites grauis armaturæ mille ac ducentos, leuioris mille, militum decem millia: & si mari opus erit bellum facere triremes vndecim: quam quidem militum & equitum manum in regno Neapolitano iam propè paratam habebat: in quorum stipendia Iulius quadringentas auri libras in menses singulos daret, duorum mensium stipendio in præsentia Neapolim misso. Eius stipis vniuersæ mediam partem se persoluturos Veneti receperunt, classemq; suam Iulio, cùm vellet, daturos. fœderis socium sese fieri cupere Henricus Britanniæ rex, Ferdinandi gener, per Legatum suum, qui Romæ erat, & tractando fœderi interfuerat, magnopere ostendebat: eiusq; tantummodo syngrapha, qua id confieri posset, expectabatur: eáque postea perlata, fœderi & ipse se addixit. Causa fœderis proposita est, vt quæ Iulius Gallis eius hostes adiuuantibus amiserat, recuperarentur. Ferdinandus enim videri se propter Venetos vlla ex parte id fecisse noluerat, ne Maximilianum offenderet, cui se amicum profitebatur. Verũ ipse Iulius per suas literas Venetis separatim est pollicitus, quicquid oppidorum & ditionis eorum fuisset, si recipiatur, id se vt reipublicæ restituatur, effecturum. posteróque die eius belli legatum Ioannem Medicem Cardinalem creauit. Patres Andream Grittum, qui ex morbo in vrbe conualuerat, iterum Legatum legerunt, & Patauium reuerti iusserunt. Cùm autem Daniel Barbadicus & Laurentius Priolus lecti à Patribus Quinqueuiri rebus

maritimis in Senatu procurandis ætatem probare non potuissent, paucique eis mẽses legitimi temporis deessent, datis mutuò reipublicæ senis auri libris, ad magistratum obeundum sunt admissi. Atq; in Istris quidem cùm earum regionum hostes Christophoro Friapane duce aliquot oppidula reipublicæ cepissent, vigintiquinque equites Mugiam ad mare oppidum cum tubis & tympanis miserunt, qui illud Maximiliani nomine à ciuibus peterent: illi se tueri velle vrbem reipublicæ responderunt. Magistratus autem Venetus ibi qui erat, quà equitibus in reditu erat transeundum, Bombizam Mugianum fortem hominem cum bireme atque nauicula breuiore itinere misit, qui spatio celeriter confecto, naui prosiliens cum reuertentibus congressus maiorem eorum partem cæcidit. posteroq; die Friapanes cum militibus quinque millibus, equitibus nongentis ab ea parte, qua salinæ sunt, castris positis, muros tormentis muralibus deijcere aggressus, eos qui solidißimi non erant facilè aperuit, sic, vt ingredi sese posse confideret. at ciues vniuersi vnà cum mulieribus eo in loco aggere intra mœnia celeriter excitato, se munierunt. Interim Andreas Ciuranus, equitum Epirotarum præfectus, Iustinopoli adueniens alia ex parte in oppidum se intulit, auxilioq; Mugianis fuit. Hostes labore oppugnationis frustrà suscepto, interfectis ex eorum exercitu nõ paucis, vulneratis perplurimis in quibus Friapanes ipse et magistratus Tergestinus fuerunt, discedere sunt coacti. Ea in oppugnatione Bombizæ virtus magno vsui suis ciuibus fuit. Cũ hæc in Istris gererẽtur, Galli & Germani ad Taurisum obsidendũ profecti, nõ lõgè ab oppido, modò hac modò illac castris positis, quòd ab hostibus ex muro tormentorũ pilis

interficie

interficiebantur, vrbem aggredi non sunt ausi: sed Silum *flumen nauiculis, quas secum in carris ferebant, traijcientes, quòd non satis res illis frumentaria suppetebat, prædas vndequaq; abigebāt eo facilius, quòd agricolæ, tametsi iußi non semel edicto præfectorum fuissent, vt sua in tutum exportarent, id tamen facere magna ex parte neglexerant. itaque latè atq; ad loca lōginquiora vagabantur, verùm sæpius non impunè: nostri enim equites* Epirotæ *aliquam eorum manum assequuti cædes faciebant, prædas auferebant, commeatum qui cis superioribus è regionibus afferebatur, intercipiebant: quamobrem diebus pluribus in ea cogitatione cōsumptis, ad extremum desperantes oppidum rebus propè omnibus ad sustinendam obsidionem communitum capi posse, abierunt, vt se* Vicetiam *reciperent; cùm paulò antea ob aduersam valetudinem* Ioannes Franciscus Gambara Brixianus *ex principibus ciuitatis, de quo superioribus libris diximus, in* Colle Alto *mortem obijsset.* Grittus *cum stipendio exercitui dando* Patauium *est profectus. quò quidem* Balio *è* Fossa Clodia, *aduectis ad continentem per æstuaria suis equitibus et militibus, vrbe ac* Patribus, *ne tempus tereret, ad dexteram relictis, breuiore itinere paulò pòst et ipse se cōtulit, duobus à magistratibus, qui res bellicas in* Senatu *procurant,* Antonio Iustiniano, Andrea Triuisano, *quos* Patres *ad illum honoris causa miserant, eò perductus.* Quoniam *verò literæ* Roma *venerant,* Hieronymum Donatum *Legatum maximis iliacis doloribus ita iam confectum esse, vt spes propè nulla eius vitæ sit relicta,* Franciscum Foscarū, *qui* Prætor Patauinis *fuerat,* Senatus *ei sublegauit, qui celeriter, si* Donatus *mortem obierit, proficiscatur.* Cum

autem fœderis, de quo suprà dictum est, in vrbe recitandi dies aduenißet: quem quidem diem propter imbres & non serenas tempestates eousque Patres distulerãt: à Lauredano duce & principibus ciuitatis, ac omni Senatu, diuinis auditis in æde Marcia sermonibus, ea celebritas in foro est facta, is parietum eius ornatus, is sacrorum collegiorum, is omnium ordinum, omnis ætatis conuentus & perambulatio fuit, ea vis argenti atque auri fabrefacti, & gemmatorum monimentorum per manus hominum atque ipsis in canistris & corbibus circumducta, vt mirum sanè fuerit, in tam exhausta bellis & tributorum collationibus ciuitate, tantam honestorum & ornatißimorũ hominum frequentiam, tantos thesauros, tantas opes extitisse. In ea celebritate vbi Lauredanus in forum venit, capita fœderis è saxo edictorum clara voce à præcone pronunciata, magnis populus acclamationibus exceperat. Hostes Tauriso profecti cùm ad Plauim flumen iter flexissent, vt commeatui, qui Corneliano erat mittendus, obuiam fierent, ne à Venetis intercipi poßet: eo demum à Ioanne Gõzaga Francisci fratre, qui Corneliani eius rei procurandæ causa restiterat, in carris centum adducto, in fines Patauinorum reuerterunt, ædificia, quæ adire poterant, Venetorum ciuium, quorum erat celebris neque paruus numerus, plerunque comburentes: & Medoaco flumine traiecto, Vicetiam propè hominibus vacuam, deinde Veronam non sine crebris detrimentis ob equitum reipublicæ eos insequentium audaciam se receperunt, domum reditione è Germanorum parte plurima ex itinere Veronaq́; suscepta. Profectis hostibus, Cornelianum, Serauallium, Vdertium, Mota, sponte ad rempub. redierunt: idemq́; fa-

ctura

ctura Sacilium & Ciuidale nunc iabantur. Portus autem Gruarij municipes Nicolao Vendramino, qui Tisanæ eius regionis vico in agris suis erat, accersito, vt prætorem in oppido ageret, magistratum Germanorum captiuum fecerunt, atque ad vrbem miserunt. neque tamen nō à militibus Germanis duobus millibus, qui repentè in Carnis extiterunt, plura reipublicæ loca infestabantur. Inter hæc, vt belli sumptibus pecunia suppeteret, Patres legem sciuerunt, vt medijs domorum fructibus, qui ex locationibus proueniunt, æquam partem inquilini omnes in ærarium inferrent, exceptis ijs, qui hoc bello ab hostibus reipublicæ domo sua pulsi, se ad vrbem recepissent: atque ijs, quorum fructus decimam unciæ partem non excederent. Aliam etiam legem ijdem Patres sanxerunt, vt in proximo senatu ad naualia rectius atque commodius procuranda nouus magistratus legeretur, qui adesse in Principis & Patrum collegio, legesq; ferre in Senatu posset: lectusq; est Antonius Tronus templi Marcij procurator. itemq; vt Romam literæ ad Legati scribam mitterentur, vt si Legatus mortem obijsset, ipse ab Iulio Senatus nomine sacerdotium aliquod vni ex Legati liberis impetraret, quo munere demortui familia sat grauis, neq; victu abundans fulciretur. Ipse autem Legatus iam obierat. At in proximis comitijs cùm Cypro insula regenda magistratus crearetur, qui reipublicæ locum teneret, Gradenicus Taurisi Legatus, & bellum diligenter administrans, eum magistratum magno fauore ciuitatis obtinuit: quanquam eius competitores, vt illum eundem consequerentur, salutando prehensandoq; ei rei multos dies operā dedissent: id quod Gradenicus absens, & in castris facere nequiuerat: verùm illum

tot labores pro republica perpeßi commendatum apud omnes reddebāt. Post hæc Senatui placuit, vt Gradenicus *præfectiq; equitum propè omnes ad recuperanda ea quæ respublica in* Carnis *amiserat, se conferrent: itaque pridie* Nonas Nouembris Taurisо *cum tormentis profecti sunt. postridieq; eius diei Senatus hortatu* Hieronymus Saornianus, *in vrbe qui erat, reliquiq; illorum oppidorum ciues amici reipublicæ in* Carnos *ad* Legatum *iuuandum reuerterunt.* Nicolaus *autem* Bolanus, *qui* Maximiliano *magna manu* Butistanium, *quod est in* Istris, *obsidente, eius municipij arcem, cui præfectus erat, militibus se dedentibus amiserat, in vrbem redijt, vt se ad carcerem sisteret.* Eorum *autem ciuium qui propter eiusmodi causas carceri se tradiderant, eo tempore perplures à iudicibus absoluti sunt, atque ad rempub. admißi. ab* Epirotis *verò equitibus quadraginta prope* Veronam *homo* Sequanus *omnium* Maximiliani *equitum præfectus, quem* Rosæ *dominum appellabant, interceptus, cùm se magno animo defendisset, vulnere in facie accepto, cum nō paucis equitibus captus,* Patauiumq; *perductus est: quem quidem* Legati *honorificè exceptum* Venetias *miserunt: cumq; postea è custodia in* Patrum *collegium à duobus magistratibus adductum, atque ad principis latus sedentem,* Lauredanus *ipse reliquiq;* Patres *bono animo esse iussum, amantißimis sunt verbis prosequuti:* Vicetiaq; *ad remp. redijt. Verùm cùm annonæ caritas in vrbe atq; in reliquis reipublicæ oppidis magnopere creuisset,* Decemuiri *legem sciuerunt, quicunq; se receperit ex maris* Adriani *à læua regionibus, atque ab* Epiro, Acarnania, Aetolia, *frumenti aliquem numerum ad vrbem aduecturum, ei in singula frumenti staria*

ria viginti solidos rempub. dono daturam, atque, vt is tertiam vniuersi frumenti partem venundare in omni sua extra vrbem ditione posit, permissuram. A Senatu etiam vndecim Ciuidalis Beluniani ciuibus, qui se amanter pro rep. gesserant, vigintiquinq; agri iugera in Portus Gruarij finibus dono singulis data sunt: quæ iugera hæredes ipsorum sequantur. A Rhodigianis autem oratores Patauium ad legatos missi venerunt, qui dicerent, omnes Alfonsi equites & milites Padum traiecisse, eaq; loca reliquisse, itaque redire se ad rempub. cupere: rogare, vt qui præsit, in oppidum mittant: quamobrem Valerius Marcellus, quem Patres magistratum Rhodigianis antea creauerant, eratq; tunc Patauij, Legatorum iussu eò se contulit. Romæ verò antè diem nonum Calendarum Nouembris in publico Cardinalium collegio Iulius Hispanis duobus & Gallis totidem, qui concilium Pisanum coegerant, Cardinalatũ, quo in ordine erant, abrogauit. In vrbe prætor est Vicetinis Franciscus Falerius datus: & qui plerisq; municipijs paucorum dierum spatio sponte se reipublicæ reddentibus præessent, lecti: & qui antea lecti erant, ad suos magistratus obeundos ire iussi. Vtinumq; receptũ est. Octauianus autem Fregosius magnæ virtutis adolescẽs, qui cũ Balione venerat, & Ianes ex eadem familia, de quo sæpe dictũ est, Iulij rogatu, Ianuensium statum renouare magnopere cupientis, Senatu cõcedente Romã ad illum profecti sunt. Troilus verò Sabellus ob auaritiam (suorum enim equitũ stipendia fraudabat, eaq; de causa nihil illis negabat, atque illi indigna omnia patrare non verebantur) cùm sui muneris tẽpus expleuisset, à Senatu est dimissus. atq; ob pecuniæ indigentiam omnes pensiones solutionesq; à rep. fieri so-

litæ, ab Idibus Nouembris vsque ad Calendas Martias, ab eodem Senatu suspensæ ac retentæ sunt. Quoniam autem propter res ad vsum & mercaturam ciuium non rectè ab Aegyptijs administratas, ad Alexandrinorum regem, quem Soldanum appellabant, erat mittendus, qui ciuitatis causam reipublicæ nomine tueretur: Patres legem sciuerunt, vt legatus ad id munus crearetur obeundum etiam ex ijs, qui in magistratu essent, eiq; è communi mercatorũ pecunia auri libræ X. in præsentia darentur: salarij verò nomine in menses singulos ternæ libræ, cum nauigiorum, quæ illum adducerent & reducerent, mercedibus: atq; ita Petrum Balbum, quem quidem antea rei maritimæ imperatorem comitia creauerant, statim legerunt. A Balbo legatione non suscepta, quod quidem facere vnis imperatoribus licebat, Dominico Triuisano templi Marcij procuratori eam curam mandauerunt. Redierat in fines reipublicæ Christophorus Friapanes, de quo paulò antea diximus, ad eosdem Mugianos vexandos: quod vbi Andreæ Ciurano renunciatum est, qui non longißimè aberat, cum suis ad illum cõtendit, commissoq; prælio Friapanem medio in agmine conspicatus, in illum se intulit. Non respuit congressum Friapanes: itaq; cùm vterq; alterũ sæpius stricto gladio petijsset, Ciuranus tãdem hostis faciem mediam lato vulnere sauciauit, atq; illũ in fugam conuertit. eo diffugiẽte maior pars agminis dilapsa: reliqui aut interfecti, aut capti. Ciurani egregia eo die virtus fuit. Gradenico in Carnis ad Cremonse municipium profecto, mißisq; ad oppidanos internuncijs, cum mãdatis, nisi antequam exercitus se ad muros conferat, deditionem fecerint, eos se omnes eorumq; omnia in prædam militibus concessurum: illi minas

nas veriti sine vllis conditionibus se legato tradiderunt. Venerant secretò ad ostium Lauredani principis Germani duo, à Mattæho Episcopo Gurcensiũ missi, qui eius nomine petierunt, vt ei liceret per fines reipublicæ iter facere, triremesq; habere, quibus se in Flaminiã traijciat: velle enim Romam ad Iulium accedere tractandarum rerum inter Maximilianum Venetosq; causa. atque ij quæ postulauerant, à Senatu impetrauerunt. Sub hæc Andream Triuisanum, qui Vtini magistratus reipublicæ locum teneret, cum Senatorum prærogatiua maiora comitia creauerunt. Pauloq; pòst Albertus Pius Maximiliani legatus Venetias venit, petens à Patribus, vt quatuor ciues, binos ex Decemuirûm, binos ex Senatorum ordine, in Germaniam mitterent, qui obsidum loco essent, vt Matthæus Episcopus Gurcensium tutò se reip. posset committere: nauésque triremes quatuor paratas ei traderent, quæ illum Anconã adducerẽt sub Maximiliani signis: aut, si id ipsi negaretur, sub Iulij. Iis de rebus consulto Senatu, dare obsides non placuit, ne reip. dignitas, cuius fides nullo tempore vllis principibus defuißet, minueretur: reliqua facilè concessa. Quod cùm Pius intellexisset, de eo literas ad Maximilianum dedit, atq; in vrbe, quid is rescriberet, operiri sese velle dixit. Etiam Thomæ Strigoniensi Cardinali bene de rep. merito ex Pannonia proficiscenti triremis, qua in triremi Anconam aducheretur, tradita: missusq; ad illum Vincentius Guidottus Senatus scriba cum munerib. reip. nomine salutãdi eum causa. Post hæc Hieronymi Saornia ni perceleri ad vrbem aduentu Patres certiores facti sunt, reip. exercitum Clusam & Venzonium cepisse: isq; illos multis de rebus admonens statim ad exercitum redijt. Alia

ex parte à Maximiliani copijs Cadoræ captæ atq; incensæ sunt. In vrbe autem à Senatu decima cum medio censu ciuibus imposita. Atq; illis diebus Augustinus Maurocenus Heluetiorum interpres itinere deuio propter Gallorum suspiciones, qui loca omnia custodiebant, ad Patres missus, eis proposuit, statuisse Heluetios ab Italia Gallos expellere: itaq; velle eos primùm omnium Venetis auxilio esse, vt posteà coniunctis opibus illos facilius eijciant, modò ipsis à rep: commeatus, tormenta, & equites quingenti tribuantur: eas tantùm res satis Heluetijs ad bellum gerendum futuras: ipsos ad hoc iam signum illud explicuisse, sub quo Carolum Sequanorũ ducem vicerant, atq; interfecerant ante annos paulò minus quinquaginta. quod signum nunquam postea explicuerant Heluetij. Cumq; dies esset maiorem in modum pluuius, aperto in æde sacra signo serenitas mira illuxit: quod quidem illi optimum in omen acceperunt, omnia ipsis è sententia successura. Is etiam, quòd in familia eius nominis esset, quod maximè celebre apud Venetos est, amicum esse reipublicæ cupereq; illi omnia se ostendit: itaq; eum Patres liberaliter exceperunt. Consulto deinde Senatu, omnibus ad vnum suffragijs, quod rarò fieri assolet, oblata Heluetiorum accepta, & quæ petierant, eis promissa. Interim Iulio magnopere hortante, vt quæ petierat Albertus Matthæi Episcopi nomine, ea illi concederentur, Senatusconsultum factum est, vti de quatuor obsidibus in Germaniam mittẽdis, totidemq; triremibus Matthæo dandis, omni ex parte Alberti postulationi satisfieret. neq; tamen obsides sunt missi. Alberto ipso non multos post dies ex Maximiliani literis apud Patres pronũciante: quoniã is Romæ per Iuliũ perq; suos internuncios

ternuncios agere, quæ agenda erãt, cum rep. statuerat, nõ opus esse vt mitterentur. Gradenico autem legato in Carnis non sat prosperè bellũ administrante, cùm ob durũ & intractabile anni tempus, bruma enim appetierat, niuosis præsertim & frigidioribus in locis: tum verò propter stipendia nõ in tempore persoluta, & commeatus inopiam, quem direptis oppidis & vastatis agris plerunq; ab vrbe subuehi & expectari oportebat: à mari autem per continentem eò vsq; omnia ob boum & iumentorum infrequẽtiam tardè & difficulter afferebantur: Grittus legatus cum ea quam habebat manu Senatus iussu Feltriam venerat. itaque cùm Gradenicus suo exercitu Gradiscas oppidum cinxisset, tormentisq; positis parum proficeret, Senatus statuit, vt Grittus eò accederet, suasq; copias cum illius copijs coniungeret, neque tamen ea re Gradiscæ capi ab illis potuerunt, vtriusque militibus & equitibus & præfectorum plurimis à tanto se labore subtrahentibus. His rebus Senatui palàm factis, quòd Heluetij in fines Mediolanensium iam irruperant, castellaq; nonnulla ceperant, Senatus literas ad Grittum dedit: si se paucorũ dierum spatio in Gradiscis capiẽdis nihil profecturũ esse intelligit, Vicetiã suis cum copijs redeat, vt Heluetijs auxilio posit esse. Dũ eæ literæ perferuntur, legati ambo Vipulzanum & Martinianum & Florianum castella in collibus posita, acriter cum Maximiliani militibus, qui ea tuebantur, atq; ad prælium exierant, congressi, fuga eorum & cæde facta ceperunt: quodq; ab ijs reip. populi magnopere vexabantur, oppidanos diripuerunt, ædificiaq; in agris incenderunt. Hostes quoque illi qui erant Cadoris, duorum exercituum coniunctione perterriti, ijs relictis in Alpium se interio-

ra receperunt. Eius verò loci homines qui supererant, internuncijs ad Patres missis, qui se regerent, ab eis petierunt: velleq; sese arcem incensam reficere reip. sunt polliciti. Gritto Vicetiam reuertente, Ioannes Græcus equitum sagittariorum præfectus reiq; pub. amantissimus, homo iā senex, suo in lectulo ea in vrbe mortem obijt. Eius equites C L. Meleagro Foroliuiensi cum omnium equitum leuiorum præfectura à Senatu traditi. Miserat Venetias Ioannes Cardona Neapoli Prorex Ferdinandi regis iussu Ioannem Baptistam Spinellum, Cariati, vt aiebant, Comitem, internuncium suum, vt optimum Pro regis ad remp. iuuandam Gallosq; oppugnandos animum Lauredano principi & Patribus ostenderet, eosq; ad pacem cum Maximiliano conficiendam hortaretur: adderetq;, si id fecerint, omnia eis prosperè ventura, sese confidere. Patres hominem eo libentius exceperunt, quòd is aliàs etiam annis superioribus Ferdinādi legatus ad ipsos fuerat. Is se manere in vrbe velle dixit. Patres ei domum paratam publicè tribuerunt. Iisdem diebus milites Hispani numero ad nouem millia Iulio ab rege suo traditi, cùm ad Bastiā Alfonsi castellum ad Padi ripam, de quo superius diximus, apprimè communitum se contulissent, tormentis eam verberare quàm proximè poterant, cœperunt: deinde adhibitis ante se cratibus, quæ eos tegerent, ne noceri eis posset, terra effossa per eam demissiores & tutiores facti, etiam propius pluribus à partibus accesserant: tertio demum die ad fossas & murum perducti, multis vulneribus & illatis & acceptis scalisq; positis eum perforauerunt, sic vt in eo, qui erat latissimus, tanquam concameratiunculam efficerent, atq; in eam tormentorum puluerem iniecerunt, cameramq; plenā pul

ueris

ueris concluserunt, paruo relicto foramine, per quod ignis succendi posset, seq; à muro parumper retrahentibus, cùm visum est igne immisso camera cum muri parte decemq; hominibus, qui in eo erant, in sublime ita est disiecta, vt homines speciem volantium præberent. neq; tamen reliqui propugnationem intermiserũt, fortißimeq; se defendebãt: qui etiam ab Alfonsianis altera ex Padi ripa duobusq; terreis propugnaculis tormentis muralibus non parum iuuabãtur. verùm Hispani *perplurimis adductis scalis, sesquihoræ spacio in arcem se intulerunt.* Alfonsi *milites, qui erant circiter centum, interfecti omnes sunt cum eorũ Centurione* Vestitello. Ex Hispanis *item centum in ea oppugnatione occubuerãt.* Tertioq; *ab ea re die anni finis fuit.* Neq; *tamen diu ab* Hispanis *id castellum retentum est:* Ia*nuario enim mense ferè medio* Alfonsius *eò cum tormentis se conferens, magnaq; vi aggressus arcem expugnauit, atque* Hispanos, *qui in ea erant* C C. *omnes interfecit,* Scri*pserat magistris* Decemuirûm Aloisius Auogarius Brixia*nus è principibus ciuitatis, si exercitum* Patres Brixiam *mitterent, se vrbis portam noctu ei aperiturum, per quam se vniuersus intromitteret, vrbemq; caperet libentißimis oppidanis propè omnibus, quibus iam magnopere pigeret arrogantiæ contumaciæq;* Gallorum, *quos perferre vlterius nequeãt.* Ea res in Decemuirûm collegio plures dies *agitata, demum ab ipsis ad Senatum est delata, vt de ea* Pa*tres statuerent, accipiendáne* Aloisii *oblatio esset, an reijcienda.* Pluribus *igitur dictis sententijs in vtranque partẽ, atq; à* Lauredano *duce in primis, qui, ne ea tunc reciperetur, censebat, Senatus iußit, eam recipi è rep. esse,* Aloi*siumq; magnopere laudari oportere, qui se tantam rem*

curaturum reip. obtulerit, dato iureiurando senatoribus singulis, ne quid eius rei quis efferret. Itaq; Patres Grittũ legatum de eo certiorem fecerunt, cum mandatis, vti Brixiam se quamprimum cùm exercitu conferat, quam ad portam, quámue ante horam ipsi cum Aloisio conuenerit: certosq; Gritto internuncios, quibus vteretur, dederunt. Gradenico legato sæpe id à Patribus postulanti, domum reditio tandem est permissa: eiusq; loco paucos post dies Ioannes Viturius sublectus. Grittus acceptis à Senatu literis, cum equitibus grauioris & leuioris armaturæ tribus millibus ex omni exercitu lectis, cumq; militibus quot visum est, in equitum dorso impositis, Brixiam noctu profectus oppidum ingredi non potuit, detecta Aloisij oblatione, quã vnius ex coniuratis vxor ad arcis præfectum amore eius pellecta detulerat. Aloisius, ne à Gallis interciperetur, oppido egressus magnum hominum numerum in illos excitauit, qui nonnullos regios ministros ex ipsorum municipijs, quibus præerant, in fugam sese dare coegerũt. Patres ea spe deiecti, de pacis cùm Maximiliano ineundæ cõditionibus Romæ apud Iulium constituendis, cùm plures sententias in Senatu dixissent, ea tandem placuit, vt induciæ per Foscarum legatum peterentur, quoad pax confieri posset. Vanissa, de quo sæpe dictum est, multæ virtutis homo, cùm Polizam Dalmatarum oppidum suam in patriam redijsset, seditione concitata interfectus est à suis ciuibus. Gaspar autem Seuerinas, suis rebus suæq; dignitati omnibus à partibus atqueadeo à principibus & regib. parum fidens, se Venetias cõtulit, vt in ea vrbe degeret, cuius ciuitate & iure comitiorum pater eius vnà cum liberis posterisq; donatus fuerat. Eum Vicetini ciues aliquot, in vrbe

qui

qui erant, suis opibus iuuerunt: amicè enim atq; moderatè in ciuitatem, cùm pro Maximiliano ibi esset, se gesserat. Auogarius ob detectam coniurationem non deterritus, multa ex proximis municipijs & finibus hominum millia iam excitauerat ad Gallos expellendos: qua re moti Amphiani, arcem natura & artificio communitam, vi atq; astu occisis Gallis, qui in ea erant, in suam potestatem redegerũt, eamq; se reip. seruaturos Aloisio significauerunt. Benaci lacus populi ferè omnes expulsis Gallis se reip. dediderũt. His auditionibus concitati reliqui, in Gallorum nomẽ magno ardore voluntatum & arma capiebant, & se Aloisio permittebãt. Ea re Senatui nũciata, Patres alteras ad Grittum literas dederunt, vti Aloisij & aliorum plena fidei & beneuolentiæ incœpta, quibus posset modis aleret, atq; ad vrbis muros vnà cum illis exercitum adduceret, quo ipsius & illorum præsentia freti oppidani, pulchrum aliquod facinus facere aggrederentur, portasq; aperirent: tam pronos in remp. Aloisij & eorum populorum animos nõ esse negligentia & desidia reprimendos. His allatis ad Grittũ literis, tametsi interea animorum ille ardor eorum hominum, qui cum Aloisio erant, paulatim refrixisset: Galli enim præfecti ciues aliquot, quos fauere rebus Venetis existimabant, cum custodibus Mediolanum miserant: minusq; multi iam essent, qui se paratos ostenderent ad omne subeundum discrimen, vt Brixia capi posset: tentandum tamẽ sibi & enitendum legatus existimauit, vt Senatui satisfaceret, à quo etiam reprehendi se, ac timoris argui non obscurè intelligebat: itaq; Aloisio ad se vocato, cõstitutoq; quid quenq; facere oporteret, quarto Nonas Februarias exercitum nocte ad oppidum duxit, tribusq; à partibus copijs

æquè distributis cum tormentis non magni ponderis (neque enim habebat grauiora) portas deijcere aggreditur. Id cùm plures horas omnes acies magno impetu fecissent, ea disiecta primùm porta, ad quam se Aloisius contulerat, ipse quiq; cum eo erant milites sub lucem se in oppidum iniecerunt. pauloq; pòst legatus reliquiq; altera aperta porta subsequuti, magna lætitia & gratulatione ab oppidanis excepti sunt. Galli se in arcem, quæ summo in monte est, pluribus eorum interfectis, fugientes contulerunt: quibuscum eòdem se recepit Alda ea, quæ Ioannis Francisci Gambaræ vxor fuerat, suis cum liberis, & Marcus Martinengius homo infensus reip. Eo tempore Anna Gallorum regis vxor puerum peperit, qui primis diebus est mortuus. Brixia statim capta, Grittus per literas à Senatu petijt, vt sibi tormenta magni ponderis mitti confestim imperaret, sine quibus expugnari arx non poterat: qua in arce erant equites Galli circiter ducenti, qui suos equos ob celeritatem fugæ in oppido prædæ hostium reliquerant: milites trecenti. Senatus ex eisdem Gritti literis duos legatos, alterũ qui Brixiam regeret, Antonium Iustinianum: alterum, qui in exercitu esset, Paulum Capellum creauit: legemq; sciuit, vt quinq; militum millia vndecunq; conscriberentur, ad prioresq; adderentur, vt bellum confici facilius atq; celerius posset. Dum hæc administrarentur, Roma literæ venerunt, velle Iulium vt Senatus cum Maximiliano pacem faceret ijs cõditionibus, quas legato dari iusserat: quæ nisi pax suum finem quamprimùm habeat, se cum reliquis contra rempub. consensurum, apertè profiteri. Eæ autem conditiones multò erant duriores, quàm quæ paulò antea proponebantur: non enim Veronam relinqui

linqui sibi Maximilianus tantum petebat, sed Vicetiam *e-tiam tradi suis cum finibus.* De Foroiuliensibus verò & Ci tu dale & Feltria, *vt Iulij iudicium esset, cui ea dari æquum esset, postulabat. tum vt suis populis, qui aliquid eo bello amisissent, ablata restituerentur, statuebat. demum, quas auri libras tercentenas pro* Patauio & Taurisio *reipub. cõ cedendis ei esse dandas propè conuenerat eius rationis ac ponderis, vt nouem vnciæ libram conficerent, eæ vt singulæ duodecim vnciarum esse libræ intelligerentur, reliquis conditionibus addiderat.* His *igitur conditionibus v-ti pacem* Patres *firmarent,* Iulij & Ferdinandi *legatis, at-que* Alberto Pio Maximiliani *legato, qui & ipse literas de ea re acceperat, magnopere petentibus, responderunt* Patres*, se de ijs Senatum consulturos. tametsi* Brixia *re-cepta tam iniquas eum esse conditiones accepturum non credebant: neque* Iulium *ipsum, cùm id intellexisset, in sententia existimabant permansurum. atque ij, antequam Senatum cogerent, à* Gritto *certiores facti sunt, non omnes modò* Brixiæ *fines ad rempublicam rediJsse, sed* Ber-gomates *quoque* Gallos *ex oppido eiecisse, & vexilla rei-pub. erexisse, oppidiq́; arcem quam milites* CCL. *tueban tur, deditione recepisse: mißisq́; ad eum internuncijs pe-tijsse, vt ad se mitteret qui præesset, eum se vti de cœlo mis sum excepturos: atque ipsum ad illos* Federicum Conta-renum *vnà cum* Petro Longena *misisse.* Cremam *quoque idem fuisse facturam, nisi* Galli *milites bis mille* Mediola-no *euocatos magna celeritate in oppidum introduxissent, perpluresq́; eius oppidi ciues obsidum nomine* Mediola-num *abduxissent.* Galli Bergomo *eiecti, se in arcem, quæ extra mœnia est summo in monte, receperunt. qui-*

bus intellectis rebus Patres Senatu coacto Dominicum Contarenum legerunt, qui statim Bergomum legatus accederet: Gaspariq; Seuerinati, cui XX. auri libras annuas in victum daturos polliciti sunt, vt se in castra conferret, mandauerunt. & quòd pecunia eos deficerat, legem tulerunt, vt mutuò à Patribus sumeretur: atq; ita Lauredano Principe auri libras X. pollicēte, alijsq; plurimis pro suis opibus quolibet, paucarum horarum spatio satis est publicis necessitatibus factum. etiam, propterea quòd à Ioanne Medice Cardinali, quem Iulius legatum suis in castris ad Bononiam esse iusserat, admonebantur, vti aliquem ex suis ciuibus legatum ad Cardonam Proregem Neapolitanorum, in eisdem castris qui erat, mitterent, vt quæ opus esset, diligentius inter eos tractarentur, Marinus Georgius est ab illis ad id muneris lectus: qui legatione suscepta, paucos post dies viæ se dedit. Interim præfectus Mediolanensium Foius, magni & præstantis animi adolescens, Mediolano cum equitibus Gallici generis septingentis, militibus quinis millibus, incredibili celeritate niuosis lutosissimisq; itineribus Bononiam profectus, ita se tacitè in oppidum intulit, vt Hispanos, qui ad fossas castris & tormentis positis stationes habebant, erantq; singulis propè horis in oppidum, quod muro ea parte nudauerant, irrupturi, eius aduentus vnum diem planè latuerit: quo die, vt requiem exercitui daret, mouere se non potuit: postridie eius diei præfecti Iuliani casu ab agricola, qui Gallos in via viderat, de eo certiores facti, obsidione soluta tormentisq; abductis abierunt, seq; in tutū contulerunt. Iulius permolestè ferens recipiendæ Bononiæ partam iam propè à se victoriā Gallos interpellauisse, oppidūq; tam illustre sibi ab il-

ab illis, tanquam è manu atque sinu ereptum inconsolabiliter dolens, homo natura sua in iram atque ardorem animi pronus maximè, vbi de recepta ab exercitu Veneto Brixia nuncium accepit, incredibilem voluptatem cepit: vocatoq; confestim ad se, vt erat intẽpesta nox, legato reipublicæ, gratulatus ei est amantissimè, vt præ gaudio lachrymas non continuerit, horasq; illum propè duas in lectulo iacens lætus hilarisq; secum tenuit. cuius quidem voluptatis signa publicè postea dedit, accensis in Vaticano atq; in Adriani arce luminibus cum tormentorum strepitu binis ijs noctibus, quæ sunt eum nuncium subsequutæ. Auxilio Bononiensibus allato, Foius ad Brixiam recuperãdam se conuertit eo celerius, quòd pontem Pado flumine traijciendo, quem ad Stellatã castellum in Alfonsi finibus magna diligentia fieri iusserat, esse factum, atq; in nauibus impositum cognouit: itaque eadem celeritate qua venerat, rediens, eo ponte Pado transmisso, in Veronensiũ finibus ad Villam Francam reipublicæ copias, quæ cum Balione erant, fudit, Guido Rangonio cum pluribus capto: & rectà Brixiam contendens, oppidumq; circumuectus, copijs eorum finium, quæ in monte arci vicino venientibus se opposuerant, reiectis, in arcem ab inclusis magna gratulatione est receptus. Grittus, qui sæpe id ipsum veritus, per literas à Patribus tormenta grauiora diligentissimè petierat, vt antequam auxilia conuenirent, capere arcem posset: vbi Foium esse in illa cognouit, spe retinendi oppidi suum apud animum planè deposita, plurimũ questus, quòd quæ ad rei bellicæ vsum petierat, in tempore allata nõ fuissent; curam tamen & laborem atq; audaciã defendendi non remisit: itaq; existimans postero die Foiũ in oppidum descen

surum, ne quis in fuga spem vllam poneret, occludi portas oppidi imperauit, dispositis militibus, qui eas nemini aperiri permitterent. tum milites Fauentinos, quibus plurimum confidebat, circiter quingentos, cæterarumq; nationum alios item quingentos ad priorem arcis portam, qui est in vrbem exitus, constituit, vt in venientes impetum facerent, exitumq; prohiberent. equites verò grauis armaturæ ad hostes excipiendos, si in oppidum irrumperent; leuioris, Epirotasq; maximè, vt vbi oporteret præliarentur, disposuit: præfectum eorum Federicum Contarenum, qui eo ipso die cum equitibus tercentis Bergomo redierat, cohortatus, vt in libera maximè omnium ciuitate se esse natum meminisset, libertatemq; patriam, quam Galli sibi esse obterendam proposuerant, quantum posset tueretur: reliquisq; item & præfectis & tribunis ac centurionibus, quid cuiq; defendendum esset, separatim mandauit. Vix ea Grittus constituerat, cùm manè Foius ex equitibus quos habebat probatiores, equis detractis acie quingentorum confecta, eos tota armatos corpora, galeisq; obsignatis, semilanceas in manibus longi latiq; ferri habentes aperta porta priores emisit. quibus Fauentini, ut eis erat imperatum, magna se virtute opposuerunt: maioreq; eorum parte interfecta, reliquos repulerunt. In hos milites bis mille Vascones subsequuti impreßionem fecerunt, interfectisq; non sine ipsorum cæde quamplurimis, in oppidum proruperunt. Pugnatum est acriter reliquis à reipublicæ militibus, ab equitibus & præfectis horas aliquot ita, vt de viarum spatijs paulùm hostibus cederent: verùm aperta vi ab Epirotis equitibus oppidi porta, perplurimisq; eorum diffugientibus, vbi id ab hostium equitibus, qui in arcem

propter

propter loci angustiam recepti non fuerant, atq; armati non lõgè aberant, est animaduersum, ipsi in oppidum irruperunt, magnoq́; suis auxilio fuerunt: itaq; vrgente hostium multitudine vndiq; cædes est ingens in omnes facta. Contarenus ipse prælians interficitur cum præfectis Epirotis duobus Fraßina & Basta: Grittus & Antonius Iustinianus, qui paucos ante dies Brixiam legatus venerat, & præfecti Itali plurimi captiui facti. prælium à secunda diei hora vsq; ad vesperam protractum. vrbs magna ex parte direpta. matresfamiliâs & puellæ suis in domibus ante parentum & maritorum ora, quos in vincula hostes coniecerant, paßim violatæ. virgines sacræ è templis atq; aris & Deorum imaginibus, quas amplexabantur, abstractæ, ad libidinemq́; abductæ. atq; ea quidem scelera Germani milites maximè omnium patrabant. Vascones minus impij, Galli tolerabiliores fuerunt. Aloisio Auogario, quem oppido exeuntem hostes ceperant, biduo pòst medio in foro ceruices sunt abscissæ. Eius rei nuncio Patres accèpto magnopere commoti sunt, quòd iam nihil prosperè ab ipsis tentari agiue posse videretur: plurimumq́; conquerebantur, quòd in perducendis tormentis ad legatum Grittum minus diligenter actum esset: eam vnam ob causam omnes omnium labores magno cum reipublicæ detrimento irritos, & opulentum ac præclarum oppidum hostibus prædæ ac direptioni traditum. Iidem Patres ad copias reintegrandas, quibus modis poterant, animum intenderunt: additumq; ad reliqua Senatus consulta, vti in Creta insula militum bina millia, qui sagittis vti scirent, conscriberentur, Venetiasq; celeriter mitterentur: nauesq; longæ maiores ad equites Epirotas quamplurimos ad vrbem conuehen-

dos pararentur. etiam libræ auri ducentæ, quas Proregi Neapolitano, *&* *Hispanis ducibus dari conuenerat,* Rauennam *illis sunt diebus missæ,& quibus oportebat, datæ.* Milites *interea equitesq́;, qui* Brixiæ *non fuerant, vel oppido effugerant, se* Vicetiam *contulerunt: eòdemq́; qui ab hostibus se redemerant, spoliati atque inermes sese passim referebant.* Grittus *&* Iustinianus *Mediolanum sunt adducti.* Dominico *Busichio equitum* Epirotarum *præfecto, qui* Brixia *effugerat, vti domum redire posset, permissum: mediaq́; stipendiorum, quæ à republica merebat, pars tribus eius filiab. post mortem patris condonata: quatuorq́;* Epirotis *equitibus, in* Gallico *exercitu qui erant, curamq́; adhibuerāt ne* Busichius *à* Gallis *captiuus fieret, pēsio annua singulis, quoad viuerent, impetrata. duobusq́;* Frassinæ Epirotarum *item equitum præfecti liberis pensio ipsius tradita. Idem in tres* Bastæ *fratres seruatū. paucosq́; post dies* Federici Contareni *sorori dotis nomine auri libræ quindecim è reipublicæ pecunia constitutæ. ciuib. autem* Brixianis *aliquot, qui amissis suis rebus omnibus ad vrbem venerant,* Iacominoq́; Tropiano, *eiusq́; filio à* Patribus *pecunia in victum subministrata. is* Iacominus *suæ vallis homines egregio studio atq; animo ad rempub. tuendam euocabat.* Ludouico *etiam* Cocaio, *qui vt* Benaci *lacus oppida se reip. dederent, studium et laborem cōtulerat, pensio annua liberaliter instituta, eiusq́; filio magistratus reip. ex ijs, qui à præfectis ciuitatum eliguntur, quē is vellet, dono datus.* Petro *quoq;* Finio Bergomati, *qui ad* Aloisiū Auogarium *sæpe ventitauerat, interpresq́; apud illū de* Brixia *reip. restituēda fidus atq; diligens fuerat, octo scribarum tempora apud totidem castri* Frāchi *magistratus*

stratus paulò pòst à Patribus aßignata. Curatores interea duo ad munitiones perficiẽdas atq; amplificãdas, Aloisius Barbarus Patauium, Bartholomæus Mustius Taurisum cum stipendio mißi. maioribusq; comitijs lex est perlata, vti bini Pataui præfecti, qui creandi erant, annui, & præ rogatiuis primùm senatorum suffragijs, deinde comitialibus legerentur: estq; Aloisius Emus secundæ dignitatis magistratus ea lege lectus. Legatis post hæc Heluetiorũ duodecim ad vrbem venientibus, vt cum Iulio & Ferdinando & Patribus ad bellũ contra Gallos se coniungerent, ciues è nobilitate, qui eos exciperent, obuiam mißi: ipsi liberali reipublicæ hospitio accepti; & victus datus. Iulius Brixiam à Gallis recuperatam intelligens, vti Patres cum Maximiliano fœdus facerent, non modò consulendo & suadendo, sed minis etiam atq; obnunciationib. contendebat. Tabellarius interim reip. qui apud Gallos erat in custodia, libertati restitutus Mediolano ad Patres venit, afferens Iacobum sibi Triultium Gritto adhibito mandauisse, Patribus diceret, si vellent, se cum rege curaturum, vti fœdus cum republica faceret, ea conditione, vt Verona reliquaq; intra Athesim flumen oppida reipublicæ cederent. Ea erat conditio conscripta in quadam pagina ex Gallia, vt videbatur, ab rege ad Triultium missa: ineratq; in ea caput etiam eiusmodi, regem præter ea redditurum Patribus Flaminiæ atq; Apuliæ oppida, que reip. fuissent: ipsum enim, si vnos Venetos coniunctos secum habeat, Iulium & reges reliquos non magni æstimaturum, aut omnino reueriturũ: verũ linea superinducta illud ipsum obliterauerat caput, ita tamen vt legi facilè posset. Patres Senatu vocato eam rem per literas legato Foscaro significauerunt, atq; vti uni

Iulio notam faceret, mandauerunt: de foedere autem cum Maximiliano ineundo, quod ad Vicetiam pertineret, velle Patres Iulij iudicio sese permittere: in reliquis capitibus ita fieret, vti Iulius & Maximilianus voluissent. Altero autẽ Senatusconsulto Vicetiam Maximiliano dari Patres censuerunt, cum ea pecunia, qua de conuenerat, non tamen antea, quàm Maximilianus bellum Aloisio intulisset. Postremò, propterea quòd in foedere tractando magna rerũ difficultas proponebatur, omnibus placuit, vti spacium à bello vacuum intercederet, quo in tempore pax commodius confici atq; ad exitum perduci posset: itaq; octauo Idus Apriles inter Maximilianum Venetosq; decem mensium cõcelebratae induciae sunt Romae ab vtrorumq; legatis, Iulio eis suam autoritatem adhibente, qui scribentibus affuit, ea conditione interposita, vti à Patribus quadringentae auri librae Maximiliano duabus pensionibus soluẽdae curarentur. quas quidem postea inducias adiectis ad eã pecuniam centum auri libris, vt essent omnes quingentae, Maximilianus confirmauit. Post haec Marcus Cardinalis Sedunus ad vrbem Romã rediens, à Lauredano Principe & Patribus in Bucentauro naui vsq; ad Clementis fanum, quod in vadis est, obuiam euntibus est exceptus. Cum eo & Patribus colloquuti Heluetiorum legati duodecim nõ semel cùm fuissent, constituto quantum pecuniae in stipendium esset Heluetijs à rep. persoluendum, eadem scilicet portione librarum auri octoginta, ad quam reliqui singuli tenerentur, ternis auri libris ad iter à republica donati domum reuerterunt. Neq; multò pòst Iulij & Ferdinandi regis, Hispaniae & Aloisij Galliae regis exercitus propinquiores facti, cum se dies aliquot munitis castris tenuissent,

nuissent, Galli ad Rauēnam oppugnandam se contulerūt. Erat in ea Marcus Antonius Columna Iulij nomine cum militibus mille quingentis, equitibus trecentis, seq́; forti ac præstanti animo defendebat, & cladem hostibus ex muro inferebat, Neapolitanus autem Prorex oppido veritus, vt Gallos ex eo auerteret, non longè ab eorum copijs suas copias adduxit. Galli relicta oppugnatione se ad pugnam celeriter comparauerunt: itaq; eo ipso die manè, qui fuit dies percelebris, ad diem tertium Iduum Aprilium, vterq; exercitus animo æquè magno ac parato ad dimicandum inter se conflixerūt. Pugnatum est horis plus sex incredibili virtute: qua in pugna militum & equitum millia supra decem & octo interfecta sunt, pari ferè vtrorumque numero, fortuna dispari. Iulij enim & Hispanorum copiæ fusæ, fugatæq́;: Galli locum tenuerunt. Captiui ab Gallis facti Fabritius Columna, eiusq́; gener Alfonsus Aualus Aterni dominus, Petrus Nauarrus Cantaber & Ioannes Medices Cardinalis Iulij legatus, alijq́; clari viri non pauci, & signa complura ablata, & tormēta capta. Eo in certamine Alfonsi Ferrariensium ducis, cū tormentis exercendis, tum acie sua è transuerso in hostem ducenda, virtus egregia, et victoriæ magna ex parte conficiens fuit. Dux Gallorū Foius cùm se in militum Hispanorum globum qui supererat, audacißimè intulisset, cæsus ab illis vnà cū pluribus clari nominis ducibus, eum suo exercitui diem lugubrē magis, quàm lætum, aut vlla gratulatione celebrari dignū reddidit. Postero die Galli, conditione adhibita, vt Columnæ suis cū copijs Rauenna exeundi potestas fieret, neq; oppidanis noceretur, oppido potiti sunt, quod quidē intromißi, conditione non seruata, fœdè crudeliterq; diripuerunt: arcem

autem oppidi capere non potuerunt, ijs, qui in ea erant, fidem Iulio velle se præstare dictitantibus. Patres, *qui eo tempore per* Vincētium Naldium *in* Flaminia *milites mille sua pecunia confecerant, vt ea cum manu* Iulij *oppida, quantum posset, tueretur, ei mandauerunt.* Is Fauentiam *propter cladem* Hispanorum *nutantem se contulit, atque oppidum opportuno præsidio communiuit.* Prorex *ipse, qui* Anconæ *post fugam primùm constitit, suas vt copias ad signa reuocaret, omnem curam & diligentiam adhibuit: certior enim factus maiorem ex suis & potiorem multò partem in prælio* Gallos *amisisse, in spem venerat, adhibitis* Heluetijs *posse illos* Italia *expelli, si vniuersi celeriter munus obierint, & virtutem gnauiter exercuerint suam.* Quod *vbi* Patres *intellexerunt, eum solari & erigere omniaq; auxilia ei polliceri non dubitauerunt.* Ioannem Antonium Dandulum *etiam à* Senatu *lectum cum auri libris* Ç X X. *ex superiore stipendio reliquis, quas tamen ipse in fugam versus iure belli amiserat, ad illum miserunt; iuuandi & excitandi hominis causa. quam quidem rem legatus apud* Venetos Ferdinandi *imitatus, se ad illum cum pecunia contulit.* Cymbæ *interim duæ in naualibus confectæ atq; instructæ, quæ propter velocitatem hirundines appellabãtur, in* Rauennæ *portu nauiculam* Alfonsi *longam remigum quadraginta captam à se, interfectis ex illis plerisq;, nauesq; duas mercibus & occisorum in pugna spolijs onustas, item vnà captas ad fori marginem* Alfonsi *signa per aquam trahentes duxerunt.* Iulius *vt regem* Galliæ *deliniret, eiusq; cogitationes & incepta, si qua contra se agitaret, ea spe sisteret,* Senatu Cardinalium *vocato, proposuit, velle se fœdus cum illo facere: capitáque fœderis,*

fœderis, in quibus inerat, vt ei rex Bononiam restitueret, quæq; in Flaminia ad Padum flumen oppida pertinerent, ipsi cederent: in reliquis sese regi satis liberaliter permittebat: per eos qui rebus Gallicis Cardinales fauebant, conscripta & obsignata ad illum misit. Pauloq; pòst vocatis ad se legatis Ferdinandi & reipublicæ eis dixit, ne propter ea quæ fecisset perturbarentur, néue se priore contra Gallos voluntate vlla ex parte mutatum crederent: inuitũ enim ad id descendisse fallendi & consopiendi regis causa. Quibus intellectis rebus Patres sciuerunt, Iulio scribi oportere: si cum Aloisio fœdus facere statuerit, se non recusare, dum in eo rempub. includat, sociamq; fœderis efficiat. Guidum Rangonium post hæc, qui è Gallorum custodia se redemerat, ad vrbem venientem Patres amanter exceperunt, & præfectum equitum grauis armaturæ fecerunt: eiusq; fratri Ioanni Frãcisco, qui cũ eo venerat, equitum leniorũ præfectura item tradita. Romæ ad diẽ tertiũ Nonarum Maij cõcilium celebrari cœptum est ab Iulio in tẽplo Lateranensi magna sacerdotũ frequentia, precesq; Deo Opt. Max. vt vota hominũ ritè nuncuparẽtur, factæ. Marco Cardinali Seduno, Venetijs qui erat, ad suos abeunti argentum in mensem dono à Patribus datum. Cum Henrico autem rege Britanniæ fœdus à socijs atque à republica initum, X V. Cal. Iunias in vrbe celebratum est: concupiuit enim rex petijtq; se in eo recipi. Illis diebus Iulius Vitellius Tifernatium Episcopus, qui conditionibus acceptis Rauennæ arcem Gallis obsidentibus tradiderat, eò cum copijs ad expugnandam illam rediens, traditis conditionibus recepit. Oppidani cladis suæ contra ius cõtra fas acceptæ memores, quatuor Gallorum præfectos

tate mulctaturum, minabatur. Antonius Saornianus legatus ad regem Pannoniæ à Senatu lectus, illis diebus viæ se dedit. Patrum iussu in omnibus sacerdotum & sacrarum virginum collegijs preces factæ sunt pro republica, nostro & Heluetiorum exercitu contra Gallos in Veronæ finibus se coniungēte: qui quidē Heluetij circiter decem & octo millia militum numerum conficiebant. Veneti Valegium & Pischeriam primis aggreßib. cùm cepissent, Benaci lacus oppida omnia sponte ad rempub. redierunt. Cremonenses exercitibus eò tendentibus sibi veriti, quadringentis auri libris Cardinali Seduno pollicitis, conditione adhibita ne oppidum ingrederentur, se ei dediderunt: eius interpretes rei Iulij legatus, itemq; Venetorum scriba, equitum & militum qui Collateralis apellatur, fuerunt, quos oppidani ad colloquium intromiserāt. Carauagium subinde atq; Soncinium Cardinali se Seduno tradiderunt: is eis & Cremonæ suos milites præposuit, atq; id quidem arroganter & barbarè, cùm Venetis tradere debuisset. Iulius enim pollicitus fuerat primis in sermonibus ea de re habitis, idq; suis ad Senatum scriptis literis cōfirmauerat, vt quicquid eo bello caperetur, quod quidem reipublicæ fuisset, reipublicæ ministris traderetur: reliqua earum regionum oppida, quæ ad Abduam flumen sunt, sese reipublicæ dediderunt: itemq; Bergomates suis cum finib. Bentiuoli Bononiæ qui erant, exercitum Iulij, qui eò properabat, metuentes, oppidanis sese dedere volentibus. Ferrariam profecti sunt cum suarum partium ciuibus non paucis. atq; illi paulò pòst Iulij se interpretibus tradiderunt. Albertus Pius interea Maximiliani legatus Romam profectus est. Ioannes item Baduarius ad Ferdinandum regem

reipublicæ legatus viæ se dedit. Appropinquante ad Italiam Matthæo Episcopo Gurcensi, magnæ apud Maximilianum autoritatis viro, vti Romam se conferret, Patres Petrum Landum legatum ad illum miserunt honoris illius & societatis ex itinere causa. Post hæc Ticinẽses repulsis ter hostibus eorumq; tormentis potiti, itemq; Mediolanenses, sese Iulio & fœderatis permiserunt, cum hi libris auri sexcentis, illi quadringentis sui oppidi direptionem redemissent. quod quidem factum Laudis Pompeiæ ciues imitati, tercentenas, Parmenses atq; Placentini ducentenas polliciti, Heluetiorum auaritiam subterfugere non dubitauerũt. Comum etiam post hos, interfectis ijs qui suis in finibus erant Gallis, idem fecerunt, itemq; Tortonenses & Alexandrini. Omnib. autem ijs in rebus malus in rempublicam Seduni animus fuit, qui vt Venetis legatis & exercitui timorem incuteret, ne petere, quæ eis debebantur, auderent, omnibus in Cremonæ Cremæq; & Laudis Põpeiæ finibus, aut comburi aut retineri naues vniuersas imperauit, ne esset, vnde illi pontes facere, atque in tuta reuerti possent. qua quidem ille re maximam sibi omnibus ab hominibus inuidiam excitauit. Dum hæc agitarentur, Ioannes Medices Cardinalis amici hominis Blasij Criuelli opera Mediolano fugiens, Mantuã se contulit: interpresq; ab adolescente rege Thracio Sultano Selymo literas ad Patres attulit, quibus ille literis Senatum certiorem faciebat, patrem suum sponte sibi regnum tradidisse: itaque velle se cum republica eam in qua diu pater suus fuerat, beneuolentiam & necessitudinem exercere. quæ quidem tamen res aliter se habebat atque ille scripserat: vi enim atque armis patrem coegerat, vt se regem institueret.

Ianes Fregosius Iulij rogatu reiq; publicæ permissu in Ligures profectus, atque à Genuensibus eorum oppido præpositus, literas ea de re ad Iulium dedit: quibus ille magnopere gauisus, lætitiam suam vrbanis ignibus & tormentorum strepitu protulit: idemq; vti Veneti faceret, triremésque ipsorum tres, quæ erant in Apulia, Genuam celeriter mitterent ad arces eius oppidi duas, quæ à Gallis tenebantur, facilius expugnandas, à legato Foscaro petijt: quod quidem ei Patres libenter concesserunt: Ianisq; filio Alexandro pucro equitum grauis armaturæ quinquaginta turmam per vicarium regendam dederũt. Idem Iulius triremes item septem Regis Ferdinandi, quæ in portu Neapolitano erant, ad eandem rem conficiendam ab eius legato Hieronymo Vico petierat. quibus omnibus necdum Genuam appulsis altera ex arcibus tormentis positis deditionem fecit. Galli petente Maximiliano vt ei Leniacum traderent, quod quidem nullo iure possidebant, erat enim in Veronæ finibus, satis ei facere voluerunt, atq; ministris eius tradito, Mantuanum se in agrum receperunt. Alfonsus Ferrariensium dux Romam profectus, cùm ab Iulio Cardinalibus publicè adhibitis petijsset, vt sibi cui aqua & igni interdictum ab eo fuerat, propterea quòd in bello contra illũ cũ Gallis fuisset, suppliciter postulanti, & commissa confitenti, ignosceret, ab eo absolutus, atque ad pedis osculum est admissus. Is cùm intellexisset, Iulium post hæc tacitè curam adhibuisse vt se caperet, Fabritij Columnæ, qui in clade ad Rauẽnam se captiuum eius fecerat, cumq; ipso Romam venerat, tum ope tum cõsilio aufugiens, in eius se fines contulit: deinde in Apuliam contendens, quòd itinera terrestria intercludi sibi ab

Iulio facilè posse sciebat, mare Adriaticum ad Illyricum traiecit, vt eo inde iterum traiecto, per Padi fluminis ostia domum reuerteretur. In vrbe autem Decemuiri fœminam meretricem, quæ in Deos maledicta coniecerat, & se fuga subripuerat, exulem ea conditione fecerunt, vt si vllo in imperij loco caperetur, ceruices ei abscinderentur, ipsa igni combureretur. Fossæq; Clodiæ ciuis, qui tres suas filias virgines vitiauerat, à Prætore concrematus dignam commissi pœnam persoluit. Iulius Heluetios rebus bene gestis in Cardinalium collegio Romanæ reipublicæ defensores appellauit, atque vti eo nomine omnibus ab hominibus appellarentur, censuit. Galli eo tempore Brixia emissi, equites quatercentū, milites mille, vt è vicinis oppido locis prædas abigerent, atque in oppidum importarent, cùm agricolas plerosque vnà cum mulieribus atque infantibus interfecissent, tumultu hominū à tergo excitato, copijsq; Venetis se in reditu opponentibus, capti & interfecti magna ex parte, ac præda quam fecerant amissa, reliqui se in oppidum fugientes vix ægreq; intulerunt. Laurentio Ceretano, qui ad Patres se contulerat suarum rerum causa, auctus equitum & stipendiorum numerus. Auctus item Vitellio & eius fratri: pensionesq; annuæ Ioanni Brandolino, & Marco Castellatio, & Saccardo Sonzinio, pro cuiusque rebus bene gestis à Senatu traditæ. Lex est etiā perlata, vt ex Lepontijs milites bis mille celeriter conscriberentur, reliquisq; adderentur, vt essent omnes numero ad decē millia: iusserant enim Patres vt reipublicæ legati ad Brixiam recuperandam accederent, certiores à nonnullis eius vrbis ciuibus facti, non posse se vlterius Gallorum imperium perpeti: sese reipublicæ si exercitum

tum

tum eò miserit, oppidum sine mora tradituros. Quamobrem vt pleniore cum exercitu proficiscerētur, militum numerum esse augendum statuerunt. Iulius etiam, sua se inexplebili nouarum dominationum cupiditate ad omnia difficilia impellente, propterea quòd Alfonsus aberat, posse se Ferrariam capere eo puncto temporis confidebat. itaque scriptis ad ducem Metaurensium literis, vt se cum exercitu celeriter eò conferret, à Senatu petijt, quibus posset nauibus in Padum flumen immißis sua consilia iuuaret. Id à Patribus cùm esset diligenter procuratum, Alfonsiq; copiæ, quæ in oppido erant, de eo certiores factæ, se ad defensionem comparauissent, & Pado traiecto etiam Rhodigium de improuiso cepissent, conatus omnes Iulij ad nihilum redierunt. Legati autem reipublicæ cùm se ad Brixiam contulissent, tormentaq; ad muros verberandos aptauissent, Gallis, qui noua iam auxilia intromiserant, se acerrimè defendentibus, nihilo minus irritus eorum apparatus futurus videbatur. Interim Cardinale Medice libertati restituto, Proregi Neapolitano itemq; Iulio cupiditas est iniecta Florentinæ reipublicæ statum ordinesq; commutandi: vtut enim se tunc ea ciuitas regebat, omnibus in bellis Gallorum partium studiosißima semper fuerat. Id autem nulla re alia melius se consequuturos existimabant, quàm si Medicū familiam ab exilio restituerent: itaque eam rem tentare omnibus suis copijs, Cardinale accersito, & Bernardo Bibiena Cardinalis familiari Iulij missu singula tractante, statuerunt: tribusq; itinerib. susceptis, vt commeatus facilius suppeterent, per Apennini iuga magna rerum omnium difficultate ad Pratum oppidū, quod est in plano, abestq; Florentia millia passuum decē,

Prorex & Iulij ministri accesserunt. quod quidem planè oppidum, tametsi esset & militum numero, & tormentis apprimè communitum, sese tamen defendere non potuit: itaque captum & direptum est diues sanè municipium, & rebus omnibus etiam ad commodiorem et delicatiorem victum opportunis plenum. Florentiæ ciuitas ea re perterrita, ducem suum Petrum Soderinum inimicum Medicibus hominem, à reipublicæ administratione remouit, ex octo, qui vrbem vnà cum illo regebant, sex eum condemnantibus, domumq; amici eius ciuis Pauli Victorij ægrè propter motum plebis deduxit (parum enim abfuit, quin ab aduersarijs eius factionis hominibus interficeretur) mißisq; ad Ioannem Cardinalem & Iulianum eius fratrem internuncijs, vt vrbẽ ingrederentur, non permisit modò, sed etiam concupuit: itaq; magna totius ciuitatis frequentia & gratulatione Calendis Septembribus vrbem ingreßi, domi suæ recepti sunt. Interim Iulius Cardinalibus adhibitis aqua & igni Regi Galliæ interdixit, datis ea de re literis, nisi se à Pisano concilio abdicarit. Tum Benedicto Cribello, eiusdem Regis in Crema oppdo Tribuno militum, ab ijs qui reipublicæ fauebant delinito, muneribusq; plurimis vnà cum ciuitate oblatis, oppidum Veneti receperunt, Cribellumq; è nobilitate ciuem creauerunt, & domum Patauinam fundumq; peramplum cum villa egregia ei dono dederunt, & Tribunum militum fecerunt. Oppidi autem præfectum Nicolaum Pisaurum renunciauerunt, & Cremam miserunt: isq; ibi paucos post menses est mortuus. Iulio autem postulante Senatus censuit, vt & classis, & tormẽtorum opportunus numerus, & numi militibus duobus milibus in Flaminia cõscribendis ad Ferrariense

riense bellum, quò ipse vellet, mitterentur: eaq; paulò pòst Rauennam, quò se Frãciscus Maria Iulij copiarum imperator contulerat, sunt missa. qui quidem Iulius Prospero Columnæ, vt se in Galliam Cisalpinam traijceret, cúmque Hispano exercitu coniungeret, id magnopere cupienti, ad Gallos ex Italia expellendos, potestatẽ fecit. Et Franciscus *Donatus, vti Florentiæ legatum reipublicæ ageret, à Senatu lectus, Patauinorum & Taurisanorum rebellium vxoribus & filiabus numi, quibus sese alerẽt, à Decẽuirûm collegio dono dati. Eodem ferè tempore Galliæ Regis exercitus ab Hispaniæ Regis exercitu in Aquitania malè habitus, magnum suorum numerum desiderauit. Miserat Memphim ante eos dies Senatus Dominicũ Triuisanum templi Marcij procuratorem, ad Laseraphũ Regem Aegyptiorum, rebus quæ ad mercaturam exercendã pertinebant procurandis legatum: quæ omnino res maiorem in modum regiorum magistratuum & ministrorum iniuria lapsæ, ingentem iacturam Venetis ciuibus, qui eò proficiscebantur, ibiq; morabantur, inferebant. Rex cùm audisset tantum ad se hominem Senatus Veneti missu venire, illustri suorum obuiam itione & omni honorum genere illũ excepit, in hortorum suorum electißimorum porticu amplißima: cuius ad singulas columnas appensæ lusciniæ, cantus exercebant suos, & aquæ fontium non vnis à partibus decurrentes propè auiculis non illepidè cõcinebant: itaque & loci amœnitate ac specie, & Regis oratione perliberali eo hilariter facto legationis suæ initio, plures ibi dies Triuisanus commoratus, & renouato ex reipublicæ dignitate antiquiore fœdere datis & acceptis muneribus, cum Regis ad Senatũ honorificentißimè scri-*

ptis literis eius rei testibus domum rediit. Antonius etiam Iustinianus captus ab hostibus in Brixiæ prætura, atque in Galliam perductus, datis pecunijs quas poposcerant, iisdem ferè diebus suos se ad lares recepit, cùm prius eum Senatus in Quinqueuirûm collegium, qui belli res eo in ordine procurant, cooptauisset. Annus interim finem suum habuit. Insequente autem inito, Neapolis Prorex Medicibus in Florentiæ dominationem restitutis, & Prati oppidi direptione, & plurimis auri libris dono acceptis communitior factus, cùm intelligeret Venetorum exercitum in Brixia recuperanda magnopere laborare, nec tamen satis proficere, Gallis, qui in ea erāt, sese acriter defendētibus: vt ea quoq; à parte, si quid posset, lucraretur, homo alieni appetentissimus, in agrum Brixianū suas copias adduxit, ibiq; modò pollicendo nihil se reipublicæ nociturum, modò fallendo, legatisq; Venetis suos interpretes mittendo, qui monerent, vt cum Maximiliano pacem facerent potius, quàm quæ illius essent, ei præripere contenderent, se in vrbem intulit, & oppidum antea direptum, & omni exutum dignitate, radicitus depopulatus, si quid erat reliqui, abstulit: atq; vt Galli domum reuerterentur, secumq; prædam, quā ingentem capto oppido fecerant, asportarent, potestatem eis fecit. Veneti capiendi oppidi spe deposita, tormenta, quibus muros vrbis verberabant, abstulerunt. Et iam Ioannes Medices Cardinalis, & Iulianus eius frater, de successu rerum suarum literas ad Senatū dederant, seq; & fortunas suas omnes reipublicæ obtulerant: itaq; respub. quæ amico semper animo in illos fuerat, in ciuitatem & nobilitatem eos & Laurentium eorū fratris filium more maiorum intulit, missis ad eos Florentiam

de ea

de ea re literis. Pauloq; pòst & Prosper Columna suæ factionis princeps, cum equitatu & peditatu ad Proregem sese contulit: & Senatus ciues quatuor, qui Cremæ portas, quoad opus esset, custodirent: deinde municipijs quatuor in vicinis Cremæ locis, quæ ad rempublicam redierant, eius nomine præessent, creauit. Tum arcem Bergomatium extra vrbem summo in monte positam, quam Capellam appellabant, eius præfectus homo Gallus reipublicæ internuncijs tradidit. Senatus cùm intellexisset, numos qui in bella insumebantur, non omnino rectè administrari, ciues duos magnæ autoritatis viros, Hieronymum Quirinum, Petrum Capellum, qui eis præessent, creauit: deinde Petrum Pascalicum, qui legatum Genuæ ageret, renũciauit. Erat autem eo in oppido Dux & Princeps recentior ciuitatis Ianes Fregosius amantissimus reip. Post hæc Matthæus Gurcensium Episcopus Maximiliani interpres Romam venit, atq; à Iulio suam in domum in Vaticano est exceptus. Pauloq; pòst Maximiliani Hispaniæq; Regis & reip. legatis adhibitis, eiusmodi se fœdus velle Iulius facere pronunciauit: Vt Verona Vicetiaq; Maximiliano cederẽt. Pro Patauio autem & Taruiso, quæ iam Veneti obtinebant, vt ea oppida retinere iure possent, tercentas auri libras tributi nomine Maximiliano quotannis penderent: semel autem pro totius rei ac tabularum confectione, bis mille & quingentas. De ijs verò quæ in Carnis essent oppidis, Iulij iudicium esset, rei ne publicæ an Maximiliano tradenda iure essent. Reliquo fœdere Maximilianus et Hispaniæ rex abolere Pisanum Concilium, omnemq; suã autoritatem atq; opes Iulio tradere ad Ferrariam capiẽdam tenebantur. quæ duæ quidem causæ Iulij animũ vehemen-

ter exagitabant: nam & concilij contra se initi mirum in modum timore commouebatur: & cupiditate, vt Ferrariam in potestatem suam redigeret, nihil culpæ, nihil sceleris, nihil flagitij prætermittebat: itaq; Venetos, qui in illu tot officia contulerant, tantum pecuniæ, vt ad omnes eius nutus præstò essent, animis libentissimis impenderant, nulla fide, nulla pietate fultus, non deseruerat modo eo conficiendo fœdere, sed planè etiam in prædam hostium, sanguinem & omnem succum reipublicæ sugere cupientium, proijciebat. quamobrem reipublicæ legati ad Iulium cõuersi, nõ esse hoc illud, quod ab eo expectabatur, cõquesti sunt: malè, quod iniustè amiserant, eo pacto recuperari: sed se confidere Dei optimi Maximi auxilium reipublicæ non defuturum. Demũ vbi Iulius ira percitus fœderis capita scribi iussisset, ne scribendo adessent, abierunt: quæ tamen postea capita scripta & confecta sunt. Id cùm esset Venetias allatum, literæ à Senatu datæ sunt ad legatos, nè posthac his tractandis rebus interessent. Ioannes Medices Cardinalis, Iuliano fratre ciuitate regenda Florentiæ relicto, se Bononiam ad legationem suam cõtulit. arcisq; Brixiæ custos, homo Gallus, regis sui iussu eam Hispanis ducibus inuitus tradidit. Iulius autem Episcopo Gurcensium in Cardinalium collegium adscito, quartum Lateranensi vocato Concilio affuit. quo in concilio adesse Gurcensis, nisi prius literæ, quibus aqua & igni Venetis interdiceretur, sibi essent traditæ, noluit. Roma deinde profectus est: cumq; in Galliam citeriorẽ venisset, Maximiliani Sfortiæ Ludouici filij, qui se Mediolanũ inferebat, socius comesq; itineris fuit. Eo ingressu peracto, Hispani Tretium, in Abduæ ripa oppidum, commeatu, pecunia, rebusq; omnibus munitissi-

munitißimum, quòd à Gallis tenebatur, vt & immani tormentorum verberatione captum diripuerunt. Iulius interim Maximiliani obsequio amicior ei factus, qui suas copias Ferraria statim auocauerat, vt ei satisfaceret, Staphilæum Romani fori litium ministrum Venetias misit Patres hortatum, vt fœderis conditiones acciperent: tametsi iam nõnihil pœnitentia ducebatur, se in eos tam durum tamq; illiberalem fuisse, quod mehercule cùm improbari maximorum hominum sermonibus intellexisset, qui dicerent, eam rem occasionem Venetis daturam, vt se cum Gallis cõiungerent, eosq; in Italiam adducerent, quos ab Italia expellere Iulius in primis nitebatur: in dies singulos eius rei mœrore magis magisq; distractus, neq; cibum, neq; somnum capere poterat, itaq; febri tentari cœptus est: qua in febri cùm Pisauri oppidum Metaurensium Duci fratris sui filio tradidisset, & Cardinalium collegio Vrbem remq; publicam Christianam commendauisset, vndecimo Calendas Martias mortem obijt. Senatus Cardinalium collegio literas dedit, orans obtestansq; eos, vt in eligendo Pontifice totius orbis beneficio consulerent: suasq; opes omnes & exercitus ad eos iuuandos est pollicitus. qui cùm se in conclaue more maiorum intulissent, Bernardi Bibienæ amabilißimi hominis magna ex parte studio, consilijs & prensationibus diligentioribus permoti, Ioannem Medicem, annos natum trigintaseptem, Pontificem Maximum creauerunt: isq; priusquàm è conclaui exiret, me, & Iacobum Sadoletum, qui Romæ tunc eramus, sibi ab epistolis adsciuit.

FINIS.

GVIDO VBALDO FERETRIO FRANCISCI MARIAE *filio, Vrbini duci, Guidus Lolgius.* S.

SI quis in eam cogitationẽ veniat, vt conſideret quid ſit id, quod ex omnibus rebus humanis maximè excellat, hanc laudem profectò virtuti adiudicabit. Circumſpice omnia, quæ infrà lunam locùm obtinent altiorem: quid ſingulis ſeculis magis viguerit, quid apud ſingulas ciuitates & nationes maiori in honore fuerit, exquire, hac nihil admirabilius, nihil excelſius inuenies, nihil diuinius: Hæc, cũ omnib. hominibus eandem conditionem natura ſtatuiſſet, nihilq; inter ipſos disiunctum effeciſſet, eos ita diſtinxit, & quaſi in claſſes diſtributos, eo diſcrimine ſeparauit, vt qui auerſo à ſe animo eſſent, vitam & ſpiritum ducentes vix inter viuos numerarẽtur: mortui, corpore humato nomen obliuione contegerent: qui verò ſe amplexarẽtur, & cùm in terris poſiti eſſent, æuum in cœlo agere, & rurſus, cùm in cœlum aſcendiſſent, terras colere viderentur. Hanc non doctrina, ſed natura: non diſciplinę addicti, ſed ad iudicandum liberi: non ex ore Philoſophorum, qui de illa tam multa tradiderunt, ſed ex noſtro ſenſu, admiramur atque laudamus. Quis eſt enim, quem non virtutis

ſpecies commoueat, & quodammo do percel lat, vt in quo illa vel tenui ſignificatione appa ruerit, eum diligere atq; obſeruare, aut, ſi clarior atq; illuſtrior fuerit, etiam in Deorum im mortaliũ numero venerari velit? Excute memoriam, atq; ea quæ à noſtris temporib. procul remota ſunt, repete: videbis omnes, qui ho neſtè atq; in laude gloriaq; vixerunt, ab hac vna ad hominum famam atq; exiſtimationem profluxiſſe. Sed quid ego te in vltimam antiquitatem retrudo? quæ vt autores habeat reli gioſiſsimos (vt certè habet) tamen quæ de pri ſcis illis viris hiſtoriæ memorant, minus momenti habent, quàm ea, quæ vel nobis in vita poſitis acciderunt, vel paulò ante noſtram ętatem geſta, etiam nunc hominum ſermone celebrantur. Neq; verò ad aliena exempla reijciendus es, quippe domeſtica innumerabilia ſuppetunt. Sed vt paucis contenti ſimus, & proximum quodq; arripiamus, ſtatue tibi ante oculos Franciſcum Mariam patrem tuum, atq; ea quæ omnium mentibus infixa ſunt, cogitatione percurre: cur eius nomen tam nobi le ſit, virtutem reperies cauſam fuiſſe: quã quidem in periculis & aſperis temporibus egregiè præſtitit, oſtenditq; virum fortem & ſapientem, nullo fortunæ reflatu conſilij capiundi facultatem amittere, ſed in maximis tempe ſtatibus ac procellis, in ſuo ſtatu tanquam anchora, ſic animi robore contineri: atque vt lu-

næ interiectu solis lumen nunquam ita obscu ratur, quin aliqua ex parte nobis appareat, ita veræ nobilitatis dignitatem, temporum iniquitate deformatam, pristini semper splendo ris vestigia retinere. His ille neruis, hac sapien tia præditus, cùm regno expulsus esset, & se in eundem locum restituit, & acceptá iniuriam virtute infamauit. Multa alia de illo cómemo rari possunt, quæ si quis eorum, qui in hoc ela borant, vt virorum fortiũ rebus gestis immor talitati cómendandis, immortalem ipsi gloriam consequantur, separatim persequi velit, magnum meo iudicio corpus efficiet. Nam vt nemo fuit aut illo scientia rei militaris ornatior, aut fortitudine præstantior, aut denique omnibus virtutib. imperatorijs cumulatior: nemo item aut plura imperia gessit, aut plura pręlia, magisq; memorabilia fecit. Verũ huius facta, quæ cum alijs aliorum factis contexta, nondum in lucem exierunt, postea in apertũ prolata, omnes gẽtes lustrabunt, ómniũ peragrabunt orbem terrarum, atq; eo clarius ad oculos fulgebũt, quo studiosius in cóparatione spectabuntur. Nunc ad Guidum Vbaldum, magnum auunculum tuũ, te conuerte. Quo is pacto tantam in hominibus sermonis celebri tatem consecutus est? certè eadem fuit ratio, quæ illum in cœlum sustulit, & quæ patré tuũ ęternitate donauit: atq; vtinam diutius vixisset, aut salté quandiu vixit, integer à corporis incom

incommodis mansisset. cuius prima adolescẽtia ætatis maturitatem non desiderauit, eius reliquum vitæ cursum, quantulus is fuit, qualem futurum fuisse arbitraris? quanquam ipse quidẽ vel in illa perdita valetudine eam, quæ præstantibus in ingenijs nunquam euanescit, vim boni sic semper obtinuit, vt cùm propter virium imbecillitatem vix aliquid posset negocij munerisue obire, tamen vsq; ad diem vitæ ferè supremum exercitibus præfuerit, bella administrauerit, maximis semper in rebus se iactauerit. Iam igitur redeo ad id, quod initio proposueram: ad hominum beneuolentiã sibi conciliandam, ad memoriam sui cum omnium seculorum posteritate adæquandam, nihil esse aptius virtute, nihil accommodatius. Idq; cùm omnes, qui modò aliquid sapiant, sentiunt, tũ vni præter cæteros tibi video esse persuasum, qui magno auũculo tuo sic nomine geminus es, vt illius vitam omnibus actionibus exprimas: patrem imitatione sic effingis, vt omnia quibus ipse abũdabat animi bona cum reliquis bonis creuisse videare. Sed cũ ad te scribam, & quasi cum præsente præsens loquar, verecundia impedior, ne te verbis efferam, ne tui non tam laudator, quàm fortunæ videar assentator. quanquã quid mea oratiõe opus est ad ea explicanda, quæ omnibus pátent? Vulgò audio sæpè cũ dicitur, felices videri eos homines, qui ex tuo regimine pẽdeant:

non enim tibi tanquã domino ſeruire,ſed tan quam gubernatori parêre: non tuam vim,poteſtatemq́; pertimeſcentes, ſed probitatẽ,moderationem,equitatemq́; ſuſpiciẽtes. Hoc nõ cõmemoratur, & verũ non eſt: neq; verũ eſt, & non præclarum:neq; pręclarum, & non hominis ſumma ac ſingulari ſapientia prædìti: ſic enim ſe res habet, ex animis voluntates,ex voluntatibus actiones oriuntur,ab his ſati rumores erumpunt, ſeq́; ad cuiuſq; laudem aut probrum late longeq́; diffundunt:rumorẽ autem conſtantia veritatis perpetuitate gubernatur,eaq́; ad exiguum tempus dùrare cõſueuerunt,quæ mendacijs conflata,atq; ad hominum errorem conficta diſsipantur:etenim fruſtrà ad cuiuſq; rei opinionem commẽdamur, niſi tales ſimus,quales habemur:nobisq́; plerunq; id accidit, quod teneris volucribus ſolet contingere,quæ ſi infirmis pẽnulis ſubuolantes,auium fuerint gregem ſubſequutæ, cũ neq; longius volare, neq; vſpiam in aëre poſſint inſiſtere,nec propter corporis pondus, alarumq́; infirmitatem ſine ruina deorſum ferri,ad terram præcipites deuolutę affliguntur. Similẽ nonnulli calamitatem accipiunt,quorum fama quia ortu nata eſt quaſi non legitimo, citò deficit. Tua autem eſt Guide Vbalde ſolida gloria,quæ ijs fundamentis conſtituta eſt,vt in dies magis ac magis augeatur. Nam cùm à paruulo tantam tui expectationẽ concitaſſes,

citaſſes,vt nunquam nec maiorem quiſquam, nec maturiorem: ætatis deinde progreſſu tale ſpecimen tui dediſſes, vt omnes te dignũ exiſtimarent, in quem tui patris honores conferrentur, Veneti tua ſe fide & vigilantia tutiores,virtute munitiores fore intelligẽtes,te Ducem ſuis exercitibus præfecerunt,tibi omniũ ſuarum rerum cuſtodiam commiſerunt. Sentio me impetu quodam animi latum in maximam ſyluam intraſſe,per quam,ſi per tuã modeſtiam aliquantulum mihi vagari liceret,nihil libentius facerem: cùm enim naturę tuæ dotes,cùm animi virtutes,cùm mores,viuendi inſtitutum& diſciplinam mihi ante oculos propoſuiſſem,ſic ſe illa,quam diu præ pudore compreſſeram,meæ erga te beneuolentię declarandæ cupiditas profudit, vt eam hac vna cogitatione reuocauerim, quòd dubitabam, ne meum tibi ſtudium moleſtiam afferret,néue ipſe tanto in errore verſari viderer,vt putarem, eam me facultatem habere, qua poſſem omnia,quæ in te laudanda ducerem, ſatis cómodè perſequi. Quid ergo aliud reſtat,niſi vt meum negocium agam?nam cùm iampridem ad tuam amplitudinem colendam aſpirarem, aditusq; ad eam rem non ita difficiles mihi fore ſperarem, poſteaquam Horatio Farneſio, iuueni ampliſsimo, me addixeram: tum verò mirificus quidam caſus oblatus quaſi fores amicitiæ tuæ mihi patentes oſtendit,cùm mi-

hi nec opinanti ea prouincia data esset, vt illud monimentum, in quo Petrus Bembus Cardinalis magni auunculi tui, dum apud eum familiariter vixit, atq; eius vxoris laudes consignauit, in posterumq; propagauit, ad te mitterem: quod onus ita non inuitus, non grauatè suscepi, vt nihil vnquam mihi acciderit optatius: siquidem in certissimã spem veni, quod cupiebam, celeriter consequendi: qui enim ne in tenuissimos quidem homines fastidiosus, & nullius gratiæ commẽdatos, nemini patiaris aditum ad amicitiam tuã esse præclusum, me credo excludes, apud vxoris tuæ fratrem non infimum locum obtinentem, munus pręterea afferentem, quod tibi scio fore gratissimum? Quanquam enim non ignoro, te à puero omnibus literis deditum, & maiorum vestigijs ingredi cupientem, hæc eadem aliàs studiose legisse: tamen, quemadmodum si aut Apelles, aut Protogenes operi suo, quo nihil perfectius à vulgo putaretur, rursus manus admouerent, magnam credo omnibus, qui illud antea inspexissent, denuò videndi cupiditatem inijcerent: sic spero, cũ audies hanc Guidi Vbaldi nõ corporis, sed animi effigiem, cui nihil boni deesse videbatur, quia nõ satis summi artificis intelligentiæ faciebat, nouis quibusdam lineis & coloribus illustratã ac perpolitam fuisse, tum me, tum illos, qui id mihi negocij dederunt, vt eam tibi dono mitterem,

magnam

magnam esse à te gratiã inituros. quod enim Petrus Bembus, si vitam longius produxisset, facturus erat, vt hic libellus, quem olim vnà cum alijs libris ediderat, curiosius postea perspectum multis locis auxerat, in tuo nomine exiret: id eius vicem vt facerent, ad pietatem & officium suum rati sunt pertinere, Torquatus Bembus, hæres ipsius, & ij, quibus idẽ Cardinalis per testamentum mandauit, vt quæ ipse extremo spiritu cauisset atque sanxisset, tuerentur atq; defenderẽt, Hieronymus Quirinus & Carolus Gualterutius: quos quidem omnes scilicet, & quem primum nominaui iuuenem lectissimum, & proximum alterum, & tertium homines honestissimos, eo te loco habere cognoui, vt cùm id amiserint, quod vnicum existimabant antiquæ virtutis exemplũ, putent dolorem suum hac sola medicina leuari posse, si & illud egregium & singulare in te studium, quod morte deletum & extinctũ est, quoad eius fieri possit, sua opera renouetur atque instauretur: & ipsi in tuo nomine conquiescentes, nonnihil à mœrore recreentur. Nam & si ille amplissimus vir, omnib. bonis perfunctus, sic è vita tanquam è theatro exijt, vt ijs qui in eã remãserint, minimè inuideret: tamen homines eius amantissimi, & non solùm ampla & honorifica amicitia, sed etiã iucunda consuetudine priuati, animum inducere non possunt, ne illius discessu vehemen-

PETRI BEMBI AD NICOLAVM TEVPOLVM, DE GVIDO VBALDO FERETRIO, déque Elisabetha Gonzagia Vrbini ducibus, Liber.

BEMBVS Teupole pater meus, cùm Venetias de Guidi Vbaldi Vrbini Ducis morte esset Senatui allatum, magnum sanè dolorem cepit, quòd vir diuino ingenio, admirabili doctrina, singulari prudentia præditus, omni iure necessitudinis cum nostra Republica coniunctissimus, amplissimis in fortunis tum, cùm florere per ætatem inciperet, interceptus extinctúsque, incredibile sui desiderium bonis omnibus reliquisset. Qua in re augebat eius molestiã quòd videbat, propterea quia Iulius Pontifex Maximus ei plurimum tribuebat, magnum etiam imperium eius fidei commiserat, erátque nemo cui ille vel plus confideret, vel in quem omnes honorum & dignitatis cumulos esset libentius collaturus, ipsum è vita non satis suo tempore cessisse. Ad hæc etiam mea causa plurimum angebatur. Existimabat enim, id quod erat, quia ego illum summopere amabam, colebam, in eius erga me amore atque beneuolentia conquiescebam, ille verò me admodum diligebat: secum enim, quandiu mihi esse cum illo licuit, suauissimo in conuictu amantissimè honorificentissiméq; detinuerat, suo etiam testimonio apud Iulium Pontificem Maximum sæpe ornauerat, fore vt eius viri interitus mihi longè acer-

bißimus atque luctuosißimus accideret. Neq; solùm Bembus pater, sed omnes etiam nostri ordines, vt scis, atque vniuersa certè ciuitas eum nuncium grauiter ac molestè accepit. Nam quoniam is & nostris quondam in exercitibus admodum adolescens summa cum potestate strenuè atq; integrè aliquot annos fuit, & postea Valentinianis illis miseris durißimisq; temporibus regno suo expulsus, cùm se in nostram vrbem contulisset, incredibili gratia totius ciuitatis annum amplius est nobiscum versatus, non tanquam exteri aut alieni hominis, sed quasi vnius nostri charißimi amantißimiq; ciuis, atque optimè de Republica meriti, sic eius viri mors nostrorum hominum animos omnium mentesq; perturbauit. Quæ res illis eò etiam grauior fuit, quòd vxor eius egregia lectißimaq; fœmina ipsis ob oculos versabatur: quam sanè cùm propterea, quòd illam is sine filijs relinquebat, tum vel maximè, quia viri amantißimam cognouerant, existimabant omnes magno in luctu atque dolore versari: cuius virtutem, constantiam, sanctitatem, præstantißimum ingenium vniuersa nostra vrbs tum, cùm apud nos illa vnà cum viro esset, plurimis in rebus maximis difficilimisq; perspexerat, summaq; illam beneuolentia prosequebatur, difficile vt dictu sit, vternam eorum fuerit nostris hominibus charior. Itaque quo tempore mors aliqua regia Patres illos atque Senatum reliquosq; ciues omnes æquè atque hæc, dolore molestiaq; affecerit, qui sciret, aut qui se audiuisse recordaretur, nemo erat. Sed quoniam, vt plerunque fit, ea de re nihil omnino tum publicè, præter ipsam ducis mortem nunciabatur, vt primùm in animis hominum dolor ille parumper repentinus resedit, cœpit vrbs, quasi

domestica in calamitate quærere, quónam ille morbo esset extinctus, qui honores mortuo habiti, quáue mente populi fuissent, tum quàm moderatè vxor eam solitudinem ferret, quámue secus, aut quod cùm apud eas gentes, tum apud Romanos homines beneuolentiæ, quódue famæ nomen existimationisq; retinuisset. Quæ cùm singula mihi maximè esse cognita existimarent ij, qui sciebant, quantus mihi cum illo viro vsus familiaritasq; intercesserat, plurimi etiam affuiße me illi morienti arbitrarentur, concursus est ad Bembum patrem propè omnium ista quærentium factus: quibus ille tametsi Romæ esse id me temporis ostendisset, persuadere tamen non potuit, quin ab ipso vellent meis literis ijs de rebus fieri certiores. Id à me pater cùm petijsset, statui ea conscribere, quæ à Sigismundo Fulginate paulò antè acceperam, cùm ad illum ipse atque Sadoletus meus & Philippus Beroaldus minor his de rebus sciscitatum venissemus, sermonemq; vniuscuiusque nostrûm, quemadmodum habitus est, mandare literis cum ijs scriptis, quæ tanquam lectatum atque recitata nobis omnem propè rerum summam atq; seriem continent. Quid enim patri meo ciuium meorum nomine petenti atq; requirenti negarem, ea præsertim in re, quæ duorum longè omnium optimorum, longeq; mihi charissimorum hominum vel memoriam esset in posterum vel etiam beneuolentiam propagatura? Itaq; cùm librum cōfeciſsem, animaduerti in eo multa esse tam egregia tamq; præclara, atqueadeo tam insolita cùm de Guido Vbaldo, tum de vxore eius vel recitata, vel certè commemorata inter nos atq; dicta, vt vererer, ne plures essent futuri, quibus illa non satis probarentur, quàm qui vera esse crederent,

nisi certo aliquo atq; illustri testimonio niterentur. Est e-*nim illud verum* Teupole, *dici quod solet, quemlibet ex se alios facillimè æstimare*. Itaque *quoniam nemo vir, nemo mulier hoc quidem tempore fortaße est, qui ea in sese experiatur, quæ nos & vidimus sæpe in illis omnia, & partim etiam nunc videmus, existimaui adhibendum mihi esse testem idoneum, cuius autoritate vniuersa se nostra oratio tueretur*. Is *tu autem potißimum es visus, in quo acquiescerem*. Nam Bembi *quidem patris attestatio, cuius mihi nomen grauißimum sanctißimumq; est, quoniam ei mea in primis ratio atq; persona tuenda proponebatur, aliquibus fortasse videri poterat, plus in eo amori eius erga me tribuisse, quàm quærebam*. Tu *verò & illorum amborum familiaritate atq; beneuolentia cùm in nostra vrbe maximè omnium es vsus, tum in eorum regno ab ipsis amantißimè susceptus eo tempore, quo te* Romam *ad illas in omnium doctrinarũ genere abs te supra quinquies mille propositas quæstiones disputandas sustinendasq; contuleras, vtriusq; mores atq; vitam omnem bene penitus diligentißimeq; perspexisti, mecumq; postea sæpius summa cum admiratione es colloquutus: & illos ipsos, qui hoc in libro ea disserũt, quæ leges, partim vetere tibi necessitudine atq; hospitio, partim arctiore vsu atque cõuictu, studiorum quidem omnes voluntatumq; similitudine maximè cognitos atq; coniunctos habes, vt quantum illis adhibenda fides sit, nemo te melius intelligat*. Quanquã *quidem ea certè res cumprimis illos omnibus hominibus conciliare sanè debet, probatißimosq; reddere, quòd* Iulio Põtifici Maximo *eximiè probantur, eidemq; charißimi atque familiarißimi sunt*. Nam *is &* Sigismundum *vnicè diligit*,

ligit, apud se q; habet, atq; à scribendis epistolis præclara eius opera vtitur: in quo difficile dictu est, quantum vnus omnes excellat, cùm scriptionis elegantia & candore styli, tum planè diligentia & fide: & Sadoleto quantum tribueret, quanti eius incredibilem probitatem præstantissimamq; doctrinam faceret, quamq; sibi culta eius splendẽtiaq; poemata probarentur, ostendit sacerdotio illi tradito Romæ templi honestissimi Laurentiani. Beroaldus autem in ære illius iamprìdem est: cuius cùm simplex laudabilisq; vita, tum doctrinæ elegans eruditio, atque in poeticis studijs mira præstantia, eius stipendio ac liberalitate maximè alitur. Quis autem ita sine vllo iudicio est, cui qui apud Iulium permagna vel autoritate vel beneuolentia sunt, eorum cùm facta tum dicta omnia non probentur? Cuius etiam quòd in isto libro nomẽ multis in locis perlegent, consiliaq; intuebuntur, qui eum sibi librum legendum existimabunt, si modò quispiam id faciet: quod eos tamẽ facturos puto, quorum in animis atque mentibus & mortui Ducis memoria, & viuæ beneuolẽtia impressa altius infixaq; inhærebit, tibi magno adiumento esse ad ea quæ scribimus, cæteris probanda testandaq; debebit. Quam ob rem facillimũ tibi erit Teupole hunc librum tueri, apud nostros homines præsertim, qui tibi plurimum tribuunt. Quid autem tibi nostri non tribuant, quem Romani homines ita suspiciunt, vt cùm in omni philosophia tibi sine vlla controuersia primas deferant, in cæterarum artium disciplinis quem tibi anteponant, se habere neminem fateantur? ita amant, vt nemo mihi vnus tam ab aliquo, quàm tu ab illis vniuersis, diligi amariq; videatur? eo autem etiam libentius hos ipsos ad te

sermones mittimus, quòd quemadmodum ego ijs, aliquam mihi sensi adhibitam esse leuationem doloris mei, sic existimo ad tuam molestiam minuendam, quam ex Guidi V*baldi morte multò maximam te audio multoq; grauißimam contraxisse, eosdem idoneos administros futuros.* Q*uod si fiet, magnum ex hac lucubratiuncula fructum cepisse arbitrabor, cùm te, quo quidem mihi nemo mortaliũ aut coniunctior est aut charior, minus angi atque dolere intellexero, quàm si omnino nihil scripsissem.* Itaque *vt ad ipsos tandem sermones veniamus, ita res haberi cœpta est.* Nam *cùm ad* Sigismundum *quodam die vnà omnes in* Vaticanum *venissemus, aliquantum post meridiei tempus: ipsi autem nescio quid à suis pueris tunc lentè inambulanti recitabatur domi: hominemq; salutauissemus, nosq; ille compellauisset, hilari, sed tamen graui, quo semper vtitur, vultu statim me intuens, bene, inquit,* Bembe *factum abs te est, non solùm quòd hîc ades nunc, sed etiam quòd cum his ades cùm tibi amicißimis, tum mihi.* Nam *& mihi erat ocium hoc diei, quod reliquum est, atque has horas meo arbitratu consumendi: & eas ipsas horas vestro aduentu mihi video multò suauiores & iucundiores futuras, modò ne quid vobis negocij sit, quòd sanè velim.* Nos *quidem sumus inquam* Sigismunde *ociosi: itaque ad te venimus, vt quoad tu vacuus esses, tecum essemus.* Putabamus *autem quoniam* Pontifex *in* O*stiensi aberat, fore vt te curis occupationibusq; solutum offenderemus.* Vos *quidem ille & rectè inquit putastis, & fecistis amantißimè: nihil enim ferè ago, vt videtis.* Itaque *nihil mihi potuit esse opportunius vobis tribus.* Sed *quid est* Beroalde, *quòd te atque hunc*

subtristes

subtristes video? Nam de Bembo nihil miror: scio enim ipsum Guidi Vbaldi Vrbini Ducis morte confectum magnopere dolere. Tum Philippus: Quid tu autē Sigismunde, inquit, cùm scias Bembi mœroris illam esse causam, quam dicis, nostri amborum quæ sit, vt etiam pro hoc Sadoleto respondeam, non perspicis? an tu illum vnum ex tanti viri interitu dolore affectum existimas, cæteros nihil? Quòd si nos id non moueret, quòd hic propterea maximam animo ægritudinem & molestiam cepit, quem quidem mœrentem aspicere ipsi certè sine mœrore non possumus, publicæ tamen iacturæ nos ratio tangeret, efficeretq; vt doleremus. omnibus enim hominibus interijsse existimandus est is, quem omnes homines dilexerint, cuiusq; salus atque vita fuerit cum omnium hominum voluptate coniuncta. Quam ob rem scias tu quidem nos ea ipsa causa tristes esse qua Bembus est, vel potius qua cæteri: ad te autem idcirco venisse, vt abs te multa de ipsius Ducis morte audiremus: nam quæ circunferuntur, verá ne an falsa ea sint, comperti nihil habemus. Hic autem Bembus, quē profectò his de rebus, quoniam summo amore illū summo cultu prosequebatur, eratq; ei perfamiliaris, quæsisse diligenter existimabamus, sese ait vno mortis nuncio audito causam habuisse non tam vt multa tum quæreret, quàm vt multùm semper quereretur. Te verò scimus cùm propterea, quòd summo Pontifici aßistis, tum vel maximè quoniam nostrorum temporum historiam conscribis, horum omnino nihil latêre. Quæ cùm ille dixisset: Quid vos ista, inquit Sigismundus, Beroalde ac Sadolete tristia lugubriaq; postulatis? parúm ne ea doloris, parum nobis acerbitatis tunc

recenseri: ne, dum omnia incerta illi sunt, plures se habere causas cur doleat, laxioresq; quàm necesse sit habenas existimet, & quasi excursum patentiorem mœrendi. Tum ille: Equidem lætiora inquit hilarioraq; inter nos agi hodie Sadolete maluissem, quæq; nostros animos minus essent exulceratura, quàm ista erunt quæ postulatis. Nullæ enim recordationes tam faciunt dolorem, quàm earum rerum, quæ cùm nobis charissimæ fuere, tum sunt recenter amissæ. Verùm si ita vultis, idq; Bembus iubet, neque vestram, neq; illius autoritatem sum declinaturus. Cui cùm me velle ostendissem: Quid autem, inquit, explicari vobis potissimum iubetis, illá ne quæ ad ipsum tantũ mortis genus pertinent, an ea quæ antè euenere, quæ ue post mortem sunt consequuta? quæ cum longè quidem plura, tum non ita sunt acerba, quædam etiam iucunda & grata. Tu verò potius omnia, inquam, tristiora quidem atque acerbiora primùm, ista pòst. Quanquam omnino grata & iucunda esse quædam quòd dixeris, cæteris fortasse non ita, mihi quidem, valde miror. Quid enim potest esse iucundũ alicui, qui id, propter quod omnia sibi iucunda erant, amisit? Aut quid gratum accidere potest ei, cui id ipsum, quod superest, quodq; viuit, est ingratum? Itaq; hoc ipsum iucundi atque grati nomen sublatum mihi è vita penitus video. Sed incipias, si tibi videtur, quæq; tibi his de rebus omnibus certa explorataq; sunt, explica. Vt lubet, inquit: sedentes tamen potius, si vobis placet agamus. Vel enim ætas mea iam grauior, vel imbecilla valetudo, qua vtor, facit vt quoties paulùm deambulauerim, aut etiam steterim, tanquam opere aliquo magno functus, sessionis indigeam. Vt tibi inquam est commodissi-

mum, sic facias. Quod cùm placuisset, ad eiusq; pluteum vnà omnes consedissemus: *Quoniam, inquit, ita iubetis, dicam, si potero, ea quæ his diebus ad* Pontificem Maximū Federici *pontificis Salernitani cùm prudentibus, tum planè vberibus literis sunt allata: quem quidem* Pontifex Maximus, *cùm de salute* Ducis *spes iam propè reliqua nulla esset, cùm ad regni negocia procuranda, tum ad vxorem* Ducis *consolandam, si vir moreretur, magnis itinerib. misit.* Hic Sadoletus: Neque *grauioris, inquit, viri, neq; nobis amicioris afferre testimonium poteras eo ipso, quem dicis. Quid verò ipsæ literæ* Sigismunde *apud té ne sunt? Sanè inquit ille.* Quin *tu igitur, si est ita, inquit, perlegi eas potius nobis audientibus iubes, quàm earum tu te seriem memoria repetendo nobisq; recensendo defatigere?* Tum *ille:* Rectè, *inquit, mones non tam quidem ipse vt ne defatiger: quantus est enim labor ea, quæ scias, quæq; memineris, loqui sedentem præsertim, hominibusq; familiaribus ac planè amantißimis tui; quàm ne vobis eius viri, quem diligitis, epistolarum suauitatem ac lepôrem vel inuidisse videar, vel neglexisse.* Neque *enim, vt vos scire arbitror, minus ille conscribit amabiliter quàm loquatur.* Tunc Philippus: *Istos tu quidem potes, inquit, rectè scire id quod dicis arbitrari,* Bembúmque *in primis: qui quidem* Bembus *cùm ad illum amandum acceßit prior, tum est ei omni genere neceßitudinis planè coniunctißimus.* Ego *autem, quoniam illum mihi hominem fortuna multò quàm his serius* Bembo *etiam internuncio conciliauit, eius scriptorum adhuc ne pagellam sum quidem vllam subodoratus: cuius me meæ negligentiæ planè suppudet.* Itaque *scias nihil te mihi æquè facere posse, ac si istas*

stas afferri literas iusseris, gratum. Afferantur igitur a-ctutùm,inquit ille,quando tibi id futurũ Beroalde *gratum putas. Tum ad puerum conuersus,abi verò tu properè in-quit,easq; literas affer, quas hic dicit. Qui cùm paruisset, reuersusq; cum literis astitisset:* Recita *verò, inquit ille, i-ta, vt ab his exaudiare. Tum puer replicatis literis eas cla rè perlegere stans incœpit.* E*æ autem erant scriptæ literæ sic:* Federicus Fregosius Pontifex *Salernitanus* Iulio Secun do Pont. Max. S. P. D. *Cùm* Idibus Aprilis *ad* Fo*rum* Sempronij *venissem, qui dies fuit postridie eius diei, quo abs te* Roma *profectus sum, Guidumq;* Vbaldum Vr*bini* Ducem *auunculum meum vita functũ comperißem, quemadmodum mihi præceperas, vt* Elisabetham *vxorẽ* Ducis *tuo nomine conuenirem, statim feci. Eam aũt humi prostratam ita miserè offendi flentem plorãtemq; solitudi nem suam, vt neq; modus,neq; intermißio lachrymarum, neq; vlla sanè leuatio videretur futura: me verò, qui pro-pèmodum in eius sinu natus,alitus quidẽ certè ab illa sum, vix agnosceret: cùm iam totum biduum sine somno, sine vllo cibo fuisset, decreuissetq;, vt aiebant,non iam ampli-us superesse,sed planè mori. Itaque tibi verè possum dice re, me, quem quidem ad consolandos alios miseris, cùm e-ius mulieris pietate, tum dolore, quem ex auunculi mei morte conceperam,ea conspecta vehementius permotum, ipsum planè consolationis indiguisse. Sed collegi conti-nuò me: iamq; nõ tam quis essem ipse, aut quibus essem o-pibus spoliatus, quàm cuius nomen atque maiestatem mi-hi tuendam suscepissem cogitans, & quasi te intuens, in eam curam incubui, primùm vt mulierem tuo nomine salutarem, deinde quanta molestia, quanta animi per-*

turbatione eius de salute viri tristes nuncij te affecerint, ostenderem: nihil tibi magis præter votum potuisse accidere, qui illum à puero tam amaueris semper, vt plus neminem: tanti autem feceris, vt te illi vni suprà omnes homines tribuisse, orbis ipse terrarum vniuersus sit testis. Po- *stremò afflictam mœrentemq; consolarer: quam sanè partem, quoniam ita mihi visum est rem tempusq; postulare, tuq; de eo mihi diligentius mandaueras, vt nihil prætermitterem, quod ad illam molestia leuandam pertineret, egi equidem pluribus. Verùm hæc ipsa pòst: Nunc ad illa venio, quæ ante meum aduentum acciderunt: quibus ea quoniam consequentia sunt, tota tibi rerum series sic exposita explicataq; magis patebit. Quæ quidem eiusmodi sunt. Nam quæ ad regni negocia pertinebant, ea omnia sic se propemodum habebant, nihil vt tu aliter statuere optareq; potuisses: non quòd ita ferret casus, vt res, vti maximè vellemus, sic caderent, & suo quasi cardine voluerentur: sed quia prouiderat vxor Dux, effeceratq; suo consilio, vt ne inclinarent secus. Itaque mulier eandem illam prudentiam, sapientiam, animi magnitudinem, quas quidem virtutes in suo postea magno dolore abiecerat, in tui fratris filij dubijs rebus sibi socias comitesque aduocauit. Nam cùm de salute Ducis eò perducta res esset, vt minus ille spei de se, quàm timoris coniugi domesticisq; reliquisset, rumor etiam falsò tum quidem, sed tamen esse illum mortuum emanauisset, populi, vt fit, nouarum rerum cupidi, propterea quòd is nullos ex se liberos genitos relinquebat, animos erexerunt: nonnullæ vrbes iam vt aut harum aut illarum essent partium, palàm egerunt, ipsæ arma ceperunt: ex agris clientelas armatorum hominum receperunt.*

ceperunt. Itaque Dux cùm videret viro suo planè mortuo, fore vt omnia bello & seditionibus arderent, quæ viuo etiam accendi iam inflammariq; cepissent, quemq; sibi is aliquot antè annis adoptauerat tui fratris suæq; sororis filium, ei propterea vehementer timeret, non mariti salutem dubiam flendam, sed consulendum filio: non dolori cedendum, sed resistendum audacibus: non lamentis muliebribus incumbendum, sed forti ac virili animo sibi planè vtendum putauit. Itaque ad Vrbinates, ad Calleuicanos, ad Eugubinos, quæ quidem oppida omnium prima nouas res moliri audiebantur, præmissis legatis perspectæ prudentiæ, magnæ autoritatis viris, exercitibusq; celerrimè comparatis, celerius autem subsequi iussis quò oporteret, bonos quosque viros per eosdem legatos perq; literas appellando, minus bonos hortando atq; monendo, reliquos vel deterrendo vel cohibendo, perfecit id, quod posse fieri nullo planè modo existimabatur, vt paucorum dierum spatio omnes in fide atque officio contineret. Itaque postea morte Principis verè audita, nulla vrbs, nullus vicus, nulla deniq; domus non modò non desciuit, sed etiam id aggredi ne cogitauit quidem. Quam ob rem huius abs te mihi crediti atq; iniuncti muneris partem, regni scilicet procurationem atq; curam, in qua multum sanè laboris, multum operæ futurum putabamus, leuissimā mihi eius mulieris industria atq; virtus fecit. His itaq; sic dispositis atq; comparatis, Dux pauculos sanè dies ægrè morbo cùm restitisset, ingruente eius vi ad tertium Idus Aprilis nocte media mortem obijt apud Forosempronienses, quò se extrema hyeme propter aeris temperiem salubritatemq; cōtulerat: itaq; obijt, vt vsq; dum interiret, in-

tegris esset semper sensibus, eademq; propè, qua vti recta valetudine solebat, memoria grauitateq; loqueretur. Morbus autem eiusmodi fuit. Nam *quoniam pedum dolore* Dux *quatuor atq; decem annos leuiter quidem primò, vt fit, ac per interualla longi tēporis, fortius mox ac crebrius, acriter frequenterq; postremò laborauerat, eò res venit, vt qui valentißimo prius stomacho vtebatur, ad extremum imbecillißimi esset planeq; multò putidißimi: ac nunquam quidē ex podagra, quin aluo quoq; fluxa mox laboraret, vigilia etiam & sæpißimè vexaretur, & planè diu. Ad incredibilem igitur his de causis maciem debilitatemq; perductus, pedum ac propè totiꝰ corporis doloribus (serpserat enim ea vis latius) citaq; maximè aluo, & vigilijs plures dies cùm laborauisset, febricula adiūcta paulatim confectus videns loquensq; deceßit sine vlla vi. Aßidebat ei moriēti ex mulieribus vxor* Dux, *manum viri sua manu tenens, atq; illum semper intuens, abeuntē animam suo quasi ore exceptura. Aderat fratris eius quondā vxor* Aemilia Pia, *magni animi, multi cōsilij fœmina, summæq; tum prudentiæ, tum pietatis: soror etiam ipsius ea, quæ mihi est mater: neptes duæ, cognatæ aliæ.* Ex *viris aūt ille ipse fratris tui filius,* O*ctauianus meus frater: necessarij, quib. cū ille alitus fuerat vixeratq;, permulti: quos quidem est omnes paucis antequā emigraret horis, mori enim se sentiebat, solatus hunc in modum.* Vit*æ mihi finis adest, vt videtis: vocor enim iam ab ijs, qui me hìc esse, quandiu affui, voluerunt: quibus ego gratias ago cùm de ea, quā vixi, vita: neq; enim vel me multùm quantum vixerim pœnitet, vel vos arbitror pœnitere: tum quòd vos intuēs morior, quos ego quoniam superstites relinquo, morior libens.* Non *enim*

enim mihi videor interire, cùm vos habeam, quorum in animis singulorum atque memoria certè potero quasi sæpius vno tempore viuere. Itaque *omnia me à* Dijs *immortalibus impetraſſe exiſtimabo, ſi à vobis hoc impetrauero, vt quaſi ego vobiſcum ſim, ita viuatis.* Teq; *in primis mi fili (quem ego, cùm ex ſororibus alios haberem, quemadmodum te habebam, tamen filium mihi eſſe volui, exiſtimans mei quamſimillimum futurum) decet, perinde atque me teſtem ſemper habeas, facere dicereq; omnia: ita enim non meo filio dignum neq; dices quicquam neque facies.* Adero *autem tibi ſemper fili, deq; ea regione, vbi me eſſe volent* Dij, *te, tuaq; facta, dicta omnia intuebor atq; audiam.* Maximè *autem omnium cùm* Iulium Pont. Max. *patruum tuum, tum* Federicum Ducem *patrem meum, &* Ioannem Præfectum *vrbis patrem tuum colere imitariq; te oportet: quorum alter, quoniam viuit, conſilijs, præceptisq; te iuuare plurimum poteſt, alter verò exemplis.* Demum *ſic te ad bonas artes da, vt quemadmodum ego certè à patre meo virtutum omnium exempla, tu à me fortaſſe capere aliquarum potes, ſic abs te liberi tui capiant.* Poſtremò *tibi illud præcipio, vt* Ducem *matrem tuam omnibus in rebus audias, omni genere pietatis colas: ita enim altero ætatis tuæ imbecillitatem facilè fulcies, in altero mihi gratiſſimum feceris: valde enim cupio, quicquid illa fidei, amoris, obſeruantiæ in me colendo contulit, tua te in illã pietate charitateq; reponere: quæ quis debet autem, vt qui hæres eſt, is dependat, eſt æquiſſimum.* Tibi *verò mea optima atque chariſſima vxor, nihil quidem præcipio.* Quid *enim tibi præcipiam nunc, cùm morior, quæ dum viuerem, locum mihi ne monendi qui-*

dem vnquam vllum reliquisti? quæ te æquum erat facere, semper ipsa per te fecisti? Hortor autem, & si pateris, rogo, filij vti regnum procures: ipsum, quod superest, ita instituas, vt se nobis dignum præbeat & maioribus suis. Cæterum illud etiam atque etiam abs te peto, vt cùm reliqua omnia, quæ tibi ipsa præcipies, feceris, meum interitum ne fleas, neue perturbes eam, qua me spero apud deos tranquillitate, quieteq; fruiturum, nisi me tuæ lachrymæ impedient. Hæc ille, vt aiebant, cùm dixisset, suiq; memoriam matri meæ & fratri reliquisq; omnibus grauißimis amantißimisq; verbis commendauisset, paulum quieuit. Vocari dein ad se Forosempronienſium Episcopum iussit, qui quidem cum sacerdote, cumq; ijs quæ ritè decedentibus adhiberi solent sacris, adstans, Deos illi superos atque manes placauit. Quem ille sic exaudiebat, vt eius verbis vsque annueret ferè, dum est mortuus. Quo sanè tempore cùm ad vxorem suosq; omnes conuersus, atque ita tum illos intuens, tùm ea quæ dicebantur excipiens, aliquandiu constitisset, leuiter demum se auertens, credo vt minus illos commoueret, temporiq; alteram supponens manum, tanquam sumno se perpetuo componeret, sine vllo coporis aut vultus motu, ita placidè tranquilleq; decessit, vt quasi quiescere videretur. Itaq; aiunt neq; sanctius, neq; constantius, neq; omnino pacatius potuisse quenquā mori illo viro. Hîc Dux, quæ quidem quādiu sensus aliquis in illo fuit, siccis ei oculis semper astitit, ne flens abeuntem sui misericordia perturbaret, vt primū ille spirare ac viuere destitit, amens se in eum proiecit, altißimaq; voce heu mi vir exclamantem cur me deseris? quò abis? reliquit eam animus doloris victam debilitatāq; magnetudine.

ne. Aderant qui verè mortuam crederent, ita nullo accurrentium studio poterat, nullis medicorum remedijs artibusq; reuocari. Itaq; duorum vnà interitum atq; mortem flebant: alteram quidem iustius, mulieris autem miserabiliorem interitum genus ipsum mortis pietasq; faciebant. Sed dij tantum mali prohibuerunt. Nam cùm illa propè id quod erat noctis reliquum inter suorum manus nihil audiens, nihil sentiens, frigida exanimisq; iacuisset, tanquã reddita à dijs immortalibus vita, spirare, aurasq; tandẽ ducere paulisper cœpit: oculis deinde cœlo hausto, atq; in eos intuens, qui fugientem illius animam retinere quoquó modo poterant conabantur, vt primùm loqui potuit: Quænã hæc tam importuna, inquit, cura? quis hic vester tam intẽpestiuus labor fuit? cur me meum sequi dominum crudeles impijq; prohibetis? cur mihi vt quem vitæ socium habui, eundem mortis habeam inuidetis? Me miseram, ille abijt, ego maneam? non maneo: imò te mi vir sequor. Hæc illa cùm dixisset, lachrymarũ quasi riuus fluere eius ex oculis cœpit: tum vnà questibus, fletibus, lamẽtationibus impleri misceriq; omnia. Nulla planctuum, nulla dolentium verborum, nulla vis vnquam maior lachrymarum fuit. Itaq; sic illa biduũ cùm fuisset, vt se adeuntibus, solantibus, somnum aut cibum caperet suadentibus, nihil omnino aliud, nisi se mori velle responderet, ego aduenio: domum pullatam, lugubrem, desolatam, plenam sordium, fratris tui filium familiaresq; perturbatos, deq; matris, atq; Principis vita iam propè desperatos inuenio. Flentes me, vt subueniã, rogant, rebus labentibus opem ferã: vel me vnum esse, qui id poßim, vel neminẽ, reliquarum sibi fortunarum omnium summam ex me pendêre. Quæ intelligens, magnitudi-

nemq; rei æstimans, in eam mihi partem vehementius insistendum putaui, quam neq; tu prouideras, neque ego mihi tractandam existimauissem, vt mulierem si possem, ab instituto mortis consilio cogitationeq; reuocarem. Itaq; omnes eas rationes colligens, quibus maximè posse me id cõsequi existimabam, neq; breui oratione illam, neq;, vt verũ fatear, siccis oculis sum aggressus. quæ tibi non perscriberem, nisi mihi discedenti præcepisses, non de rebus modò singulis quas agerem, sed etiam de sermonibus, deq; ipsis planè verbis, quibus vterer, te vt facerem certiorem. Nam quòd mariti sui maximi & clarissimi viri deq; se optimè meriti mortem lugeret, in eo dixi nihil habere me, quòd reprehenderem: esse illud cõiugis, esse castæ mulieris, esse amantis officiũ: nullis neq; legibus, neq; planè institutis prohiberi, ne nobis cùm coniunctorum, tum planè charissimorum obitum interitumq; lugeamus. Quòd autem ita doleret, vt etiam vita cedere videretur statuisse, id verò non solùm nos, qui illam amamus, aut gentes eas, quibus præesset, sed omnium etiam nationum omnium seculorum omnes homines improbaturos, Deos deniq; ipsos, sine quorum nutu, quoniam in vitam eorum cõcessu venimus, non est è vita migrandum, ægrè indignanterq; laturos. Nam si propterea, inquam doles, quòd virum amiseris, est id quidem omnino durum, sed tamen commune tibi cum multis. Omnes enim ferè mulieres quæ vnquam nupserũt, vel superuixere viris ipsæ, vel illos superstites moriẽdo reliquerunt. Vtramuis conditionem abnuere periniquum quidem est, indignantisq; vel sibi æternitatem nõ dari, si antè moriendum sit, vel si pòst, viro. Sin autem idcirco angeris, quòd eo cares viro, qui cùm à te propter suas innumerabiles

merabiles eximiasq; virtutes summopere amaretur, te etiam summopere amabat: cogitare debes, æquius esse velle te frui vita, vt gratiam tam præclari accepti muneris referre Dijs immortalibus poßis, quàm, ne amißi dolorem sentias, mori: ne videare in eo cùm timidi ac pusilli esse animi, tum planè etiam ingrati. Quòd *si te illud fortasse mouet, quòd is admodũ iuuenis interierit, cùmq; adhuc viuere aliquot annos posset, tum coactus sit è vita, tanquam è scena nondum conclusa fabula discedere: vide quàm peruerse agas. Ille enim tandiu vixit, quàm bene sibi atq; vtiliter licuit viuere.* Regnum *suum, ex quo illum olim potentißimorum hominum perfidia expulerat, sua virtute cùm recuperauisset: agros, oppida, vrbes suas in quas eadẽ illa calamitas inuaserat, partim vastatas & dirutas, partim exhaustas & oppressas in pristinam faciem restituisset: populos belli muneribus consumptos, pace atque immunitatibus exhilarauisset: rem suam militarem maximis imperijs auxisset: sibi filium, regno hæredem, populis* Ducem, *ipsi nouas affinitates acquisiuisset: teq; haberet, cui tutò regni habenæ, quoad filius per ætatem idoneus ad eas suscipiendas tractandasq; esset, committerentur: pedum dolore plures annos cùm laborauisset, ad extremum ingredi nihil posset, excesit è vitã suo tẽpore, vt mihi quidem videtur, nostro fortasse minus, quibus ille suæ cùm prudentiæ & sapientiæ, tum beneuolentiæ atq; amoris triste sanè desiderium reliquit: sed est omnino ferendũ.* Itaque *ille quoad potuit commodè & cum dignitate esse nobiscum fuit; atq; ita fuit, vt suorum nobis cùm factorum tũ dictorum omnium recordationem atq; memoriam charißimam iucundißimamq; reliquerit.* Nunc *autem, cùm ne-*

que se exercere amplius, neq; horam ferè esse sine doloribus posset, eò abijt, vbi cũ patre suo amplißimo ac propè cœlesti viro, inter ipsos Deos lætus atq; hilaris æuo perpetuo ac sempiterno fruatur. Quamobrem illius causa nihil est quòd tam miserè doleas, vt vitam tibi cum morte commutandam putes. Nihil enim illi mali accidit. Nam quid accidere mali potest ei, qui nihil vnquam admisit mali? nisi tu quidem ex labore ad quietem, ex dolore ad indolentiam, ex morbo ad sanitatem, ex ætate breui ad perpetuam, ab exilio hoc quidem misero ac permolesto, ad illam iucundißimam beatißimamq; patriam, cœlum ipsum Deorum sedem atq; solium, homines pertendere malum putas. Tua causa si te confectam vis, iam istud quidem, damno ac detrimento suo magnopere commoueri, neque magni animi est, neque eius quam tristia atq; aduersa aliquando exercuerint. Quòd si tu ea esses, cui nulli vnquam venti reflauissent, quæq; in vita nihil esses molesti perpessa, nihil duri, tamen istum te tuum casum tam dolenter ferre inquißimum duceremus: summa enim tua illa incredibiliq; sapientia tibi Deorum immortalium munere cõcessa, qua dare alijs consilium consueuisti, quaq; pluribus non mitißimis gentibus sanctißimè prudentißiméque moderararis, hoc te tempore non vti, vix esset vllo modo ferendum. Nunc verò cùm ab ineũte ætate aliquid tibi fortuna sæpißimè iniecerit acerbi, quo te vexaret, nullum ferè tempus transegeris sine molestia, sine labore, regni te demum tui sede atq; fastigio deiectam, dignitate, opibus, fortunis omnibus spoliatam videris, egens inops exteras alienasq; gentes adieris, oraueris, virum ipsum tuum biennium exulem, asperrimo in bello societatibus infidißimis implicitum,

citũ, extrema omnia perpessum singulis horis audiueris, captum ac mortuum verita sæpius fueris, credideris aliquando, defleueris nonnunquam: hæc sanè omnia forti atque erecto animo cùm pertuleris, nunc te inquam vinci dolore atque frangi, & quasi obrui fluctu sines? Vide quæso ne reprehendẽda sis, non solùm quòd imbecillius agas nunc nimiumq; muliebriter, sed etiam propterea, quòd quib. in rebus antea te fortiter cõstanterq; gesßisti, quæ res & permultæ quidẽ sunt, & in hominum mentib. insident, ijs tu rebus omnibus quasi maculam, sic istum languorem aspergas, earũq; gloriam & splendorem pristinum excutias noua ista animi tui cùm ægritudine nimia, tum deiectione. Continuandus profectò vitæ tuus tibi tenor est, atque in ea, quam & à principio fortiter suscepisti, & postea laudabiliter sustinuisti, persona vsquequaque permanendum: ne si prioribus vltima ista non consonent, casu illa potius ac temerè nata, quàm tuo consilio, tuaq; virtute, mentisq; magnitudine suscepta esse confectaq; videantur. Itaq; eripe te his cogitationibus, quæ tibi rectum iudicandi sensum eripuerunt: erige, excita te, expergiscere, aufer ex animo tuo istum angorem, vel, si id non potes, remitte, ac tãdem viuere, quàm mori, satius puta. Quod quidem tua si causa minus adduci potes vt efficias, filij te tui pietas moueat vt adducare: qui quidem quanquam ea indole, ijsq; moribus est, vt non tã à te tuoq; viro adoptatus, quàm ex vobis genitus fuisse videatur, eius tamen imbecilla ætas tuis est maximè & cõsilijs & institutis confirmãda. An ignoras, quibus illum regendis populis, quibus gentibus & puerum & solum, sis, si abieris, relictura? quàm ferocibus, quàm aliquando detrectantibus non ini-

quißimum iugum? quosq; propemodum poßis dicere Apennino ipso, quem incolunt, duriores? Age verò, *sint ij mites, tractabiles, pacati, quid te tandem facere oportet, cùm ille ipse tuus vir, quo nemo vnquam grauior, nemo prudentior fuit, tibi, vt audio, cùm decedens sua voce praeceperit, tum fidei tuae testamento commiserit, vt in regno gubernando ita filio adesses, vt illi praeesses, ita cõsuleres, vt tibi is parêret, rerum deniq; omnium summam penes te haberes, quoad ille quinq; & viginti natus annos esset? Hanc tu illius contra voluntatem facere salua pietate non potes. An tu illi, quandiu vixit, omnibus maximis minimis in rebus cùm fueris obsecuta, vna in re morienti aduersaberis? vt qui te viuus reprehendere nunquam potuit, mortuus poßit? At hercle si tu illum non amauisses, si ei nunquam aliàs obtemperauisses, tamen quoniam nescio quo pacto natura comparatum est, vt mortuos quàm viuos maiori pietate prosequamur, obsequi deberes hac in re illius sanctißimis beatißimisq; manibus, teq; in vita, quoad perficere id posses, continere.* Nunc autem cùm in reliquis *praestandis officijs vniuersae viginti annorum vitae, quos cum illo concordißimè ac sine vlla querela peregisti, nihil abs te peccatum sit, cùm quidem culpa, si peccauisses, & tutior fuisset & venia dignior, in vno vis nunc, & quidem longè maximo, maximeq; tibi suscipiendo sustinendoq; officio peccare? vt tuus ille perpetuus obsequendi viro mos quasi cõsenuerit, tum, cùm minimè decuit minimeq; opus fuit, frangatur atq; deficiat?* Ne Dux, *ne mea hera, ne mater charißima id facias: né ue cõmittas, vt alienißimo filij, qui aetate impar ad regendum imperium est: alienißimo populorum tempore, qui tuis imperijs assueti, tuam prudentiam,*

dentiam, iustitiam, temperantiam, æquabilitatem expetũt, aliorum nolunt experiri: alienißimo etiam tuo, quæ pietate hac viri manibus exhibita, reliquam totius tuæ vitæ erga illum pietatem honestißimo quasi septo concludes, reiecta & præterita dißipabis, cùm te nobis omnibus eripias, tum tibi. Satis mediusfidius satis, aut etiam nimium citò celeriq; per sese gradu mors tum, cùm nobis moriendum est, venit: ne tu illius pedibus alas etiam addas, te vt adeat inuisatq; temporius. Atque hæc quidem, quæ nunc dico, non propterea dico, quòd is, qui me ad te misit, Iulius Pont. Max. ea mihi tecum agenda tractandaq; mandauerit: ille enim quo est erga te sensu atq; iudicio, nunquam eò inducere animum potuisset, vt cogitaret te fœminam innocentißimam, sanctißimam, prudentißimam, supraq; mulierum consuetudinem rebus aduersis ferendis constantem atque fortem, ita mentis inopem, ita consilij egentem, ita te ipsa excussam & eiectam iacere; mori etiam vt decreuisses. Sed profectò quæ æquum erat sapientißimum hominem de fœmina præstantißima cogitare, ea de te cogitauit, si vir tuus vita exiret, quoniam illum summopere amabas, fore vt ea res magno te dolore, magna molestia afficeret: itaq; iußit suo te nomine vt afflictam, non vt mori cupientem, consolarer, hortarerq; hominem te esse natam meminisses, nihil humani à te alienum putares, nihil accidisse tibi proprium duceres, aut etiam nihil nouum. Viri tui desiderium si non æquo & pacato animo, at forti & constanti sustineres: eos, qui tibi illum dedissent, repetẽdi cùm vellent ius habuisse: tibi cõceßisse tuo viro perfrui multò diutius, quàm vxoribus innumerabilibus concesserint cõceßuriq; sint suo: immoderatè intemperanterq; ferre id, de

quo etiam referre gratiam debeas, eius esse, qui Deorum immortalium muneribus planè abutatur. An nescires illũ ea lege natum, vt esset, qui omnibus horis posset mori? Nõ singulos modò homines, sed vniuersas etiam nationes interire. Eius qui sanctè, prudenter, temperatè, summa gratia, summis honoribus, summa cum dignitate vixerit, memoriam pietate & beneuolentia esse, non luctu aut ægritudine prosequendam. Ipsum, quo in te animo semper fuit, verissimam quidem esse, molestè ferre, angi, turbariq́; te. Itaque lachrymis modum poneres, te conuerteres ad tranquillitatem. Dares hoc illi mortuo, qui abs te id flagitat: dares tuis, quos omnes necesse est multum ex tuo luctu doloris molestiæq́; traxisse. Postremò sibi etiam dares, cuius erga te voluntati maximè charitatiq́; deberetur. Nullum esse dolorem, qui diuturnitate non molliatur: ei diuturnitati tua te prudentia non præcurrere, quod singulæ sæpe mulierculæ faciunt, neminem æquo animo laturum. Mentem denique ac cogitationem tuam ad regendos populos traduceres: eos se tuæ prudentiæ tuæq́; fidei committere. Filium tuum, qui fratris sui filius esset, optimis moribus, optimis artibus instituere: ei populos confirmares: quæ te digna essent, tractares potius, quàm ea, quæ alias mulieres facere, ipsa & ante hoc tempus improbauisses, & paulò post hoc tempus esses deinceps improbatura. Hæc à te vel hortando, vel rogando, vel monendo, vel planè etiam præcipiẽdo impetrarem, vel amori summo erga te suo id concederes, vel ei, quam is à Dijs immortalibus sustinet, maiestati: quam quidem maiestatem tu semper maximè omnium esses verita, eiq́; plurimum tribuisses. Quod ad se attineret, cõsideres nulla in re tibi

tibi defuturum, quam sciret ad te tuamq; dignitatem pertinere: eoq; se tuas res, tuasq; fortunas omnes, teq; ipsam maiori studio ac pietate in fidem & clientelam susceptum, quo te sciret tali tantoq; viro spoliatam, cuius & amore & consilijs nitebare, firmiori adiumento atq; præsidio ad te regendam & sustentandam egere. Hæc atque his similia in hanc ferè sententiam cùm dixissem, sic ab illa discessi vt mihi polliceretur, quoniam ita tu velles, se daturam operam vt viueret, quandiu autem viueret, tandiu se in luctu atq; acerbitate scires futuram. Quæ cùm eius filius familiaresq; resciuissent, eas tibi apud me gratias egerunt, vt dicerent, sese illa si viueret, tibi vni acceptum relaturos: me verò sibi è cœlo missum putarent, qui tam tempore venerim. Hæc cùm puer recitauisset, velletq; pergere ad reliqua, Sigismundus manu ei annuens vt se sustineret: Quódnam autem ex his literis Beroalde, inquit, de Federico meo tuum iudicium est? Libet enim mihi illum meum appellare, qui quidem ex Pontificis mei familia est, quemq; is valde diligit, ego autem vnicè atq; summopere amo: quàm is bellè tibi videtur scribere? eiusq; scriptionis quàm probas genus? visus es enim mihi auidis admodum auribus hanc epistolæ partem quasi bibisse. Ego verò, inquit ille, videri tibi rectè potui is, quem dicis: qui quidem certè mihi etiam visus sum nihil omnino vnquam libentius audiuisse. Sed nolo tibi meum iudicium afferre, nisi prius vniuersæ epistolæ seriē atq; sensum percepero: video enim superesse etiam, quod audiamus. Itaq; ad reliqua, si tibi videtur. Mihi quidem videtur, inquit. Perge igitur puer tu, atq; explica de epistola, quæ sequuntur. Tum ille suum ad munus cùm redijsset, sic est prosequutus. His confectis Vr-

binum noctu nobiliorum humeris delatū cadauer est multa face, interq; maiorum sepulchra cōpositum fano, quod sibi ipse viuens construxerat. Ea in vrbe postridie mortui Ducis *testamento recitato; eius filius more maiorum vrbem in equo ac veste regia perambulans,* Dux *appellatus salutatusq; est. Post eum diem reliquæ vrbes omnes missis legationibus idem fecerunt, ipsumq;* Ducem *consalutauerunt. Iustis etiam patris manibus peragendis dies est dicta, ante diem quintum* Nonas Maias. Per *hosce interea dies vel necessarijs vel amicis* Regulis *atque* Principibus *aut ipsis, aut certè per legatos* Ducem *atque matrem* Ducis, *hanc vt consolarentur, illi etiam vt gratularentur adeuntibus, municipijsq; immunitates cæterasq; eius generis largitiones petentibus est vacatum.* Quanquam *quidem non tàm illi mulierem magni nominis adierunt, quàm planè simulacbrum vmbramq; mulieris, vel potius effigiem spirantis mortuæ.* Pannis *illa pullis vitisq; obsita, tum operta velo faciem, thalami sui angulo humi periacet: ibi somnum, ibi cibum capit.* Ei *thalamo dies ac noctes vna tantummodo & quidem ægrè facula illucet.* Non *sol admittitur, non aer: ibi inuisitur: ibi eam legationes conueniunt.* Nemo *autem illam adhuc, nisi planè flentem inuenit, non exterorum, nō suorum.* Itaque *mirum omnino est tandiu ei oculos suffecisse, aut vnde illa tantum lachrymarum hauserit.* Parentalia *vbi venerunt, quibus quidem celebrandis vt adessent, omnibus ferè ab* Italiæ *principibus missæ legationes conuenerant, atrati propè mille templa nouo cum* Duce *manè adimus.* Bustum *ingens medio in templo mortui* Ducis *manibus erectum, luminibus circum fusum innumerabilibus, quasi ardere ipsa cum æde videbatur.*

tur. Antè id à sacerdotibus supplicatum multis precibus est antiquo ritu sacrorum: laudatio etiam à præceptore eius Odaxio luculenter dicta: cuius exemplum habebis cum his literis. Hic tum Sadoletus: *O præclaras literas, inquit, quibus etiam laudatio sit adiuncta. Itaque video nos non ea solummodo quæ ad mortem Guidi Vbaldi pertinebant, quod vnum maximè optabamus, sed vitæ etiam ipsius propè historiam præter spem consequuturos.* Non enim *vereor ne Odaxius, doctus quidem vir atq; eloquens, cùm discipulum esset in funere laudaturus, quicquam omnino quod egregium sit, sunt autem multa, vt sæpe audiui, prætermiserit. recitari enim nobis, modò id te volente fiat, istam quoque laudationem volumus Sigismunde, quam hic dicit: scio autem etiam* Beroaldo *id placere. Mihi verò perplacet, inquit* Philippus. *Nam quanquam* Bembus *multa nobis de illo viro narrare sæpe solitus sit, cupio tamen quæ mandata literis sunt, ea etiam cognoscere, ab* Odaxio *præsertim cùm erudito homine, tum quod ipse maximum puto, vniuersæ eius ipsius, de quo agimus, vitæ quasi socio, doctrinæ quidem certè in studijs etiam magistro.* Q*uamobrem iube illam puer tuus laudationem perlegat, si tibi incommodum non est. Tum* Sigismundus: *Ille verò* Beroalde, *inquit: quid enim mihi esse incommodum, quod vobis placeat, potest? Sine autem prius, quod est reliquum* Federici *literarum, quod quidem iam paululum est, id exoluat expliceté;, si videtur, ne non æquo interea literæ interuallo lectionis intersecentur.* Nam *laudatio lõgiuscula quidem est.* Q*uæ cùm essent dicta,* Philippus *autem puero, vt explicationem literarum conficeret, annuisset, ille reliqua sic est persecutus. Postridie eius diei, vr-*

tegris esset semper sensibus, eademq; propè, qua vti recta valetudine solebat, memoria grauitateq; loqueretur. Morbus autem eiusmodi fuit. Nam quoniam pedum dolore Dux quatuor atq; decem annos leuiter quidem primò, vt fit, ac per interualla longi tēporis, fortius mox ac crebrius, acriter frequenterq; postremò laborauerat, eò res venit, vt qui valentißimo prius stomacho vtebatur, ad extremum imbecillißimi esset planeq; multò putidißimi: ac nunquam quidē ex podagra, quin aluo quoq; fluxa mox laboraret, vigilia etiam & sæpißimè vexaretur, & planè diu. Ad incredibilem igitur his de caußis maciem debilitatemq; perductus, pedum ac propè totius corporis doloribus (serpserat enim ea vis latius) citaq; maximè aluo, & vigilijs plures dies cùm laborauisset, febricula adiūcta paulatim confectus videns loquensq; deceßit sine vlla vi. Aßidebat ei morięti ex mulieribus vxor Dux, manum viri sua manu tenens, atq; illum semper intuens, abeuntē animam suo quasi ore exceptura. Aderat fratris eius quondā vxor Aemilia Pia, magni animi, multi cōsilij fœmina, summæq; tum prudentiæ, tum pietatis: soror etiam ipsius ea, quæ mihi est mater: neptes duæ, cognatæ aliæ. Ex viris aūt ille ipse fratris tui filius, Octauianus meus frater: necessarij, quib. cū ille alitus fuerat vixeratq;, permulti: quos quidem est omnes paucis antequā emigraret horis, mori enim se sentiebat, solatus hunc in modum. Vitæ mihi finis adest, vt videtis: vocor enim iam ab ijs, qui me hìc esse, quandiu affui, voluerunt: quibus ego gratias ago cùm de ea, quā vixì, vita: neq; enim vel me multùm quantum vixerim pœnitet, vel vos arbitror pœnitere: tum quòd vos intuēs morior, quos ego quoniam superstites relinquo, morior libens. Non enim

enim mihi videor interire, cùm vos habeam, quorum in animis singulorum atque memoria certè potero quasi sæpius vno tempore viuere. Itaque omnia me à Dijs immortalibus impetraße existimabo, si à vobis hoc impetrauero, vt quasi ego vobiscum sim, ita viuatis. Teq; in primis mi fili (quem ego, cùm ex sororibus alios haberem, quemadmodum te habebam, tamen filium mihi esse volui, existimans mei quamsimillimum futurum) decet, perinde atque me testem semper habeas, facere dicereq; omnia: ita enim non meo filio dignum neq; dices quicquam neque facies. Adero autem tibi semper fili, deq; ea regione, vbi me esse volent Dij, te, tuaq; facta, dicta omnia intuebor atq; audiam. Maximè autem omnium cùm Iulium Pont. Max. patruum tuum, tum Federicum Ducem patrem meum, & Ioannem Præfectum vrbis patrem tuum colere imitariq; te oportet: quorum alter, quoniam viuit, consilijs, præceptisq; te iuuare plurimum potest, alter verò exemplis. Demum sic te ad bonas artes da, vt quemadmodum ego certè à patre meo virtutum omnium exempla, tu à me fortasse capere aliquarum potes, sic abs te liberi tui capiant. Postremò tibi illud præcipio, vt Ducem matrem tuam omnibus in rebus audias, omni genere pietatis colas: ita enim altero ætatis tuæ imbecillitatem facilè fulcies, in altero mihi gratißimum feceris: valde enim cupio, quicquid illa fidei, amoris, obseruantiæ in me colendo contulit, tua te in illā pietate charitateq; reponere: quæ quis debet autem, vt qui hæres est, is dependat, est æquißimum. Tibi verò mea optima atque charißima vxor, nihil quidem præcipio. Quid enim tibi præcipiam nunc, cùm morior, quæ dum viuerem, locum mihi ne monendi qui-

dem vnquam vllum reliquisti? quæ te æquum erat facere, semper ipsa per te fecisti? Hortor autem, *& si pateris, rogo, filij vti regnum procures: ipsum, quod superest, ita instituas, vt se nobis dignum præbeat & maioribus suis. Cæterum illud etiam atque etiam abs te peto, vt cùm reliqua omnia, quæ tibi ipsa præcipies, feceris, meum interitum ne fleas, nêue perturbes eam, qua me spero apud deos tranquillitate, quieteq; fruiturum, nisi me tuæ lachrymæ impedient. Hæc ille, vt aiebant, cùm dixisset, suiq; memoriam matri meæ & fratri reliquisq; omnibus grauißimis amantißimisq; verbis commendauisset, paulùm quieuit.* Vocari dein ad se *Forosempronienſium* Episcopum *iussit, qui quidem cum sacerdote, cumq; ijs quæ rite decedentibus adhiberi solent sacris, adstans,* Deos *illi superos atque manes placauit. Quem ille sic exaudiebat, vt eius verbis vsque annueret ferè, dum est mortuus. Quo sanè tempore cùm ad vxorem suosq; omnes conuersus, atque ita tum illos intuens, tum ea quæ dicebantur excipiens, aliquandiu constitisset, leuiter demum se auertens, credo vt minus illos commoueret, temporiq; alteram supponens manum, tanquam sumno se perpetuo componeret, sine vllo coporis aut vultus motu, ita placidè tranquilleq; deceßit, vt quasi quiescere videretur.* Itaq; *aiunt neq; sanctius, neq; constantius, neq; omnino pacatius potuisse quenquā mori illo viro.* Hîc Dux, *quæ quidem quādiu sensus aliquis in illo fuit, siccis ei oculis semper aſtitit, ne flens abeuntem sui misericordia perturbaret, vt primū ille spirare ac viuere destitit, amens se in eum proiecit, altißimaq; voce heu mi vir exclamantem cur me deseris? quò abis? reliquit eam animus doloris victam debilitatāq; magnetudi*

ne.

ne. Aderant qui verè mortuam crederent, ita nullo accurrentium studio poterat, nullis medicorum remedijs artibusq; reuocari. Itaq; duorum vnà interitum atq; mortem flebant: alteram quidem iustius, mulieris autem miserabiliorem interitum genus ipsum mortis pietasq; faciebant. Sed dij tantum mali prohibuerunt. Nam cùm illa propè id quod erat noctis reliquum inter suorum manus nihil audiens, nihil sentiens, frigida exanimisq; iacuisset, tanquā reddita à dijs immortalibus vita, spirare, aurasq; tandē ducere paulisper cœpit: oculis deinde cœlo hausto, atq; in eos intuens, qui fugientem illius animam retinere quoquo modo poterant conabantur, vt primùm loqui potuit: Quænā hæc tam importuna, inquit, cura? quis hic vester tam intēpestiuus labor fuit? cur me meum sequi dominum crudeles impijq; prohibetis? cur mihi vt quem vitæ socium habui, eundem mortis habeam inuidetis? Me miseram, ille abijt, ego maneam? non maneo: imò te mi vir sequor. Hæc illa cùm dixisset, lachrymarū quasi riuus fluere eius ex oculis cœpit: tum vnà questibus, fletibus, lamētationibus impleri misceriq; omnia. Nulla planctuum, nulla dolentium verborum, nulla vis vnquam maior lachrymarum fuit. Itaq; sic illa biduū cùm fuisset, vt se adeuntibus, solantibus, somnum aut cibum caperet suadentibus, nihil omnino aliud, nisi se mori velle responderet, ego aduenio: domum pullatam, lugubrem, desolatam, plenam sordium, fratris tui filium familiaresq; perturbatos, deq; matris, atq; Principis vita iam propè desperatos inuenio. Flentes me, vt subueniā, rogant, rebus labentibus opem ferā: vel me vnum esse, qui id poßim, vel neminē, reliquarum sibi fortunarum omnium summam ex me pendere. Quæ intelligens, magnitudi-

nemq; rei æstimans, in eam mihi partem vehementius insistendum putaui, quam neq; tu prouideras, neque ego mihi tractandam existimauissem, vt mulierem si possem, ab instituto mortis consilio cogitationeq; reuocarem. Itaq; omnes eas rationes colligens, quibus maximè posse me id cōsequi existimabam, neq; breui oratione illam, neq;, vt verū fatear, siccis oculis sum aggressus. quæ tibi non perscriberem, nisi mihi discedenti præcepisses, non de rebus modò singulis quas agerem, sed etiam de sermonibus, deq; ipsis planè verbis, quibus vterer, te vt facerem certiorem. Nam quòd mariti sui maximi & clarißimi viri deq; se optimè meriti mortem lugeret, in eo dixi nihil habere me, quòd reprehenderem: esse illud cōiugis, esse castæ mulieris, esse amantis officiū: nullis neq; legibus, neq; planè institutis prohiberi, ne nobis cùm coniunctorum, tum planè charißimorum obitum interitumq; lugeamus. Quòd autem ita doleret, vt etiam vita cedere videretur statuisse, id verò non solum nos, qui illam amamus, aut gentes eas, quibus præeßet, sed omnium etiam nationum omnium seculorum omnes homines improbaturos, Deos deniq; ipsos, sine quorum nutu, quoniam in vitam eorum cōcessu venimus, non est è vita migrandum, ægrè indignanterq; laturos. Nam si propterea, inquam doles, quòd virum amiseris, est id quidem omnino durum, sed tamen commune tibi cum multis. Omnes enim ferè mulieres quæ vnquam nupserūt, vel superuixere viris ipsæ, vel illos superstites moriedo reliquerunt. Vtramuis conditionem abnuere periniquum quidem est, indignantisq; vel sibi æternitatem nō dari, si antè moriendum sit, vel si pòst, viro. Sin autem idcirco angeris, quòd eo cares viro, qui cùm à te propter suas innumerabiles

merabiles exīniasq; virtutes summopere amaretur, te etiam summopere amabat: cogitare debes, æquius esse velle te frui vita, vt gratiam tam præclari accepti muneris referre Dijs immortalibus posśis, quàm, ne amiśi dolorem sentias, mori: ne videare in eo cùm timidi ac pusilli esse animi, tum planè etiam ingrati. Quòd si te illud fortasse mouet, quòd is admodū iuuenis interierit, cūmq; adhuc viuere aliquot annos posset, tum coactus sit è vita, tanquam è scena nondum conclusa fabula discedere: vide quàm peruerse agas. Ille enim tandiu vixit, quàm bene sibi atq; vtiliter licuit viuere. Regnum suum, ex quo illum olim potentiśimorum hominum perfidia expulerat, sua virtute cùm recuperauisset: agros, oppida, vrbes suas in quas eadē illa calamitas inuaserat, partim vastatas & dirutas, partim exhaustas & oppressas in pristinam faciem restituisset: populos belli muneribus consumptos, pace atque immunitatibus exhilarauisset: rem suam militarem maximis imperijs auxisset: sibi filium, regno hæredem, populis Ducem, ipsi nouas affinitates acquisiuisset: teq; haberet, cui tutò regni habenæ, quoad filius per ætatem idoneus ad eas suscipiendas tractandasq; esset, committerentur: pedum dolore plures annos cùm laborauisset, ad extremum ingredi nihil posset, exceśit è vitā suo tēpore, vt mihi quidem videtur, nostro fortasse minus, quibus ille suæ cùm prudentiæ & sapientiæ, tum beneuolentiæ atq; amoris triste sanè desiderium reliquit: sed est omnino ferendū. Itaque ille quoad potuit commodè & cum dignitate esse nobiscum fuit, atq; ita fuit, vt suorum nobis cùm factorum tū dictorum omniū recordationem atq; memoriam charisśimam iucundiśimamq; reliquerit. Nunc autem, cùm ne-

que se exercere amplius, neq; horam ferè esse sine doloribus posset, eò abijt, vbi cũ patre suo amplißimo ac propè cœlesti viro, inter ipsos Deos lætus atq; hilaris æuo perpetuo ac sempiterno fruatur. Quamobrem illius causa nihil est quòd tam miserè doleas, vt vitam tibi cum morte commutandam putes. Nihil enim illi mali accidit. Nam quid accidere mali potest ei, qui nihil vnquam admisit mali? nisi tu quidem ex labore ad quietem, ex dolore ad indolentiam, ex morbo ad sanitatem, ex ætate breui ad perpetuam, ab exilio hoc quidem misero ac permolesto, ad illam iucundißimam beatißimamq; patriam, cœlum ipsum Deorum sedem atq; solium, homines pertendere malum putas. Tua caũsa si te confectam vis, iam istud quidem, damno ac detrimento suo magnopere commoueri, neque magni animi est, neque eius quam tristia atq; aduersa aliquando exercuerint. Quòd si tu ea esses, cui nulli vnquam venti reflauissent, quæq; in vita nihil esses molesti perpessa, nihil duri, tamen istum te tuum casum tam dolenter ferre inquißimum duceremus: summa enim tua illa incredibiliq; sapientia tibi Deorum immortalium munere cõcessa, qua dare alijs consilium consueuisti, quaq; pluribus non mitißimis gentibus sanctißimè prudentißiméque moderararis, hoc te tempore non vti, vix esset vllo modo ferendum. Nunc verò cùm ab ineũte ætate aliquid tibi fortuna sæpißimè iniecerit acerbi, quo te vexaret, nullum ferè tempus transegeris sine molestia, sine labore, regni te demum tui sede atq; fastigio deiectam, dignitate, opibus, fortunis omnibus spoliatam videris, egens inops exteras alienasq; gentes adieris, oraueris, virum ipsum tuum biennium exulem, asperrimo in bello societatibus infidißimis implicitum,

citũ, extrema omnia perpeſſum ſingulis horis audiueris, captum ac mortuum verita ſæpius fueris, credideris aliquando, defleueris nonnunquam: hæc ſanè omnia forti atque erecto animo cùm pertuleris, nunc te inquam vinci dolore atque frangi, & quaſi obrui fluctu ſines? Vide quæſo ne reprehendẽda ſis, non ſolùm quòd imbecillius agas nunc nimiumq́; muliebriter, ſed etiam propterea, quòd quib. in rebus antea te fortiter cõſtanterq́; geſſiſti, quæ res & permultæ quidẽ ſunt, & in hominum mentib. inſident, ijs tu rebus omnibus quaſi maculam, ſic iſtum languorem aſpergas, earũq́; gloriam & ſplendorem priſtinum excutias noua iſta animi tui cùm ægritudine nimia, tum deiectione. Continuandus profectò vitæ tuus tibi tenor eſt, atque in ea, quam & à principio fortiter ſuſcepiſti, & poſtea laudabiliter ſuſtinuiſti, perſona vſquequaque permanendum: ne ſi prioribus vltima iſta non conſonent, caſu illa potius ac temerè nata, quàm tuo conſilio, tuaq́; virtute, mentiſq́; magnitudine ſuſcepta eſſe confectaq́; videantur. Itaq; eripe te his cogitationibus, quæ tibi rectum iudicandi ſenſum eripuerunt: erige, excita te, expergiſcere, aufer ex animo tuo iſtum angorem, vel, ſi id non potes, remitte, ac tãdem viuere, quàm mori, ſatius puta. Quod quidem tua ſi cauſa minus adduci potes vt efficias, filij te tui pietas moueat vt adducare: qui quidem quanquam ea indole, ijſq́; moribus eſt, vt non tã à te tuoq́; viro adoptatus, quàm ex vobis genitus fuiſſe videatur, eius tamen imbecilla ætas tuis eſt maximè & cõſilijs & inſtitutis confirmã da. An ignoras, quibus illum regendis populis, quibus gentibus & puerum & ſolum, ſis, ſi abieris, relictura? quàm ferocibus, quàm aliquando detrectantibus non ini-

quißimum iugum? quosq; propemodum poßis dicere A-pennino ipso, quem incolunt, duriores? Agè verò, *sint ij mites, tractabiles, pacati, quid te tandem facere oportet, cùm ille ipse tuus vir, quo nemo vnquam grauior, nemo prudentior fuit, tibi, vt audio, cùm decedens sua voce præceperit, tum fidei tuæ testamento commiserit, vt in regno gubernando ita filio adesses, vt illi præesses, ita cõsuleres, vt tibi is parêret, rerum deniq; omnium summam penes te haberes, quoad ille quinq; & viginti natus annos esset?* Hanc *tu illius contra voluntatem facere salua pietate non potes. An tu illi, quandiu vixit, omnibus maximis minimis in rebus cùm fueris obsecuta, vna in re morienti aduersaberis? vt qui te viuus reprehendere nunquam potuit, mortuus poßit?* At *hercle si tu illum non amauisses, si ei nunquam aliàs obtemperauisses, tamen quoniam nescio quo pacto natura comparatum est, vt mortuos quàm viuos maiori pietate prosequamur, obsequi deberes hac in re illius sanctißimis beatißimisq; manibus, teq; in vita, quoad perficere id posses, continere.* Nunc *autem cùm in reliquis præstandis officijs vniuersæ viginti annorum vitæ, quos cum illo concordißimè ac sine vlla querela peregisti, nihil abs te peccatum sit, cùm quidem culpa, si peccauisses, & tutior fuisset & venia dignior, in vno vis nunc, & quidem longè maximo, maximeq; tibi suscipiendo sustinendoq; officio peccare? vt tuus ille perpetuus obsequendi viro mos quasi cõsenuerit, tum, cùm minimè decuit minimeq; opus fuit, frangatur atq; deficiat?* Ne Dux, *ne mea hera, ne mater charißima id facias: ne ue cõmittas, vt alienißimo filij, qui ætate impar ad regendum imperium est: alienißimo populorum tempore, qui tuis imperijs assueti, tuam prudentiam,*

dentiam, iustitiam, temperantiam, æquabilitatem expetũt, aliorum nolunt experiri: alienißimo etiam tuo, quæ pietate hac viri manibus exhibita, reliquam totius tuæ vitæ erga illum pietatem honestißimo quasi septo concludes, reiecta & præterita dißipabis, cùm te nobis omnibus eripias, tum tibi. Satis mediusfidius satis, aut etiam nimium citò celeriq; per sese gradu mors tum, cùm nobis moriendum est, venit: ne tu illius pedibus alas etiam addas, te vt adeat inuisatq; temporius. Atque hæc quidem, quæ nunc dico, non propterea dico; quòd is, qui me ad te misit, Iulius Pont. Max. *ea mihi tecum agenda tractandaq; mandauerit: ille enim quo est erga te sensu atq; iudicio, nunquam eò inducere animum potuisset, vt cogitaret te fœminam innocentißimam, sanctißimam, prudentißimam, supraq; mulierum consuetudinem rebus aduersis ferendis constantem atque fortem, ita mentis inopem, ita consilij egentem, ita te ipsa excussam & eiectam iacere; mori etiam vt decreuisses. Sed profectò quæ æquum erat sapientißimum hominem de fœmina præstantißima cogitare, ea de te cogitauit; si vir tuus vita exiret, quoniam illum summopere amabas, fore vt ea res magno te dolore, magna molestia afficeret: itaq; iußit suo te nomine vt afflictam, non vt mori cupientem, consolarer, hortarerq; hominem te esse natam meminisses, nihil humani à te alienum putares, nihil accidisse tibi proprium duceres, aut etiam nihil nouum. Viri tui desiderium si non æquo & pacato animo, at forti & constanti sustineres: eos, qui tibi illum dedissent, repetẽdi cùm vellent ius habuisse: tibi cõceßisse tuo viro perfrui multò diutius, quàm vxoribus innumerabilibus concesserint cõcessuriq; sint suo: immoderatè intemperanterq; ferre id, de*

quo etiam referre gratiam debeas, eius esse, qui Deorum immortalium muneribus planè abutatur. An nescires illũ ea lege natum, vt esset, qui omnibus horis posset mori? Nõ singulos modò homines, sed vniuersas etiam nationes interire. Eius qui sanctè, prudenter, temperatè, summa gratia, summis honoribus, summa cum dignitate vixerit, memoriam pietate & beneuolentia esse, non luctu aut ægritudine prosequendam. Ipsum, quo in te animo semper fuit, verißimam quidem esse, molestè ferre, angi, turbariq; te. Itaque lachrymis modum poneres, te conuerteres ad tranquillitatem. Dares hoc illi mortuo, qui abs te id flagitat: dares tuis, quos omnes necesse est multum ex tuo luctu doloris molestiæq; traxisse. Postremò sibi etiam dares, cuius erga te voluntati maximè charitatiq; deberetur. Nullum esse dolorem, qui diuturnitate non molliatur: ei diuturnitati tua te prudentia non præcurrere, quod singulæ sæpe mulierculæ faciunt, neminem æquo animo laturum. Mentem denique ac cogitationem tuam ad regendos populos traduceres: eos se tuæ prudentiæ tuæq; fidei committere. Filium tuum, qui fratris sui filius esset, optimis moribus, optimis artibus institueres: ei populos confirmares: quæ te digna essent, tractares potius, quàm ea, quæ alias mulieres facere, ipsa & ante hoc tempus improbauisses, & paulò post hoc tempus esses deinceps improbatura. Hæc à te vel hortando, vel rogando, vel monendo, vel planè etiam præcipiẽdo impetrarem, vel amori summo erga te suo id concederes, vel ei, quam is à Dijs immortalibus sustinet, maiestati: quam quidem maiestatem tu semper maximè omnium esses verita, eiq; plurimum tribuißes. Quod ad se attineret, cõsideres nulla in re

tibi

tibi defuturum, quam sciret ad te tuamq; dignitatem pertinere: eoq; se tuas res, tuasq; fortunas omnes, teq; ipsam maiori studio ac pietate in fidem & clientelam susceptu-rum, quo te sciret tali tantoq; viro spoliatam, cuius & amore & consilijs nitebare, firmiori adiumento atq; præsidio ad te regendam & sustentandam egere. Hæc atque his similia in hanc ferè sententiam cùm dixissem, sic ab illa discessi vt mihi polliceretur, quoniam ita tu velles, se daturam operam vt viueret, quandiu autem viueret, tandiu se in luctu atq; acerbitate scires futuram. Quæ cùm eius filius familiaresq; resciuissent, eas tibi apud me gratias egerunt, vt dicerent, sese illa si viueret, tibi vni acceptum relaturos; me verò sibi è cœlo missum putarent, qui tam tempore venerim. Hæc cùm puer recitauisset, velletq; pergere ad reliqua, Sigismundus manu ei annuens vt se sustineret: Quódnam autem ex his literis Beroalde, inquit, de Federico meo tuum iudicium est? Libet enim mihi illum meum appellare, qui quidem ex Pontificis mei familia est, quemq; is valde diligit, ego autem vnicè atq; summopere amo: quàm is bellè tibi videtur scribere? eiusq; scriptionis quàm probas genus? visus es enim mihi auidis admodum auribus hanc epistolæ partem quasi bibisse. Ego verò, inquit ille, videri tibi rectè potui is, quem dicis: qui quidem certè mihi etiam visus sum nihil omnino vnquam libentius audiuisse. Sed nolo tibi meum iudicium afferre, nisi prius vniuersæ epistolæ seriē atq; sensum percepero: video enim superesse etiam, quod audiamus. Itaq; ad reliqua, si tibi videtur. Mihi quidem videtur, inquit. Perge igitur puer tu, atq; explica de epistola, quæ sequuntur. Tum ille suum ad munus cùm redijsset, sic est prosequutus. His confectis Vr-

binum noctu nobiliorum humeris delatũ cadauer est multa face, interq; maiorum sepulchra cõpositum fano., quod sibi ipse viuens construxerat. Ea in vrbe postridie mortui Ducis *testamento recitato; eius filius more maiorum vrbem in equo ac veste regia perambulans,* Dux *appellatus salutatusq; est.* Post *eum diem reliquæ vrbes omnes missis legationibus idem fecerunt, ipsumq;* Ducem *consalutauerunt. Iustis etiam patris manibus peragendis dies est dicta, ante diem quintum* Nonas Maias. Per *hosce interea dies vel necessarijs vel amicis* Regulis *atque* Principibus *aut ipsis, aut certè per legatos* Ducem *atque matrem* Ducis, *hanc vt consolarentur, illi etiam vt gratularentur adeuntibus, municipijsq; immunitates cæterasq; eius generis largitiones petentibus est vacatum.* Quanquam *quidem non tam illi mulierem magni nominis adierunt, quàm planè simulachrum vmbramq; mulieris, vel potius effigiem spirantis mortuæ.* Pannis *illa pullis vitisq; obsita, tum operta velo faciem, thalami sui angulo humi periacet: ibi somnum, ibi cibum capit.* Ei *thalamo dies ac noctes vna tantummodo & quidem ægrè facula illucet.* Non *sol admittitur, non aer: ibi inuisitur: ibi eam legationes conueniunt.* Nemo *autem illam adhuc, nisi planè flentem inuenit, non exterorum, nõ suorum. Itaque mirum omnino est tandiu ei oculos suffecisse, aut vnde illa tantum lachrymarum hauserit.* Parentalia *vbi venerunt, quibus quidem celebrandis vt adessent, omnibus ferè ab* Italiæ *principibus missæ legationes conuenerant, atrati propè mille templa nouo cum* Duce *manè adimus.* Bustum *ingens medio in templo mortui* Ducis *manibus erectum, luminibus circum fusum innumerabilibus, quasi ardere ipsa cum æde videbatur.*

tur. Antè id à sacerdotibus supplicatum multis precibus est antiquo ritu sacrorum: laudatio etiam à præceptore eius Odaxio *luculenter dicta: cuius exemplum habebis cum his literis.*Hic tum Sadoletus: *O præclaras literas, inquit, quibus etiam laudatio sit adiuncta. Itaque video nos non ea solummodo quæ ad mortem* Guidi Vbaldi *pertinebant, quod vnum maximè optabamus, sed vitæ etiam ipsius propè historiam præter spem consequuturos.* Non enim *vereor ne* Odaxius, *doctus quidem vir atq; eloquens, cùm discipulum esset in funere laudaturus, quicquam omnino quod egregium sit, sunt autem multa, vt sæpe audiui, prætermiserit. recitari enim nobis, modò id te volente fiat, istam quoque laudationem volumus* Sigismunde, *quam hic dicit: scio autem etiam* Beroaldo *id placere. Mibi verò perplacet, inquit* Philippus. *Nam quanquam* Bembus *multa nobis de illo viro narrare sæpe solitus sit, cupio tamen quæ mandata literis sunt, ea etiam cognoscere, ab* Odaxio *præsertim cùm erudito homine, tum quod ipse maximum puto, vniuersæ eius ipsius, de quo agimus, vitæ quasi socio, doctrinæ quidem certè in studijs etiam magistro.* Quamobrem *iube illam puer tuus laudationem perlegat, si tibi incommodum non est.* Tum Sigismundus: Ille *verò* Beroalde, *inquit: quid enim mihi esse incommodum, quod vobis placeat, potest? Sine autem prius, quod est reliquum* Federici *literarum, quod quidem iam paululum est, id exoluat explicetq;, si videtur, ne non æquo intereà literæ interuallo lectionis interscecentur.* Nam *laudatio lõgiuscula quidem est. Quæ cùm essent dicta,* Philippus *autem puero, vt explicationem literarum conficeret, annuisset, ille reliqua sic est persecutus. Postridie eius diei, vr-*

bium, oppidorum, coloniarum, municipiorum, huius imperij omnium legati ante Ducem loco celebri cùm conuenissent, pulcherrimum sanctißimumq; iusiurandum iurauerunt, cui me adesse tuo nomine, cuius auspicijs ea gerebantur, voluerunt: tui se fratris filio scilicet nouo Duci semper fidem, semper studium præstaturos, semper in officio mansuros: eius se dignitatem, incolumitatem, fortunas omnes, suis fortunis, suo periculo defensuros, eóque illum loco habituros, quo parentem eius habuissent. Quibus ille gratias breuibus humanißimisq; verbis agens, se daturum operam dixit, vt illos sui officij non pœniteret: id se sperare vel sua in ipsos beneuolentia & voluntate, vel moribus, quos de patre déque patruo hauserat, facilè consequuturum, salutis quidem illos suæ, ocij, quietis, pacis, commodorum, ornamentorum curam in ipso ac procurationem certè nunquam desideraturos. Qua oratione mirum est, quantum is in illorum animus irrepserit. Itaque illi Ducis dextram more patrio deosculati, bona cum spe læti hilarésque discesserunt. Quamobrem nihil est, quod te amplius eius rei cura cogitatióue commoueat, ne populi hi atque gentes propinqui tui, neque ex Guido Vbaldo geniti, & planè pueri imperium æquo libentique animo sint laturæ: planè enim iam ferunt, neq; illis quicquam est eo puero charius: quem quidem sic aspiciunt, vt nescio quid maius puero se intueri arbitrentur: sic amant, vt in filio superesse patrem existiment: sic verentur, vt Ducem sibi esse illum meminerint, atq; eum Ducem, cui tu patruus sis, quique cum sua dignitate coniunctam habeat tui imperij tuique nominis amplitudinem & maiestatem. Hæc ferè sunt, quæ ad te scribenda mihi

esse

esse duxit, vt quæ acta hîc essent, ne te latêret. Nos, *quoniam quarum rerum causa me hîc esse voluisti, eas res puto me propêmodum confecisse: cùm afflictæ* Duci *melius esse per ægritudinem sensero, cui quidem consolationis omne genus adhibere non desistimus, ad te reuertemur.* Vale. Pridie Nonas Maias *apud* Metaurenses.

Recitatis à puero literis cum omnes paulisper conticuissent. Habetis propè, inquit Sigismundus, Beroalde ac Sadolete, quod de me quærebatis: hæc enim ferè sunt, quæ de Guidi Vbaldi morte Federici literis ad nos perlata sunt, vt videtis: quas quidem is literas vellem sciret perlectas vobis esse præbente me: gauderet puto, quo est ille sensu beneuolentiæ atque amoris erga suos, in hominum cùm sibi charissimorum, tum certè sui amantissimorum sermonibus multùm horæ se fuisse. Atque vtinam adesset hîc ipse nunc, non tam quidem vt his nostris de se beneuolentissimis sermonibus interesset, quàm vt nos illius dulcissimis suauissimisq; frueremur. Vt enim de me loquar ipse, coniecturam autẽ ex me de vobis facio, nullo cum homine profectò totos dies, quã cum illo libentius conficio. Nam cùm est perhumanus, lenis, comis, blandus, salibus etiam & & lepôre omni ac facetijs scatens, tum à grauitate atque prudentia, & miro quodam vocis ac verborum animiq; multò magis temperamento tranquillitateq; nunquam discedit: semper etiam è doctrinæ studijs aliquid affert, quo delectere. Itaq; cæteris omnibus cum hominibus, etiam si mihi sunt charissimi, tamen est aliquando, cùm esse certè nõ velim: cum Federico autem nunquam tandiu sum, quin esse cupiam diutius: nunquam illius consuetudinis non dicam satietate vlla capior, sed etiam non teneor magna in-

literis styli scriptionisq; suauitates inueniri. Quòd si ille artifex etiam scriptorum qualitates exprimere suo artificio calleret, istamq;,de qua tu me rogas, expreßisset,tum quasi de morum illius imagine sumptam imaginem scriptorum cerneres, vt mihi quidem videtur. Sed ego falli facilè possum,qui vnius tantummodo ex eius scriptis omnibus recitationi epistolæ affuerim. Melius tibi ista Sadoletus,cui cùm acre iudicium in scriptorum generibus omnibus est,tum in Federicea scripta reliqua incidisse certè nõ semel potest.Nam de Bembo puto te audiuiße sæpius, hac de re quid sentiret. Quanquã quid tu de vllo petas, qui ex me nõ vt scires aliquid quod nescias, quid enim Sigismũde te fugit?sed vt videres an ego perspicerẽ id, quod tu perspicis,propterea petijsti? Optas autem, idq; efficere vis, vt quantum ipse Federico tribuis, ab alijs ei omnibus tantũdem tribuatur: quod quidem certè cum Sadoleto atque Bembo effectum iampridem est, Tum Sadoletus:Istud verò,inquit,Beroalde parum esse Sigismundo sanè poterat, multùm Federico nos tribuere, nisi eidem quoq; plurimùm longè ampliores, quàm nos sumus homines,longeq; fortunatiores tribuissent: vult enim hic,vt video,me sic etiam pro se respõdere.Itaq; quoniam Iulius Põtifex Max. de illo viro propè idem sentit, quod nos sentimus, cùm illum sæpe ornat maximis dignitatibus,tum fortunis auget, aucturus in dies magis magisq; est, nisi me meus animus fallit. Atq; vtinam omnes Pontifices Max. Sigismunde in eam cogitationem incumberent, in quam tuus Pontifex semper incubuit, vt quos bonis moribus, quos virtutibus plurimis, quos doctrina præditos & ornatos viderent, opes ad illos, honores, dignitatésque conferrent, illis

muncra legationesq; traderent: illorum prudentiæ maximarum rerum summam demandarent, denique repositam in illis esse vellet omnem Romani nominis amplitudinem, omnem religionis iurisq; Pontificij cerimoniarumq; nostrarum maiestatem: nulla mediusfidius non solùm naufragia in Christiana Republica, sed ne tempestates quidem certè aut planè fluctus vllos pertimeremus: prospero & tranquillo semper cursu, aut omnino tutò nauigaremus. Nunc, quoniam imperitis sæpe hominibus imperij gubernacula committuntur, quid mirum si huc illuc iactati portum capere non possumus? Verùm hæc ipsi viderint, quorum res maximè agitur: quanquam quidem nostra quoque interest, quibus velum & clauum regentibus Petri celox prouehatur: qui profectò si vnquam Federici artificio committetur, non vereor ne ij se homines beatos dicant esse, qui rectore illo vtentur. Sed nos, si tibi videtur, ad laudationem Odaxianam pergamus, quam quidem magnopere aueo audire. Pergamus, inquit ille, arbitratu tuo. Cape igitur puer tu papyrum illam, quæ adiuncta literis est, explicaq;, & perlege. Nos autem, vt videtur, nihil interpellare puerum oportebit, ne mortui Ducis manibus voluptatem, quam ex lectione ista fortasse capient, interpellemus. Itaq; attende Beroalde, num egregiè Odaxius etiam sine pictore illo tuo, animum illius, mores virtutesq; expresserit. Quæ cùm ille dixisset, essetq; à reliquis silentium factum, puer sic est exorsus.

Vtinam Proceres de Guido Vbaldo Vrbini duce nuper vita functo verba facturus, quantũ mihi doloris illius intempestiua mors attulit, tantum ego eloquentiæ in eius funere celebrando afferre possem. Nam quoniam propter

eius

eius viri cũ innumerabiles incredibilesq; virtutes, tum magna erga me merita, nullum propè genus est mœroris atq; molestiæ cum ea, quam ex hoc interitu atq; ex hac iactura capio, conferendum: si mihi parem quoq; in dicendo copiam animi acerbitati habere contigisset, non plus quidem vos facultatem nunc, quàm voluntatem erga illum meam essetis desideraturi. Volo autem vehemẽterq; opto, vt qui in me viuens omnia ornamenta contulit, in eius mortui vita laudibusq; recensendis tantum præstare operæ valeam, vt si minus idonei, saltem pij atq; omnino memores ad referendam gratiam habeamur. Sed cùm ego neq; ingenio, quod mihi quidem minus etiam quàm mediocre est: neque arte aut studio dicendi, quibus in rebus non multum sanè temporis impendi: neq; vsu & exercitatione valeam præter cæteros: dolor autem me vnum præter cæteros conficiat, non expectationi modò vestræ de mea facultate, si modò vestra aliqua est expectatio, propterea quoniam hunc in locum summa certè facultas afferri debuerat, sed huic ipsi etiam meæ erga illum voluntati parum me facturum satis vereor interdum Proceres *& pertimesco.* Impedior *enim singultu, neq; vocem & verba proferre ipsæ me lachrymæ sinunt, cùm ærumnas meas solitudinemq; considero. Amisi enim in eo viro non solùm parentẽ, ut* Metaurenses*: aut herum, vt familiares: aut imperatorem, vt milites: aut patronum, vt omnes boni: aut beneuolum atq; amicum, vt multi amiserunt: sed cum his omnib. eum etiam amisi, quẽ ego propè meo in gremio educaui, bonarũ artiũ studijs imbui: ille autem me non iam tanquam educatorẽ alumnus, aut tanquam magistrum discipulus, sed quasi filius patrem amauit, fouit, opibus auxit, dignitatibus hone-*

ſtauit, quiq; cùm fuerit ineuntis ætatis meæ ſpes, confirmatæ ornamentum & columen, huius planè iam deuexæ certè requies atq; ſolatium fuit. Ad hæc Accedit *publici mali quaſi facies quædam & forma plena mœſtitiæ, plena acerbitatis, ciuium fletus, municipiorum dolor, legationum cũ ſubiectorum populorum, tum* Italicarum *ac propè vndique miſſarum deſiderij ac mœroris magna incredibiliſq; atteſtatio atque conqueſtus: militum præterea languor et deſtitutio, neceſſariorũ querimoniæ, tuuſq;* Franciſce Maria *fili luctus & ægritudo, coniugis etiam miſeræ deſolatio, cuius mihi videor ſqualorem, gemitus, ſingultus, voces lachrymas, in auribus & ante oculos habere: tum omnium ætatum, omnium ordinum atræ ac ſordidatæ veſtes, forum mutum & obſcurum, caſtra orbata, cœlo quaſi vndiq; tacta domus ædeſq; regiæ, mœrens atq; proſtrata vrbs, templi deniq; huius aræ atq; parietes, quos quidem ille inuiſere frequenter ſolebat, eius nunc intra ſe buſtum cadaueris imaginemq; contuentes, cuius antea regiæ ac decoræ frontis maieſtate atq; manſuetudine, oculorumq; propè cœleſtium ſplendore exhilarabantur, lugere mihi quidem videntur vicem ſuam, ægreq; ferre, quòd non vnà conſtrati æquatiq; ſolo conciderint.* Ita *neq; mecum ipſe quicquam niſi acerbum cogitans, & extra nihil aſpiciens, niſi miſerum, niſi luctuoſum, à dolore mentem, à fletu oculos abducere quî poſſim non reperio: nedum ſatis mihi comparatã eſſe videã* Proceres *de illo viro nunc quidem apud vos dicendi tractandiq; facultatem.* Nam *vbi animus mœret, oculi lugẽt, omnis ſenſus in moleſtia ægritudineq; verſatur, ratione ac memoria perſequi rem magnam aliquam atq; arduam nemo ſanè multùm poteſt.* Ar*duum aũt & perdifficile*

cile est eius hominis laudes oratione complecti, qui omni genere laudis maximè floruit: & cuius vnius virtutibus pares omnium hominum virtutes nostra secula nō habuerunt, ijs referendis omnibus idoneum vnum hominem existere: eundem autē maximis plurimisq́; caussis doloris perturbatum impeditumq́; posse dicere, vix est vllo modo credendum. Itaque timeo Proceres, *ne id me muneris suscepisse in hoc tempore audacia vobis potius, quàm obsequium, temeritas quàm pietas appellanda esse censendaq́; videatur. Sed quid agerem? quò me verterem? aut quam afferrem excusationem ijs, qui me vt hanc prouinciam susciperem, cùm iubere iure suo possent, multis precibus rogauerunt?* Ingenij *ne mei, cæterarumq́; eius generis rerum mediocritate me tegerē? At eiusdē ingenij fontibus irrigatum alumni mei ingenium, aiebant incredibilem cùm doctrinam, tum certè eloquentiam hausisse.* Dolore *me meo impediri dicerem. At neminem esse affirmabant, qui non itidem angeretur: neminem, qui dolore non impediretur suo. Commoueri perturbarique me aliorum lachrymis, atque hac ipsa rerum omnium offensione contenderem. At quærebant, quis posset hæc eadem aspicere sine animi sui perturbatione atque molestia? Itaque nihil adducere poteram, quod non ab ijs statim refelleretur, in meq́; redundaret.* Nam *illud etiam addebant, eius hominis vitæ explicationē nulli iustius demādari, quā ei, quo partim autore, partim socio, spectatore quidem certè omnis ea peracta vita esset, qua de esset recensendum.* Quòd *cùm mihi præter cæteros contigisset, non committerem, vt qui illum vita fruentem omni studio, omnibus officijs semper essem prosequutus, mortuo si deessem, id omne quod antea*

egißem, fortunæ illius viderer & felicitati, non meritis aut beneuolentiæ tribuiſſe. Quamobrem ſuſcepi munus Proceres magnum profectò atque arduum, more maiorum hodierno die omnium qui multis antehac ſeculis fuerunt longè maximum atq; clarißimum virum laudandi: idq; non obeundi fiducia ſed pudore recuſandi ſuſcepi, neque tam perueniendi quò vocabar ſpe, quàm progrediendi quantum poſſem voluntate. Malo autem cùm eorum ſtudijs qui hoc à me contenderunt obtemperauero, ſuo ipſi de me iudicio detrahant, quàm ſi id non fecero, meæ erga ſe vel beneuolentiæ vel pietati. Itaq; rē aggrediar magni nominis, magni exempli, gloriæ, nouitatis, admirationisq; plenißimam. In quo ea me res conſolatur, quòd cùm multa propè incredibilia ſim dicturus, vobis tamē eſſe dubium minimè poterit me verißima dicere, propterea quòd ea dicam, quæ ipſi cognouiſtis, vidiſtis, quibus interfuiſtis, quarumq; ſanè rerum quo maiora quæque ſunt, eo ſe nobis atque omnibus hominibus notiora Proceres exploratioraq; præbuerunt. Itaque nihil commemorabo, quod non idem multorum & viuentium & præſentium memoria teſte commendetur. Atque vobis quidem eße gratißimum debebit, quæ ſparſa, quæq; diuerſis temporibus de homine præſtantißimo deq; veſtro Duce vel vidiſtis ipſi, vel audiſtis, ea collecta vno tempore cognoſcere: quibus è rebus etiam quilibet abundè capere omnium exempla virtutum poßit, vel ad aliorum comparationem atque memoriam, vel ad vſum ſui. Sed priuſquam dicere incipio, te mi alumne ſemper quidem mihi charißime, nunc autem etiam beatißime, te in quam rogo quacunque de cœli regione nos intuēs tibi ſacra fieri, tibi iuſta celebrari

ri vides, mihi nunc persanctè adsis tantisper, dum de te apud hosce ago: magnamq́; tuam illam eloquentiæ vim, quam tamen cùm nobiscum esses, parcè ac religiose exercebas, mihi aspires, vt id ego bene dicendo tuo munere consequar, quod es ipse bene agendo benéque sentiendo Deorum immortalium beneficio consequutus. *Quod quo facilius fieri poßit, si modò fieri vlla ratione potest, ad ea quæ breuiter sum dicturus, quæso* Proc. *diligenter attendite.* *Est in* Appennini *iugo his vicinus locis mons præcelsus, quo in summo propè æquata agri planities fertile sanè solum & aquas perennes habet, acrisq́; miram & iucundam salubritatem.* Totus *autem vndique ita circumcisus atque directus est, vt adiri vno aut altero ex loco singulis ab hominibus poßit, aliunde pluribúsue non poßit.* Itaque *parua manu si defendatur, omnes omnium imperatorum exercitus, tormenta, artes, eum montem expugnare omnibus annis non queant.* Huic *monti* Feretrius *nomen est, credo vti* Ioui *quondam nomen* Feretrio *fuit, quoniam pacem hominibus afferebat: ita hunc mõtem primò fuisse appellatũ propterea, quòd imperatores electißimos tulit, à quibus postea pax atque pacis ornamenta maxima hisce vrbib. regionibusq́; contigerunt.* Nã *illa hinc familia oriunda est* Feretria *peruetus, ex qua innumeri* Principes *extiterunt, qui cùm omni laude maximè celebres, tum bello clarißimi, vniuersam* Italiam *rerũ à se gestarum gloria monumentisq́; referserunt.* Horum *omnes annales, omnes historiæ nomina continent, facinora, virtutes, gesta bello ac pace imperia, partas manu victorias atq́; triũphos memoriæ posteritatis tradũt, vt qui velit, facilè poßit inspicere quot quantisq́; imperatoribus*

filium genuisse multò se præstantiorem, maximè optandum: viuit enim in filio pater: itaq; maiorem se in illo cùm intuetur, gaudet: filijq; nomē atq; gloriam suam ipsius atque propriam ducit. Sed magna me hæsitatio Proceres tenet: valde enim mihi difficilis atq; lubrica dicendi ratio proponitur. Nam si meritis Federicum Ducem laudibus huius de quo dixi filium, eius autem de quo dicturus sum patrem, prosequi ornareq; voluero propterea, ne vos qualem is parētem habuerit nesciatis, nihil hodie aliud agam, nihil planè cogitem, necesse est: illud etiam mehercule, ne me dies prius quàm rerum sylua seriesq; dicendarum deserat, est verendum. Sin tacuero, Guidum Vbaldum à nobis magno veroq; genere laudis iri defraudatum video. Quid enim omnino laudabilius, quàm patrem habuisse amplißimum virum, omniumq; hominum memoria celebrationeq; clarißimum? Nam quemadmodum in equis dignitatem soboli afferunt parentum animi, aut firma latera, aut pernicitas, aut pulchritudo: in arboribus autem eæ plerunq; laudantur, quæ optimis ex seminibus coaluerūt: ita etiam in hominibus, claris esse parentibus genitū semper pulcherrimum atq; honestißimum fuit. Quamobrem si filium quibus ex rebus par est, laudabo, de patre hodie, non de filio dixero. Sin verò patre præterito hodie de filio dicam tamen, profectò eum quem maximè laudandū susceрi, multò sanè minus quā possum quamq; debeo, collaudauero. Ita vel huic meæ laudationi id, quod est potißimum atq; maximum, detrahendum est, vel ipsa in alium diem reijcienda. In altero ne minus quàm oportet, vel diligens vel fortasse gratus, in altero ne etiam imtempestiuus moro susq; videar, effugere cauereq; non possum. Veruntamen

rum, factorum hic quasi campus patet, minus moleste fero me temporis angustia reiectum atq; repulsum ijs de rebus non posse dicere, quas vel omnes, vel magna ex parte vos quidem Proceres *memoria cogitationeq; retinetis.* Tali *itaque patre genitus noster* Dux, *qualem vos aut vidistis, aut certè cognouistis, mihi quidem explicare ocium non est, orbis autem ipse terrarum pro me & loquitur de illo nunc, & semper loquetur.* Matrem *habuit* Baptistam Sfortiam Alexandri Sfortiæ *maximi clarißimiq; viri filiam, ac* Francisci Sfortiæ *illius fratris, in quo illa ætas habuit, quem conferre cum omnibus omnium ætatum eximijs imperatoribus propemodum auderet.* Ipsa *verò* Baptista *eo ingenio, ijs moribus, ijs etiam bonis artibus, ea vitæ continentia atque prudentia fuit, vt nō plus illi pater aut familia, qua nulla quidem* Italicarum *aut maior aut splendidior est habita, quàm certè illa vtrisque ornamenti atque gloriæ addiderit.* Atque *vereor, ne qui interdum existimaturi sint, si quæ de illa possum, omnia dixero, ea me inuenire atque fingere: ita de fœminis non sæpe dicuntur, perrarò etiam creduntur de viris.* Tum *immorari diutius nolo in eius fœminæ virtutibus quasi præteriens repetendis, quam pro dignitate laudare vix propria atq; longa oratione quenquam posse satis commodè existimo.* Itaq; *vt breuißimè* Proceres *dicam, quemadmodum omnes eæ virtutes, quæ quidem inueniri tum omnibus in hominibus potuissent, in eius viro collectæ collocatæq; cōspiciebantur, sic mehercule quicquid ea tempestate bonarum artium, optimorum elegantißimorumq; studiorū atq; morum cunctis in mulieribus fuit, id sanè omne in hanc vnam natura quasi conflauerat atq; profuderat.* Quamobrem *si*

quis Deus Guido Vbaldo, dum viueret, omnes homines ante oculosq; posuisset, eiq; pollicitus fuisset, quos sibi is omni ex illo numero delegisset, eos illi parētes futuros: quem alium patrem potius quàm Federicum Feretrium, aut quam potius matrem aliam quàm Baptistam Sfortiam sibi sumeret, is mediusfidius non habuisset: sed qui sibi lege naturæ contigerunt, eos etiam optione proposita retinuisset. Sed iam ad ipsum, de quo agimus, veniamus. De quo quidem Proceres etiam si nihil aliud audiretis, existimare tamen deberetis, mirum atque diuinum hominem ipsum fuisse, ad quem quidem procreandum longè præstantißimus omnium virorum vir, longè lectißima omnium fœminarum fœmina, quasi Deorum immortalium voluntate conuenissent, eiq; parentes extitissent. Non enim temerè neq; fortuitò tam præclaram, tam insolitam, tam nūquam antea propè auditam viri vxorisq; societatē initam coalitamq; est credendum. Adeste tamen Proceres, atq; animum & mentem adhibete, vt videatis hæc parentum tam admirabilis præparatio quò tetenderit. Cū de Baptista vxore Federicus Dux octo filias, marem nullum suscepisset, seq; iam virilem stirpem tantis opibus quæ succederet, relicturum ingrauescens annis homo desperauisset, mulier anxia, quod sæpe antea fecerat, ad preces conuertitur: vota præterea Dijs immortalibus facit lachrymans, filium marem si dent, se libenter vita cessuram, modò vir sui similē ex sese aspicere semel poßit, populisq; relinquere, ne bono cum regno stirps tā egregia intereat. Hæc vbi est precata, somnus eam occupat. Tum per quietem in altißimæ arboris culmine ipsa sibi videtur auē Phœnicem párere miræ pulchritudinis, quæ sex atq; triginta totos dies

ci arbori

ei arbori cum incubuisset, cœlũ volatu peteret, tactoq́; solis globo alis flamma combureretur, neq; amplius apparet. Hæc illa viro cùm enunciauisset, fit prægnans: parit tempore puerum pulcherrimi suauißimiq́; oris: ipsa paucis pòst mensibus moritur: puero Guidi Vbaldi nomen impositum, gentile scilicet atque auitum est. Eo nato nihil patre Federico lætius nihil hilarius fuit. Itaq; enutriri puerum summa diligentia iubet, omnem tamen educatorum diligentiã mira infantis natura ingeniolíque vis anteuerterũt. Nam linguã quidem flectere, proferre voculas, verbis verba nectere antea didicit, quã ab alijs propè dixerim, sumi cibus aut potus ediscatur. Prima verò literarum rudimẽta ea ætatula hausit, qua vix cæteri solent loqui. Neque porrò totidem annorum non ab illo puer omnibus in rebus præteritus est, nemo non longißimè relictus. Itaq; puerilibus illis in studijs iam non pueriliter sese gerere: speiq́; multò plus alere, quã illa ætas daret, videbatur. Indole autẽ atq; facie ea fuit, vt iurares illos Veneris pueros Amores, quos Poetæ aiũt matri præstò esse atq; adludere, aliã oris formam, genarum, oculorum, nõ habere. Hæc cũ ita se haberent, ego Patauio vocor: à patre mihi puer bonis moribus, bonis artibus erudiendus informandusq́; traditur: mihi eius cura omnís alendi instituẽdiq́; mandatur. Quæ sanè res me quidem primò vehementer commouit. Intelligebam enim pueros regios qui institueret, ei qua si Hydram Herculeam domandam susciperet, sic esse elaborandum: ita hercle vel propterea, quoniã inter omnes rerum delicias alerentur, vel quia non omnino, vti cæteri, tutò libereq́; increparentur, interdum etiam propter assentatorũ turbas, quibus abundarent, emergerent ex illis vn-

diq; vitia insurgerentq; multò sæpius, quàm uirtutes, quæ non tam quidem resecarentur facilè, quàm etiã multiplici ter pullularent. Verùm docere cùm incipio, *nihil eorum quæ in alijs esse pueris assolent, video in nostro, non deliciarum vllas illecebras, non pronos ad licentiam mores, nõ adiutam impunitate audaciam, non deniq; arrogantis fortunæ vllum in pueri animo impressum vestigium inspicio, non etiam molestiam satietatemq; discendi, aut commorandi cum se natu maioribus tædium: nihil sanè horum* Proceres *in illo fuit, grata potius expetẽdaq; omnia. Tum me colere, mihi credere, ad me respicere, me imitari, nunquam se à studijs literarũ abducere, nisi iußus, nisi alio rũ studiorũ gratia, uel equitandi, vel armis ludendi: æquales non despicere: malle autẽ eorum consuetudinẽ, à quib. discere aliquid semper posset: nulliusq; rei æquè magnam curã habere, quàm ne quis dies elaberetur, quo se die nihil addidicisse, nihilo præstantiorẽ factũ posset recordari. Sed voluntatis hæc: illa verò ingenij mira quidem cùm alacritas, tum celeritas in percipiendo, in retinẽdo nullus labor: labor autẽ? imò admirabilis quædam incredibilisq; naturæ vis atq; præstantia.* Itaq; *illud verè possum dicere* Proceres, *nullã ei præceptionem meam difficilem ad percipiendum visam, ne longã quidem vnquam ad ediscendum, breuiorem autem quàm vellet, quamq; ipse posse assequi se cõfideret, sæpißimè: qua de re etiam mecũ conquerebatur.* Itaq; *difficilius mihi veniebat in mentẽ, quid ego illũ docerẽ, quã quid ille disceret, statuere: sæpiusq; quantũ deceret ei me ad discẽdũ proponere, quã ipse quantũ aggredi aut vellet aut posset, quærebam.* Quamobrẽ *multa ei nos dum proponimus, ille omnia consequitur, eò res venit, vt is non*

plurium

plurium propè mensium spatio, quàm alij annorum, ita Latinas literas puer calleret, vt patrias cæteri linguas atq; suas: ita Græcas, vt nostrorum hominum doctißimi iuuenes Latinas planè atq; Romanas solent. Neq; sanè ille Græcorum tantum literas perceperat, vsuramq; ipsam legendi atq; intelligendi: sed ipsas etiam vocum inflexiones, intensiones, remißiones, posituras multùm à nostris alienas atq; varias, teneritatem deniq; illam Atticam, & linguæ illorum quoddam quasi lenocinium didicerat, hauserat, expresserat, æquè atq; ipsi vtebatur. Itaq; illi ego non magister iam studiorum, sed adiutor: non doctor, sed socius, non interpres, sed testis aderam, vel vt verius dicam, admirator. Quæ perspiciens mecumq; reputans, timui fateor sæpißimè Proc. id quod dicitur, præcocia ingenia celeriter emori: ne præsaga pueri mens atq; præscia diu se nobiscum nõ futurũ, illos tanquã flores effunderet, quos, si sibi esset viuendum, reseruare in aliud tempus debuisset. Itaq; angebar animo, atq; is mihi ne eriperetur, singulis horis tacitus pertimescebam: maluissemq; illũ minus ingenij aliquanto ad ea studia, minus etiã afferre alacritatis, vt plus vitæ alere polliceriq;, quàm quod ipse arbitrabar, videretur. Quod quidẽ ijs quoq; accidere solebat, quibus ille magistris, ad rei militaris capessendas rationes vtebatur. Nã equitare, hastam, galeam, scutum, loricam gestare, vibrare ensem, modò peditẽ, modò equitẽ agere, modò Italos, modò Parthos imitari, ita breui tempore didicerat, vt illi ipsi, quibus se is ad discendum tradiderat, cùm quidem nihil aliud in vita egissent, tamen dicerent non habere iã se, quod eum vlterius docerẽt. Neq; ille hæc tantummodo leuia, bene vt armis, optimè vt equis vteretur, sed etiã grauioris sa

pe pugnæ speciem cum æqualibus sibi pueris, cumq; suis militibus exercuit: nam & cataphracto equiti concurrebat, & magnis itineribus aliquò in armis, quasi bellum gereret, contendebat. In tentorijs autem, vel etiam sub dio pernoctare, vim frigorum atq; hyemis perpeti, castris locum capere, eadem vallo cingere, è quibus modò hostes propulsaret, modò quæ ipse adoriretur, exercitũ instruere, singula deniq; imperatoris officia obire ipse quoquo modo poterat, puer quidem atq; tener voluit, quasi turpe esset imperatoris filium, quacunque ætate esset, non esse imperatorem. Itaque Proceres *duas illas maximas præstantißimasq; artes, rei militaris atque literarum, noster* Dux, *quàm in ipsis propè cunis, quasi binas nutrices adamarit, complexus sit, tenuerit, iam videtis.* Ego *enim sic existimo, cùm dignitatem, tum vtilitatem, quantæ esse maximæ nullis alijs ex rebus possunt, duabus his artibus disciplinisq; contineri: nam in altera pacis & quietis fundamenta insunt omnia, in altera ornamenta: illa vt regno, vt patria, vt laribus, vt liberis, vt amicis, vt denique rebus cæteris omnibus, quibus oblectamur & iuuamur nobis perfrui liceat, perficitur: hac, vt ijs bene & cum dignitate perfruamur, comparatur.* Nam *armis quidem vim repellere, vlcisci iniurias, inimicos profligare, socios amicosq; defendere, tueri fines, propagare imperiũ sanè possumus: quibus ex rebus quàm magnæ sæpe vtilitates, quan ta gloriæ monumenta pariantur, quis est qui non sentiat?* Li*terarum autem præsidio leges cõdimus, iura conscribimus morum præcepta tradimus, oratorem componimus, qui ciuium animos impellat quò lubet, reuocet vnde vult: humanarum diuinarumq; rerum scientiam acquirimus: quæ homines*

mines multis ante nos seculis nati senserint, gesserint, quomodo vixerint, scimus: nostras verò aut nostrorū res præclarè gestas obliuioni eripimus, posteris cognoscendas celebrandasq; mandamus: quibus quidem officiorum generibus quid profectò vel prodesse magis hominum vitæ, vel plus afferre splendoris potest? Hæc ille igitur non tam quidem meis aut aliorum monitis, quàm per se, vel potius diuinitus sentiens, ita hisce artibus sese puerum tradidit, quemadmodum audiuistis: ita verò adolescentem atq; iuuenem, vt mox audietis: dicerem virum, nam eam ætatem etiã attigit: sed eius aut nullos fructus, aut omnino tenues modicosq; percepit, fatorum credo iniuria, si fas dicere, ne fœcundam nos atq; propriam eam nostram felicitatem haberemus. De re igitur militari prius: cuius illud mihi in primis occurrit mirum, quod tamen ei planè puero cõtigit. Nam cùm decem esset annos natus eo tempore, quo est pater eius Federicus Dux mortuus, eam de se iam tum spem excitauerat, ita hominum animos sui expectatione impleuerat, vt ij quorum erat tum pater maximorum exercituum imperator Neapolitanorum Rex, Mediolanensium Dux, Florentinorumq; Respub. eosdem illos tam amplos exercitus, tam magna imperia, tam innumeras copias ei puero tuendas regendasq; transmitterent, rerum suarum summam ei virtuti, quam inspicere ipsam nondum poterant, odorem nascentis & quandam quasi fragrantiam se percepisse opinabantur, fidei, constantiæq; committerent. Itaq; ille imperator antea quàm miles, veteranus quàm tyrunculus, vir propémodum quàm adolescens fuit. Nam qua ætate alij plerunq; regum pueri nucibus ludere vel plostellis solent, noster pilum aut iacu-

lum proijciebat: qua fabellas illi de nutricibus audiũt, hic de castris tubarum sonitum, armorum strepitum, equorũ hominumq; concursum hauriebat: qua illi altores obseruant suos, huius os atq; frontem cohortes legionesq; respiciebant, iussis nutuiq; præstolabãtur. Quamobrem ijs initijs sic adoleuit, vt nullã profectò militaris disciplinæ partem non diligenter obierit, nulla in bellica ratione atq; munere non diu ac multum exercitatus occalluerit magna cũ laude atq; gloria. Itaq; adolescẽs Innocẽtio Octauo Pont. Max. primò quidem contra Ferdinandi Neapolitanorum regis audaciam incredibili adiumento atq; præsidio fuit: postea verò innumeras Piceni vrbes excitatis factionum atque adiutis ducibus nouas res molientes coercuit, magno bello, magnis seditionibus implicitas pacauit, desciscentes alióque versas restituit. Innocentio deinde mortuo Florentinorum exercitibus vixdum iuuenis cùm præesset, opulentissimam bellicosissimamq; vrbem Pisas, & cum rebus omnibus ad repellendos hostium impetus, tum animo atq; irarum seminibus instructissimam, obsidione ita pressit, vt Deorum voluntate potius, quàm vllo ipsorum consilio aut virtute, imminenti erepta exitio calamitateq; videretur. Marrucinorum idem mox plura oppida, Marsorum, Prætutinorum, Vestinorum, à fide regia quæ defecerant, recuperauit, regibusq; reddidit, cùm illum ipsi atq; Alexander Pontifex Max. quo cum ij fœdus percussferant, suis ductandis copijs præfecissent. Nam quæ cũ Venetis deinceps gessit, quantum pro illa Repub. periculi adijt, quantum laboris, nec explicari vna oratione potest, nec vno die. Quibus quidem in bellis omnibus & imperatorem ita gessit, vt sibi nec in eligẽdo consilium, nec in imperando

perando prudentia, nec in obeundo alacritas, nec in exercendo labor, nec in cõficiendo industria contentioq; deesset. Magno in angustis rebus animo, incredibili temperantia in secundis, summa in vtrisq; constantia liberalitateq; vtebatur. Et verò militem, cùm opus esset, sic præstitit, sic omnino expers timoris fuit, vt in eo certè bello, quod cum Alexandro Pont. Max. contra alteram Romanorum factionem gessit, ijs qui cum illo essent, aliquando cedentibus, solus cum centenis hostibus dimicauerit potius, quã committeret, vt se quispiam terga vnquam vertentem videret. In Flaminiæ autem finibus Ferdinando minori, qui rex postea Neapolitanorum fuit, contra Caroli Gallorum regis castra cùm adesset, & tormentorum, quibus quidem exercendis ea plurimum natio valet, pilæ ferreæ ex vallo hostium creberrimæ infensissimæq; torquerentur, reliqui se præfecti militesq; cùm retraxissent, ij verò qui circum ipsum erant stipatores eius corporis passim caderent, hostes autem vrgerent, neq; esset dubium, ipse etiam si cessisset, vniuersum suorum exercitum terga daturum, omniaq; iri perditum vnius ipsius conuersione viderẽtur, ipse de loco se nunquam mouit. Itaq; vel occisis reliquis, vel cedentibus, solus magno animo restitit, solus inter multa hominum millia repertus sanè est, cui mori esset, quàm timere facilius. Prætereo hoc loco prudens sciensq; Proceres multa: nec enim vel expeditiones eius singulas, vel bellorum omnia genera recenseo, nedum eius præclarè res gestas egregiaq; facinora cũcta cõmemorem, quæ cũ innumera quidem sunt, tum sunt omnia intra primũ iuuentutis limen sanè confecta. Quo tẽpore quemadmodum de Achille ait Homerus, quem omnium Græcorum pulcherrimum

atq; formosissimum dixit esse, cùm sic etiam Duce *nostro nemo ferè* Italorum *pulchrior, nemo speciosior haberetur, omnes eæ actiones, omnia munera quæ obibat, dulci frontis ac decoro aspectu & formæ tanquam luminibus illustrabantur, reddebanturq; conspectiora.* Itaq; *cùm erãt illa ipsa per sese magna atq; grata quæ tractaret, tũ quia ijs candor atque hilaritas oculorũ, vultusq; forma ac species totiusq; corporis mira quædam dignitas maiestasq; accedebat: dij boni quàm ille mihi vnus ex vestro cœtu potius, quàm ex nostrorum turba regum quispiam atq; principum sæpe est visus: sæpe dignus qui à vobis cùm totius orbis terræ imperio, tum certè immortalitate donaretur.* Itaque *illi ipsi quos contra ferebatur, quibusq; succẽsebat, irasci tamen ei minimè poterant, minimè in illum duri quicquam infensiúe cogitare, non mehercule magis quàm in ipsos* Deos, *à quibus quidem tametsi acerbi aliquid accidisse interdum nobis existimamus, nemo tamen ita efferatus est atque impius, vt irasci vel vlcisci se de illis velle in animum inducat suum, saltem cùm cœlum sideraq; suspicimus.* Eodem *propè modo simulatq; nostri* Ducis *faciem quis oculosq; respiciebat, nihil in illum queri poterat, omnes ei ex animo vno intuitu iræ atque offensæ excidebant.* Quòd *si contingebat ijs quibus ille se iratum ostendebat, quibus minabatur, quo in illum tandem animo eos fuisse credimus, quos amabat, quos honorificè appellabat, quos laudabat, quibus agebat gratias, quibus se debere fatebatur?* Itaq; *vt paucis explicem atque amplectar quod sentio: cùm scientiam rei militaris, tum virtutem, tũ autoritatem, quantæ quidem in viro esse, vel in sene etiam vix solent: demum si nouo mihi verbo ferè vti apud vos licet,*

cet, etiam amabilitatem, nam ea quoq; res plurimum valet, iuuenis vel potius adolescens noster Dux habuit, felicitatem non habuit, eo præsertim tempore, quo esse illi maximo vsui potuit, maximeq; ea opus fuit. Sed libet mihi vobiscum nostram sortem Proceres lamentari: libet de humanis conditionibus, deq; naturæ legibus conqueri, duris illis quidem sæpe vt sunt ad ferendum: vt videntur, etiam iniustissimis. Nam illa ipsa nostri Ducis tam grata, tam liberalis, tam excellens, tam eximia pulchritudo, illa ad bellica munera obeunda indefessa nauitas atq; vis, quæ virtutibus reliquis suffragatur, estq; earum adiutrix omnium et tanquam administra, non multum sanè diu vnà cum illo fuerunt, non diu illi fœdere inito seruatoq; adstiterunt, vt se ostendere tantummodo voluisse viderentur, permanere noluisse, quo magis postea nos illo etiam viuo earum desiderio conficeremur. Laborare enim pedum doloribus vno ille atq; vigesimo ætatis anno sanè cœpit: qui quidem morbus cùm ætate atq; tempore vires & tanquam animos assumpsisset, ita demum inualuit, vt in illo neq; oris et vultus species proceritasq; membrorum, neque strenuitas illa corporis pristina multum agnosceretur, cruciatu & macie maiestas illa eximia formæ, agilitas, viresq; mēbrorum captæ atq; confectæ tabescerēt: ipse, cùm bene sibi esset, gestaretur, cæterum in lecto iaceret. O inanes cogitationes nostras & spes: ô studia curasq; hominū tenues atq; miseras: ô fallacia bona, citoq; pereuntia, & laborum nostrorum flores antè, quàm fructus pariant, exarescentes et caducos. Quid illo homine ad omnes bellorū rationes maius, quid vnquam præclarius, quid admirabilius extitisset, si aduersa illi valetudo maximas eas excellentesq; dotes &

Deorum immortalium dona egregia nō inuidiſſet? ſi is ad ſenectutem vſque integer, quod innumeris imperatoribus contigit, perueniſſet? Qui adoleſcēs, qui puer tot imperia geſſerit, tot bella cōfecerit, vt multorum imperatorum omnes ætates æquauerit, ſuperauerit, qualem illum tandem virum, qualem ſenē præſtaturum ſe fuiſſe credi par eſt, eos annos ſi illæſus confeciſſet? ſi ad admirandum illud atq; diuinum ingenium, animi magnitudinem, fortitudinem, multarum quoq; rerum inoffenſa experiētia multos annos vberes ſolidosq; conquiſita, conſiliorumq; maturitas cana atq; grauis acceſſiſſet? Sed mihi quidem cogitāti, ita eſſe in humanis rebus à natura comparatum videri ſolet, vt quæ mediocria ſunt, ea ad excellentē ſtatum atq; formā ſæpe ſine offenſione perueniant: quæ verò iam excellentia ſunt ipſa per ſe atq; eximia, ijs vlterius progredi vt abſolutiſſima ſint, minimè omniū liceat. Quamobrē egregiæ res, magnæ, præclaræ viſuntur quidem permultæ multis in locis atq; vrbibus: perfectæ verò ex omni parte atq; ſummæ, & quibus nihil addi poſſe videatur, propè nullæ. Itaq; aiunt Scipionis illius Aphricani maioris filium, cū quidē ad patris militarem diſciplinam, animiq; magnitudinem doctrinæ etiam ſtudia literarumq; multarum vberiorem elegantiam adiunxiſſet, eſſetq; ſpes illum patre præſtantiorem amplioremq; futurum, corporis imbecillitate adoleſcentem admodum impeditum rem militarem poſtea exercere non potuiſſe. Qui quidem in eo longè minor noſtro profectò Duce fuit, quòd is manum fortunæ inijciens, qua ſe in re nauanda corporis imbecillitas impediebat, ſolertia eam induſtriaq; conſequebatur. Bellis enim intererat vel laborans. Itaq; ſedere in equo cùm non poterat, ſella vel

lectica

lectica vtebatur. Nunquam illi morbus mentem, nunquam rerum gestarum memoriam, quæ supra omnes homines mira atque tenacißima est vsus, nunquam rei militaris scientiam, nunquam autoritatem ita abstulit, quin etiam captus pedibus maximis cum imperijs semper esset. Itaque Iulius Secundus Pontifex Max. homo cùm omnium rerum scientia, tum cognoscendis perpendendisq; hominib. planè mirus, cùm primum rerum imperio est potitus, suis eũ copijs exercitibusq; præfecit, omnib. eo in bellis vel ipso, vel per vicarium est vsus, quoad is illum atque nos morientes tristes mœrentesq; reliquit. Sed quoniam de re militari diximus, de doctrinæ eius studijs rationibusq; deinceps dicemus. Qua in re propterea quòd nos adiutores illi fuimus, vereor Proceres ne aliquibus ea quæ dicentur, maiora interdum à nobis multò longéque præstabiliora, re quàm sint, verbis fieri orationéque videantur: ita sum magna incredibiliáq; propè dicturus. Verùm ego illos ipsos alumni mei manes optimos atque sanctißimos testor, quos quidem hìc adesse atque attendere quæ dicuntur existimo, nihil me ficturum esse, nihil veris additurum, nihil verborum fuco compturũ, sed frontem vobis ipsam rerum nudam incomptamq; ostensurum. Duæ sunt igitur, vt mihi quidẽ videri solet, in studijs literarum, disciplinæ Regibus Imperatoribusq; præter alias expetendæ. Oratoria siue ars siue facultas, historiarũq; cognitio. Nam et eloquentia cũ in populo, tũ in castris, maximas olim sæpe res difficillimasq; cõfecit, & in posterum cõficiet, & rerum ab alijs gestarum exemplis abundare, quibus in tuis rebus vti poßis, & bello et pace profuit certè poderitq; semper plurimum. Harum vtranq; disciplinarũ noster Dux miro stu-

dio ab ineũte ætate est complexus, earumq́; legendis cùm Latinis, tũ Græcis autorib. sese dedit magna inexpletaq́; diligentia. Annis autem accedẽtib. ita in vtrisq; profecit, ita se penitus in eorum penetralia immisit, vt quo vlterius posset progredi, iam propè nihil haberet. Nam eloquentiam est adeptus, non illam quidem qua in foro vtimur, acrem, acerbam, iracundam, contentionis, ardoris, inimicitiarum, laterum laborum plenam, sed illam pacatam, sedatam, grauem, hilarem etiam interdum, et cùm dulcem, tum respersam salibus, verecundam tamen sæpius & venustã, simplicem semper, non minio, non cincinnis comptam, mundã verò, & ipsa quasi negligentia gratiorem, quamq́; verè regiam atque imperatoriam possis dicere. Itaque sibi cùm laudãdus esset quis vel bonus ciuis vel strenuus miles, vel alius aliquis quoquo modo, ita eum laudabat, vt cùm ipse multa cùm gratiæ tum beneuolentiæ causa diceret, orationi tamẽ neq; fides neq; grauitas vnquam deesset: tantumq́; cæteri laudato tribuendum esse ducerent, quantum ei laudator ipse tribuisset: ille autem qui laudaretur, non omnibus ab hominibus mallet, quàm ab vno illo sese laudari. In vituperando autem natura parcus, voluntate abstinens, facultate magnus atq; instructus cùm esset, ad eam dicendi rationem ita raro accedebat, vt scires inuitum accedere: cùm accederet, ita illam ferè semper placidè comiterq́; exercebat, vt appareret non omnes eum suas vires explicare voluisse. Verum omnino magnis Ducibus non ita sæpe euenit, vt laudẽt: minus sæpe, vt vituperent quempiã atq; vtrumlibet cùm agunt, parcè id grauissimisq́; verbis agunt, ne videantur magis quàm deceat in altero amore & beneuolentia, in altero odio et simultatibus duci. Accusatio

ſatio autem atq; defenſio nunquã in illis ferè cadunt, quippe quibus nulli iudices accendendi, nulli demulcendi ſunt: ſuus illis animus iudex eſt, is audit, is decernit, eo abſoluimur, eo condemnamur. Suo autem quiſq; animo tacens loquitur, ſilens perſuadet. Itaque nihil iudiciali oratoriæ artis generi cum regibus. Propria eorum autem atq; peculiaris eſt deliberatio, propterea quòd ad eos omnia omnes deferunt, ciues, prouinciales, municipia, milites, clientes, ſocij, vicini. Habent autem conſiliarios ipſi ſuos, qui aſſiſtunt, quibuſcum agendúmne ſit aliquid, aut non agendum, diſſerunt. Tum cum alijs ſæpe Regibus, *ſæpe cũ Legationibus multa quærunt, multa diſputant: quilibet alios adducere in ſententiam conatur ſuam. Ibi ars, ibi ingeniũ valet. Hoc in genere* Proceres *omni, ſi quis vnquã magnus atq; ſummus fuit, ſi quis ea quæ ipſe cogitaret, ſẽtiret, quæ optaret, quæ timeret, in aliorum mentes atq; animos ita tranſtulit, vt impreſſa, non tradita, innata non inſita, propria non aliena viderentur: ſi quis inquam lenis, dulcis, blandus, ſi quis item grauis, ſeuerus, prudens, nullum verbum temerè proferens, tum ſi cùm opus eſſet, callidus, ſi ludens, ſi percunctator, deniq; ſi eloquens, ſi facundus vnquã fuit, is profectò noſter* Dux *fuit: is propè vnus omniũ oratorum omnem vim, omnes illecebras, omnes, vt ita dicam, veneres eſt conſequutus.* Nihil *addo* Proceres, *nihil fingo. Audiuiſtis eum ipſi ſæpe: eius verba atq; voces auribus veſtris hauſiſtis. Quæ vos, quæ multi* Reges, *quæ* Venetorũ Senatus, *quæ* Iulius Põt. Max. *ſcit, nouit, laudauit, admiratus eſt, ea loquor. Atq; hæc quidem eius viri tam præclara tamq́; regia eloquentia, eo etiam admirabilior fuit, quòd quæ ipſe in medium pro re nata eq́; tempore afferre-*

bat, ea si optimi oratores atq; clarißimi diu culta elaborata q; adduxissent, nõ fuissent meliora: quæ verò secũ ipse antè commentabatur, quod erat ferè nunquam, sed si quando meditatus ad dicendum accedebat magna aliqua in re atq; causa, eam sic tractabat, vt cùm omnibus artis præceptis institutisq; vteretur, nullum tamen disciplinæ aut scholæ, nullum industriæ vestigium appareret. Sed iam ad historiarum cognitionem trãscamus, alteram earum artium, quas maximè Regibus *diximus imperatoribusq; cõuenire.* Quæ *quidem certè ars ipsa quoq; bifariã spectari solet: duobus enim quasi terminis continetur, rerum scilicet atq; locorum descriptione.* Harum *partium alteram lato nomine historiam, alteram cosmographiam dixit illa bonarum artium studiorumq; omnium inuentrix et magistra* Græcia: *magnisq; vtranq; atq; proprijs autoribus fulcijt.* Quod *postea nostri homines æmulati idem fecerunt.* His *igitur in singulis quantum noster* Dux *excelluerit, quæso* Proceres *cognoscite.* Dico *enim, & quidem magna voce pronuncio: quicquid vnquam gestum à quoquam est, quicquid perpetratum, quod quidem literis mandatum sit vel* Græ*cis vel omnino nostris, siue ex* Hebræorum *historia illa quidem perantiqua perq; veteri, siue ex his historijs quarum res gestæ post fuere, veteres tamen ipsæ quoq; sunt, vt* Persarum *regum, vt* Aegyptiorum, *vt* Lydorum, *vt* Arme*niorum, vt* Græcorum, *vt* Romanorum *aliorumq; inter hos populorũ, siue omnino ex recenti atq; noua, ea omnia* Ducem *nostrum legere audireq; voluisse, semel vel lecta vel audita in prõptu postea semper anteq; oculos habuisse, ita, vt nihil vnquam eorum exciderit.* Quasi *enim ille omnes in animo res insculptas haberet, nullæ gentium cõmotiones,*

motiones, nullæ exercituum comparationes, nullæ classes, nullum bellum, nulla pugna, nulla oppidi obsessio, nullum egregium facinus, nulla illustrior nex, tum nullæ morborum eluuiones, aut fames aliqua durior, aut præclaræ disciplinæ, scholæ, leges, cerimoniæ, sacrorum ritus, nullum deniq; neq; factum neq; dictum paulò excellens inerat in literarũ monumẽtis, quod non in eius memoriæ septo contineretur. Equidem mihi ipsi videor mira nimium Proceres & fidem exuperantia dicere. *Sed quid agam? taceámne ea quæ verissima esse certò scio, quæ vos fortasse sæpe, ipse millies sum expertus? vt cùm alumni mei optimè de me meriti, tum certè vestri* Ducis *videar diuinis virtutibus inuidisse? an proferam explicemq; omnia? vt qui hæc non viderunt, non antè audiuerunt, mendacio me putent vel referre illi velle gratiã, qui mearum fortunarum autorem omnium: vel à vobis inire, qui vestrum* Principem *sic laudem? Sed me præstat vera dicentem quicquid lubet, quã eã silentem ingratum atq; immemorem videri.* Itaque *illud iterum atque sæpius repeto, memoriam nostro* Duci *tantam fuisse, vt ea pro cæra atque codicibus vteretur: quasi enim in illam transcriberentur eisdem literarum monumentis ea quæ legeret, aut eisdem verbis, quæ audiret, sic ordine posita posituq; permanebant, neque temporis vllo spatio longinquitateue delebantur. Ita ille cùm vellet aliquid recordari, ad suæ se memoriæ quasi commentarium referebat: tum id tanquam relegeret, sic reminiscebatur. Sarmadas quidam in Græcia fuisse olim traditur ea memoria vir, vt quæ quis volumina confecisset, ea ipse more legentis repræsentaret. Magna profectò res atque perdifficilis: neq; enim sine longa exercitatione atq; vsu effici*

tantus habitus atque scientia potest. Verùm omnino nihil cum nostri Ducis sensu memoriæ felicitatéue conferenda. Nam Græculus ea quæ legerat, tum, cùm legerat, fortasse recordabatur: paulò subpostea eadem si petijsses, profectò siluisset: arte enim memoriæ illa, quæ ab ijs, qui de ea re scripserunt, est tradita, credo, iuuabatur. Quæ verò arte atque via quis conficit, tantisper dum illa calet locorum dispositio, qua qui agunt, vtuntur, remanent: refrigerato negocio euolant: itaq; illi pauca eorum vltrà retinent, pauca comminiscuntur. Noster autem nihil locis vtebatur, nihil arte conficiebat: suus sibi memoria quasi ager satis frugum sine vllo cultu ferebat. Tum larga Deorum immortalium dona atque munera nullis hominum laboribus, nullis artis præsidijs adiumentisq; indigebant. Vidi ego sæpe Proceres cùm is longas paginas recitaret non modò integris sensibus, sed singulis etiam verbis, eorum scriptorum quorum ipse libros cùm perlegisset, eos postea in manibus decem aut quindecim totos annos non habuerat, neque vllam interea earum paginarum mente vnquam syllabam recoluerat. Itaque vt rem breuiter explicem, omnes actiones, omnia tempora, omnia clarorum virorum, omnia illustrium fœminarum nomina, quacunque in arte disciplinaq; excelluissent, ita hærebant in eius memoria, ita is eorum quæcũque audiuerat aut viderat, recordabatur, vt ipsum vnum diceres vel omnes omnium gentium annales conscripsisse, vel omnibus seculis vixisse. Hæc de rerum historia. De regionum sede autem & locorum illud possum dicere, quod non prouinciarum, non vrbium, non oppidorum, non penè vicorum, non item maris vllius, non sinus, non insularum, littorũ, portuum, non mõtium,

non

non lacuum, non fluminum, non ipsorum etiam fontium vllum is nomen nesciebat, vel quod prius fuisset, vel quod esset nunc: non situs, non salubritates, non quo victu quæque regio, quibus moribus, quibus artibus vteretur, quibus excelleret rebus, alia quantum ab alia distaret. Itaque *hercle nemini sui fundi ratio fuit, quàm illi orbis terrarum status atque conditio, notior.* Quid *hoc maius aut ad mirabilius dici potest? neque enim verbi aut laudis causa augendæ vtor similitudine* Proc. *cùm dico, nemini suum fundum notiorem, quàm illi orbem ipsum terrarum fuisse. Latinè me scitote, non laudatoriè loqui.* Quare *etiam planius dico:* Non *antiquis, non recentibus locorum scriptoribus egebamus vllis, vbi is erat: ille nobis vnus omnes omnium scriptorum libros, omnes tabulas exhibebat: quã quã is quidem suarum opum dissimulator magis, quàm ostentator fuit.* Nemo *enim illo minus multa scire videri voluit, nemo minus alijs sese præstare.* Itaque *nihil vnquam ferè, nisi peteres, nisi etiam lacesseres, explicabat: repetebat autem secum ipse sæpe multa modò tacitus, modò leuiter succinens, carminaq; præsertim.* Nam *& poetas puer legerat, edidiceratq; magno studio, & perbonis mirum in modũ semper est delectatus.* Præter *hæc è philosophiæ fontibus multa etiam hauserat, eaq; præcipuè, quæ de moribus disputantur.* Disciplinam *autem illam, quã iure meritoq; sacram dicimus, vniuersam perceperat cũ antiquiorem, tum nouam.* Itaque *nihil habetur in ea obscuri, nihil ambigui, nihil translati, quod ipsum latêret: tametsi eiusmodi multa insunt in eius scientiæ scriptoribus.* Medicinæ *quoque præcepta ita tenuit, vt illi ipsi artis magistri quorum opera vtebatur, nihil ferè prospicerent, quod ipsum*

lateret, ei sæpe etiam ex ipsius consilio mederentur. Sed hanc artem non antea attigit, quàm eum imbecillæ valetudines morbique inuaserunt. Itaque in lecto illam, non in scholis philosophorũ didicit. Quid verò Proc. nihil ne in Duce nostro, præter illas duas artes maximas quidem atque latißimas, rei militaris & doctrinæ, quas commemorauimus, magnum atque præclarum fuit? quarum artium alteram tũ, cùm coalesceret, coactus est propè vniuersam abijcere: alteram cum florere eius studia inciperent, lentè remisseq; exercere. Fuere certè, fuere inquam plurima: quod quidem etiam si tacerem, uos tam Proc. qua prudentia estis, ipsi per vos cognosceretis. Omnes enim propè virtutes facilè intelligitis vno mehercule doctrinæ studio vel acquiri ipsas, vel omnino perfici. Nam quemadmodum veri ignoratio vitiorum fons & radix omnium atq; malorum est, ita necesse est à veri cognitione atque scientia, quæ doctrinæ studijs maximè comparatur, deriuari coalescereq; virtutes: quarum quidem semina tametsi à natura ipsa quis poßidet, nisi tamen is adhibeat operam studiaq; literarum, bonam ad frugem ipsa nunquam ferè perueniunt, nunquam fructus vberes atque magnos ferunt. Quamobrem noster Dux cum illarum rerum cognitionẽ, quas dixi referre acceptam debet literarum & doctrinæ studijs, tum vel maximè reliquarum aut omnino, aut magna ex parte virtutum comparationem ac perpolitionem: quibus profectò recensendis neq; mea, neq; alicuius oratio esse satis Proc. potest: sed ea tantummodo persequar, quæ cùm mihi promptiora dictu sunt, tum vobis etiam re atq; experientia notiora. Estis enim propè ipsi testes, in eo singulis, quod cuiusq; est, tribuendo atq; partiendo, neminem

illo

illo vnquam minus vel amorem vel odium admisisse, neminem magis omnem cùm libidinis aut auaritiæ, tum omniũ cupiditatum notam ab se amouisse longeq́; reiecisse. Nam cùm & natura sua propensus in æquitatem esset, & puer de me illum Theognidis poetæ versiculum audiuisset, quo is ait omnes virtutes in vna iustitia contineri, nihil illi postea ea re maius, nihil antiquius fuit, erga suos, erga exteros domi, peregrè, in foro, in castris: ea puer, ea adolescens, ea iuuenis, ea vir incredibili tenore est vsus, vt non solùm ab eo quisquam nihil præter æquum atq; fas impetraturum se confideret, sed iam ne peteret quidem: discordiarum autem, controuersiarum, inimicitiarũ suarũ, eo arbitro etiã alieni vterentur. Ad illum enim, tanquam ad Areopagitarum tribunal Græcia, plurimi qui cum nunquã viderant, suis de rebus atq; causis, eius iudicio vt transigerent, accedebant, in eiusq́; sententia illi etiam, quos contra statuisset, conquiescebant. Quæ cùm ita essent, neminem tamẽ ab eo vnquam vel pœna mulctatũ qui non plus peccauerit, quã in illum animaduersum sit, vel præmio affectum audiuimus, in quem non ipsa merces amplior eius officio fuerit. Itaq; iustitiæ duas illas virtutes cùm in omnibus ijs, qui statuunt aliquid atq; iudicãt, tum in Regibus & Principibus multò maximè quærendas laudandasq́;, adiunxerat clemẽtiam & liberalitatẽ. Sed clementiæ atq; mansuetudinis nobis cùm sæpissimè aliàs, tum eò sanè tempore verissimum ac pulcherrimũ testimonium reliquit, quo Cæsar Borgia Valentinus omnis humani diuiniq; iuris contemptor atq; perturbator, qui ei regnum per amicitiæ simulationẽ contra fas, contra fidem datam, optimè etiam de se merito, perq; vim malis artibus abstulerat, saluti atq; vitæ sæpenu

mero insidias fecerat, cùm is ex magno imperio atque fortunis deiectus in Iulij Pont. Max. *potestatem atque custodiam venisset, noster autem* Dux *ab eodem* Pontifice *per literas atque nuncios* Romam *accitus, hospitio amantißimè honorificentißimeq́; susceptus, plurimis maximisque tractandis rebus præficeretur, cõsilijs omnibus interesset*: Romanis *etiam exercitibus eius imperio atque fidei traditis, esset illi quasi quodam fato vindicandi se de Cæsare facultas quàm amplißima oblata, nihil eorum in illũ egit, quæ quidem ipsum facere æquißimum atq; iustißimũ fuit.* Sed *cùm eius ille genibus aduolutus, suorum scelerum atq; perfidiæ deprecatus veniam esset, homini supplici atque miserrimo pepercit.* Itaque *qui in eius fortunas atque sanguinem omnia tentauerat, multa perfecerat, vt vidistis: eiusdem de libertate atque salute tum cùm sumere pœnas posset, nihil imminuit.* Existimabat *enim, idq́; dicere frequenter solebat, non tam pulchrum esse vlcisci iniurias, quàm obliuisci: illud sibi omnium hominum, perpaucorum hoc eorundemq́; non nisi magni animi virorum, suorumq́; factorum conscientia fretorum atque nitẽtium videri.* Liberalitatis *autem quid ego exẽpla eius persequar, quem amici, quem cognati, quem necessarij, quem familiares, quem alieni, quem omnes deniq; homines in omni ætate omnium liberalißimum munificentißimumq́; sunt experti? quiq́; longè magis cùm donaret aliquid, quã alij cùm donãtur, gaudebat? qui nihil se habere, nisi quod à se haberent homines: nulla re frui, nisi qua cæteri à se donati fruerentur, existimabat?* Memini Proceres *atque adeo aderam, cùm ille admodum puer de sua veste tria sagula egregiæ materiæ atq; operæ totidem æquæuis sibi pueris*

suis

ſuis hoſpitibus donauiſſet, eum ab Octauiano patruo reprehenſum, qui dicebat, ſi ſic faceret, ſua ipſum veſte nihil vſurum: reſpondere, At qui poſſum aliter tam multis ſagulis vti? ipſe enim plus vno non induor. Pulchra mehercule vox, eoq; puero digna, qui quidem eſſet in talem virum, qualem nunc amiſſum lugemus, euaſurus. Itaq; in illo cuinam harum duarum virtutum, de quibus dixi, deferri primæ debeantur, liberalitatis an clementiæ, iudicio conſequi difficillimum quidē puto. Innocētia verò ac continē tia, in tātis opibus, tam amplo in imperio atq; regno, quā ta is fuerit, nolite cōmoneri velle Proc. voſmetipſi vobiſcum recordamini. Solent alij plerunq; regis fortuna ſæpiſsimè abuti, felicitatemq; ſuam in eo poſitam putant, ſi æquè potentia atq; libidine pollent: quicquid concupiuerunt, etiam conſequi expetunt: itaq; nihil caſtum, nihil ſyncerum, nihil ſanctum, nihil tutum ab illis eſt: luxu, licētia, libidinibus, flagitijs, rapinis, ſtupris corrupta deprauatáque ſunt omnia: ſibi autē chariores illos habent, illi apud ipſos ampliore loco ſunt, qui ad explendas eorum libidines plus curæ adhibent, plus laboris: quo fit, vt plenas domos habeant audaciſsimorum perditiſsimorumq; hominū, qui neq; fas, neq; pium, neq; pudens, neq; rectum quicquā nouerūt. Longè aliter Proc. noſter Dux: caſta mēs, caſtus animus: pietas, pudor, religio ſemper cū illo eſſe, nihil ſibi ipſe concedere: quod quidem cùm omnes leges, tum certè omnes homines non conceſsiſſent: ſuas libidines acrius quā aliorum cohibere: imperare autem ſibi ipſum poſſe, id verò longè maximum pulcherrimumq; ſanè regnum exiſtimare: voluptatem ſine honeſtate nullam eſſe, ducere: tū nihil proprium Regis eſſe, præter gloriam & laborē: alijs

putare sese natum plus, quàm sibi. Itaq; *maiorem ex ea re voluptatem capiebat, cùm benefacere vni aut alteri poterat, quàm si omnes in se homines omnia beneficia contulissent. Qua in re illud etiam mirum propémodum fuit, quòd cùm is aliorum in se beneficiorum memoriam animo semper repeteret, nunquam obliteraret, suorũ in alios ita non retinebat, siue id magnitudine animi, siue liberalitate faceret, siue omnino promerendi sibi semper nouos homines voluntate, vt quasi sensum memoriæ non haberet, nihil eorum quæ cuiquã benefecerat, recordari prorsus vnquam atque respicere videretur.* Neque verò, *qui circum illum erant, non probi, non frugi, non continentes, non bonis moribus, non integritate præditi.* Neque *sane aliter res se habere poterat, quando is suam in illos beneuolentiam ipsorum virtutibus, non sua libidine metiebatur.* Itaq; *ijs internuncijs liberæ afflictorum querimoniæ de aliorum iniurijs audiebantur: iniustè oppreßi atq; miseri subleuabantur: perditi flagitiosiq; puniebantur: temerè impetrata remittebantur: ablata restituebantur: incolumitati omnium atq; saluti, paci, ocio, libertati per eosdem consulebatur. Quamobrem illæ se vrbes beatißimas existimabant, apud quas ille diutißimè commorabatur. Sed quid ego tam pauca de illius cohorte atq; comitatu dico? qui nũquam sine multis aliquo genere laudis excellentibus clarißimisq; visebatur viris? qui semper cùm bello strenuos, eosdemq; ingenuos, et suarũ ciuitatũ principes iuuenes, tum vel maximè cultu literarũ clara præstantiaq; ingegenia secum habebat, siue mathematicis in disciplinis, siue philosophiæ, siue reliquis in studijs leuioribus, pangẽdisq; carminibus præsertim, quibus cùm & natura & certè iudicio*

dicio

dicio plurimùm delectabatur, tum eorum magistros semper fecit plurimi, semper apud se esse voluit: ijs in castris, in itineribus, domi, peregrè, ijs in mensa quotidianoq́; in conuictu familiarißimè vtebatur: cum ijs dies ac noctes, dum sibi per negocia liceret, consumebat. Itaq; *neq; superiorē* Aphricanum Ennio, *neq; minorē illum & C.* Leliū Terentio *magis delectatos accepimus, quàm noster* Dux *his delectatus Poetis est, eos charos habuit: quos ego Proc. quoniam hic eorum aliquos aspicere potestis, idcirco nihil nomino, nihil appello: satis per se ipsi vobis cogniti perspectiq; sunt.* Ptolemæum *Philadelphum regē Aegyptiorum aiunt Poetarum ita studia coluisse, septem vt illos celebres Græciæ Poetas secum uno tempore habuerit, qui quidem Pleias propter numerum sunt vocati.* Illius *credo exemplo, Guidus Vbaldus* Dux *sine multis Poetis nunquam fuit. Quoniam verò non poeticis solùm studijs, sed, quemadmodum dixi, aliarum etiam bonarū artiū disciplinis doctos homines adamauit, nihil vnquam fuit eius comitatu amabilius, nihil splēdidius.* Non *Pleiades modò stellæ* Proc. *sed vniuersi propè cœli species eius in domo quasi radiare videbatur.* Itaq; *audiui sæpe multos qui dicerent, cū* Hispaniarū Regem, *tum quidē Galliarum, tot tantarumq́; vrbium, tot populorū dominos, apud se tot præclaros homines, tam illustria ingeniorū lumina ac planè sidera non habere. Sed neq; fide is minor, quàm tēperantia* Proc. *fuit: de qua nemo vnquā questus est, nemo eam desiderauit. Nō illius modò gentes autem, aut socij, aut fœderati, verumētiam ipsi hostes ei semper plurimum tribuerunt, sanctißimamq́; iudicauerunt.* Itaq; *inter* Iulium Pont. Max. *atque Venetos expostulationem iniuriarumq́; semina maximis*

de caussis cùm iactarentur, vtriq; illo disceptatore sunt vsi, vtriq; in eius fide conquieuerunt. Nunquam verò ita sanctè quisquam iusiurandum aliquod celebre, aut deorũ immortalium testimonio initum ac percussum fœdus, vt ille vno verbo datam ab se fidem coluit. Agè verò vtrum existimatis Proc. facilitatem illi minus defuisse, an humanitatem, an etiam sermonis suauitatem? Porrò cùm ita faciles ad eum aditus essent, ita is omnibus hominibus omnibus horis patêret, vt neminem patremfamiliâs commodiorem domus vlla habuerit, quàm eo Duce cùm eius populi, tum extræ etiam nationes vterentur: ita autẽ humanum se præberet, vt cùm fortuna multos, dignitate plures, virtute omnes reges superaret, humanitate ne ab infimo quidem vllo superaretur: comitate certè sermonis suauitateq; verborum ita eas virtutes quasi condiebat, vt non hominem aliquem viderentur conuenisse, qui illum adibant, sed planè quendam propitium atque beneficum hominibus Deum. Inerat enim in illo comitati adiuncta semper grauitas quædam regia, quæ quicquid ageret, quicquid diceret, ad dignitatem componebat, admiscebatq; leuioribus etiam in rebus illud, quod summis viris maximè conuenit, decorũ. Verùm hæc omnia ab vno prudentiæ fonte quasi riui emanabant: quæ sic in illo scaturiebat, vt nunquam exaresceret: sic fluebat, vt in omnes partes diffunderetur. Nam cũ non solùm vitia vitas hominum actionesq; perturbent, sed ipsæ etiam virtutes vel intentione nimia vel remißione sæpe decipiant: etenim quæ iustitia dicitur, eam si seuerè nimium exequare, acerbitas appellari poterit: quæ clemẽtia est, dissolutè si vtare, ea ignauia verius atque mollities erit: adhibenda sanè prudentia est, quæ aduocet atque retineat ea,

tineat ea, quæ recipienda ſunt, ſegreget repellatq; contraria. Hac igitur prudentia noſter Dux ſic abundauit, vt non ea ſolùm ad vitanda fugiendaq; vitia vteretur, ſed in exercendis etiam bonis artibus ſæpe tempori, ſæpe rebus, ſæpe perſonis aliàs, magis, minus aliàs, honeſtati quidem ſemper, dignitati, gloriæ quantum poſſet maximè, inſeruiret. Itaque illis virtutibus eius animus redundauit, quas dico: quarum vſu atque functione omnium illa etiam humanarum diuinarumq; rerum magiſtra ſapientia comparatur: quæ quidem quanti facienda ſit, illa noſtri Ducis vox præclarè docere nos poteſt. Nam cùm in eum quondam ſermonem incidiſſent ij, qui cum illo erant, vt ipſum eſſe beatiſſimum dicerent, qui tot vrbibus, tot populis imperaret, tam magnificis ædibus, tam ampla ſupellectili vteretur: negaret ille ſe propterea beatum, quoniam auferri ſibi illa poſſent omnia vel vno die: inſtaret alius, inferretq;, Quid tu autem Guide Vbalde, inquiens, cùm in tanta rerum affluentia verſere, putás ne poſſe vnquam fieri vt ad paupertatem deuenias, indigeasq; illarum rerum, quarum nos indigemus? Ego verò, inquit ille, ſi veniat ſapientia: quo vno mehercule verbo mihi quidem videtur, ſe ſapientiſſimum oſtendiſſe, qui ſuum regnum ſuasq; fortunas omnes ſe ſapientia commutaturum eſſe, fieri ſi poſſet, præ ſe tulit. Etenim imperijs atq; diuitijs cùm fortuna, tum ſæpe caſus dominatur: parua interdum offenſione veluti grandine totius anni fruges, ſic totius vitæ omnes mediusfidius commoditates auferuntur. In ſapientiam nihil iuris habet fortuna: nullam eius partem caſus poßidet: illa tecum ſemper eſt: vtcunq; te ſecūdæ res fugiant, ſemper præſto eſt: nunquam illa te, niſi tu illam deſeris. Itaq; cum pru-

dentia, tum certè sapientia noster Dux *vsus, & præterita reminiscebatur, & præsentibus consulebat, & prospiciebat futura: quæq; non nescire homines possumus, omnia propè callebat, siue ad homines ea attinerent, siue ad* Deos. *Multa prætereo consultò: neque enim possum eius viri benefacta vel dicta omnia breui tempore* Proceres *percensere.* Vos *tamen existimare debetis illum cæteris in rebus atq; vitæ suæ reliquis partibus, sui dißimilem non fuisse.* His *igitur, atque alijs virtutib. effectum* Proc. *est, vt difficile dictu sit, quàm illum sui populi dilexerint: quàm ægrè illo caruerint, cùm carendum fuit: quanta eundem beneuolentiæ testificatione reuocauerint: quàm se, quàm fortunas suas, quàm libertatem, quàm pro illo sæpe suam vitam in discrimen obtulerint: quàm nihil vnquam perpeti recusauerint, dum illo saluo incolumiq; fruerentur.* Itaq; *nemo mihi vnus pro aliquo vnquam tantum laboris subijsse visus est, vt pro illo vniuersi.* Nam *cùm idem Cæsar* Borgia, *qui profectò cùm fortuna dulci ebrius, tum parentis consilijs & potentia, quibus nitebatur, fretus, nihil non audebat, nihil intentatum relinquebat, dum ipse* I*taliæ imperio pulsis deiectisq;* Regibus *potiretur,* Ducem *quoq; nostrum illustri perfidia de regno patrio, deq; auitis sedibus expulisset: populi, quibus quidem sumendi arma tempus datum non est, hostem enim simulato cum* Camertium Regulo *cumq;* Florentinis *bello fide data venientem intra suos fines tanquam amicum maximis cum exercitibus receperant, repentino casu perculsi atq; perterriti, id quod vnū poterant, apertè mœrebāt, palamq; lamētabātur: nullis neq; minis noui præpotentisq; domini, neq; pollicitationib. neq; quidē immunitatibus atq; muneribus*

adduci

adduci vnquam potuerunt, Guidum Vbaldum votis omnibus vt ne peterent, vt ne seruire illi, quàm imperare alijs sese malle profiterentur. Quæ verò in regnorum euersionibus ferè semper Regibusq; mutãdis eueniunt, vt permulti (vt est hominum genus sæpe ocij quietisq; inimicum) tãquam vnius cibi, sic vnius regni continuatione satientur, appetant quodcunq; oblatum est: pleriq; etiam veteri sub imperio vel acceptis iniurijs vel calamitate aliqua affecti, sperent sibi apud nouũ dominũ fore aut vindicãdi aut subleuandi se locum, itaq; illi sese dedunt, ad illum cogitationes omnes cõuertunt suas, illũ percolunt, illi obsequũtur. Horum tum Proc. nihil fuit: nemo enim ex vlla vrbe honestus ciuis, nemo ex municipio aut oppidulo aliquo vel pago tenuis vir, nemo ex agris rusticus toto hoc in imperio atq; hisce regionibus ea tempestate ad Cæsarem se non inuitus contulit: nemo non illum perhorruit, euitauit, fugit, & ne oculis cerneret, quasi tetrã aliquã immanẽq; beluã, diligentiam & cautionem adhibuit. Itaq; Guidi Vbaldi desiderium paucos mẽses populi ægrè cùm pertulissent, perferre autem non possent diutius, Cæsaris exercitibus omnia occupantibus, ferrũ illis, ignem, cædem, direptionem, proscriptionem, vastitatem, si quicquam molirentur, denũciantibus, tamen à Cæsare vnà omnes semel iterumq; desciuerunt, Valentinianos arcium præfectos trucidauerũt, magistratus in vincula coniecerunt, legatos interemerunt, cohortes legionesq; fuderunt, nominis propè Borgiani memoriam cum vestigio imperij non modò ex vrbibus omnibus, verumetiã ex monumẽtis singulis deleuerũt, Guido Vbaldo regnũ deniq; seq; ipsos restituerunt. Vnde hanc tãtã tamq; miram erga illum beneuolentiam, tam immẽsum

amorem hisce gentibus fuisse Proceres existimatis? non enim ille eos magna vi aliqua thesauri, aut præmijs quibusdam ingentibus inusitatisq; singulos afficiebat: non ludorum quotidie genere aliquo detinebat nunquam aliàs audito, nunquam viso, non exquisitis vllis epulis, aut tibiarum insolitarum deliniebat sonis, sed quibus artibus in principes viros conflari odia populorum solent, eas ille artes non exercebat, earum nulli se obnoxium fecerat, nulla detinebatur. Non *libido vnquam illum ad constuprandas suorum ciuium vxores aut virgines, non auaritia ad premendas vectigalibus ciuitates, non impietas ad negligendam* Deorum *immortalium religionem, non crudelitas ad sumendam iniustè pœnam ab aliquo* Proceres *impulit, non à propulsandis iniurijs inertia, non à vindicandis timiditas, non ab honestate luxus, non deniq; à labore vnquam animi vlla mollities deuocauit. Postremò, quod cæteri tanti æstimant, eripere se interdum populis aliquoq; abdere, vbi totos dies sine testibus voluptati atq; delicijs vacent, id ille ne cogitandum quidem sibi esse vnquam iudicauit: palàm omnia atq; in propatulo agebat.* Itaq; *illum omnes non tanquam vnum ex* Feretria *familia procreatũ, sed tanquam eodem, quo quisq; erat, patre natum genitũque intuebantur.* Quamobrem *minus mirũ est, si vel cum fortunarum suarũ omnium discrimine carere illo non potuerunt.* A *quo enim se habere, vt fortunis suis ita vti vellent vterentur, existimabant, eas fortunas omnibus periculis obijcere, vt ei suæ fortunæ restituerentur, non dubitauerunt: seq; omnes emori satius esse duxerunt, quàm per quẽ ipsi inter suos bene honesteq; vixerant, cum perpeti sine dignitate alienis opibus vitam ducere in alieno solo.* Sed *hæc*

hæc populi in calamitate Principis egerũt. Quid ipse autem Proceres, qua magnitudine animi, qua fortitudine eã calamitatem pertulit? quàm non ægerrimè, non demisse, quàm etiam pacatè toto illo in exilio fuit? vt non plus ei fortuna de eius dignitate, quàm is fortunæ videretur de ipsius iure detraxisse: quæ cùm illum omnibus propè calamitatibus affecisset, nullũ tamẽ calamitatis in illo signum, nullũ vestigium appareret. Quærite de Venetis, qui illum profugum, exulem, inopem, deiectum de rebus omnibus, hospitio, vrbe, opibus, autoritate, beneuolentiáq; iuuerũt: interrogate Patres illos atq; Senatum, qua enim grauitate sunt, nihil inficiabuntur: reperietis ita illum apud ipsos fuisse, ita se gessisse, nihil vt de maiestate, nihil de sermone regio atq; vultu, nihil de imperatorio animo, nihil de moribus, nihil deniq; de pristina cõditione videretur mutauisse, præter solum. Tametsi omnem illam exilij calamitatem vxor eius optima sanctißimaq; fœmina, sua præstanti pietate aut omnino, aut magna ex parte leuauit. Quod enim illa exilium, quam calamitatẽ, quos labores, quas ærumnas mulier cùm pulcherrima, tum supra fidẽ viri pudorisq; amantißima nõ leuaret? magni præsertim animi, incredibilisq; prudentiæ, & cui mehercule ingenium pratér ne mulierum captum dicam, án ne etiam virorum cõtigit? è cœlo quidem illi atq; diuinum est. Itaq; in summo illo rerum fortunarumq; suarum omnium discrimine tristißimisq; tẽporibus noster Dux magnum sanè solatium charißimam prudentißimamq; coniugem fugæ, viarum, curarum, labo rum, cogitationum omniũ comitem atq; sociã habuit. Atq; mihi quidem totius nostri Ducis vitæ cursum memoria repetẽti, singulasq; animo felicitatis eius partes intuẽti, nul-

la maior, nulla vberior videri solet, quàm quòd ea illi vxor obtigit, de qua quidem cùm pudicitiæ tum virtutum reliquarum omnium omnes, quæ nunc sunt, quæq; in posterũ futuræ sunt mulieres, exempla sumere abundè poterunt, ipsas virtutes æquare non poterunt. Nam cùm illa iam omnes nostri seculi præclaras atq; illustres fœminas omnium virtutum genere, omnium hominum sententia lõgißimè superauit, tum ipsarum quidem vniuersi mulierum sexus atq; generis omnem præstantiam prætergressa longius est, quàm quòd vllius mulieris ad virtutem cursus pòsse assequi vllis vnquam seculis videatur. Dicerem hac de re aliqua Proceres ex multis, vel etiã ex innumerabilibus, quæ quidem possunt dici: sed neq; incipere potest quis, quin idẽ multa persequatur: & vos ea non ignoratis. Sic enim viuit illa, vel potius sic vixit (nam vt nunc se res habet, ita se macerat, lacerat, conficit, vt ea vita qualibet haberi morte durior atq; miserior queat) sic igitur illa inquam vixit, vt non ad vestras solùm Proceres, sed ad omnium etiã hominum aures eius virtutum vox atq; fama peruenerit. Verũ hoc tãtum tamq; eximium vxoris bonum cum viri tantarum rerum gestarum, tãtarum virtutum bono coniunctũ, hoc tam rarum tam excellẽs coniugium Proceres, vt videtis, illud mali subsequutũ est, quòd ij liberos ex se nõ genuerunt. Veriti sunt fortasse superi, quæ accesio in hac familia virtutum semper in postremos fuit, ij si filios habuissent, ne illi nimium proximè ad eorum cõditionem accederent, itaq; minus magnum interuallum inter se atq; nos, quàm ab ipsis positum statutũq; sit, relinqueretur. Nisi fortè quo niam vlterius progrediendi locus non erat, sobolem ex ijs esse nullam potius, quàm non præstantiorem voluerunt: interireq;

interireq; tam præclaram stirpem, quàm vel regredi, vel etiam consistere maluerunt. Atq; vtinam postquam ita statuerunt Dij, vt noster Dux sine liberis interiret, ipsum diu nobiscum esse siuissent, diu in vita longæuumq; reliquissent; vt hoc nostrum sobolis ex illo desiderium, fruendi ipso longinqua diuturnaq; conditione leuaretur, quod erat quidem æquißimum: vt cuius ipsius fueramus veris imaginibus & stirpe cariturі, eius vultum diutißimè aspiceremus, amoris beneuolentiæ consuetudinis fructum, quã multorum fieri annorũ per naturæ legem posset, perciperemus. Quòd si neq; sobolem ex nostro Duce vllam, neq; longam ipsius vsuram nobis fuerant ijdem ipsi superi cœlitesq; concessuri, sed iuuenem florentemq; rapere atq; intercipere illum volebant: effecißent saltem, vt quo minus, quoad viueret, exercere sese posset, omnibus membris captus ac debilis corporisq; impeditus implicitusq; dolorib. non fuisset, sed quos ipsos perpaucos nobiscum futurus erat annos, eos prospera valetudine integerq; confecißet: quæq; interea studia, quasq; artes sequi atq; colere in animo habebat suo, ijs se dedere, eas tractare ad earum sibi comparationem vires & neruos intendere licuisset. Nunc autem (ô indignam vitæ sortẽ atq; miseram) cùm perbreue illi annorum ætatisq; curriculum dederunt: sex enim atq; triginta natus annos miser interijt: tum eius ipsius breuißimæ ætatis magnam melioremq; partẽ ita deformauerunt, vt ei nullum propè vitæ vsum viderentur, præter auræ atq; lucis, reliquisse. Itaq; ille infelix neq; liberos ex sese genitos vllos vidit, dulcedinemq; illam filiorum (quæ quãta sit, ij nouerunt, qui parentes sunt, cæteri ne cogitare quidem possunt) nulla ex parte est expertus; neq; quantum

poterat, vixit, aut ſaltem quantum iure vitæ debebat, ſed medio in curſu, vel etiam citra curſum medium eſt extinctus. Demum *quoq;, vt nullius duræ conditionis expers eſſet, id tam modicum tamq; breue temporis ſpatiũ quod vixit, ſic profectò vixit, vt multo etiã minus ſeſe viuere ſibi maximè optandum fuerit: ita porrò eius temporis plurimam partem quaſi mortuus inter viuos fuit.* Proh *Dij immortales (dicerẽ crudeles atq; duros, niſi me mei* Ducis *mira pietas conſtantiaq; retineret) qui ne medijs illis quidẽ in cruciatib. quibus eſt confectus, vocem vllam vnquã contra vos aut planè gemitũ edidit. Sed proh dij cùm immortales, tum ſæpe mortalibus commodi atq; benefici parum, itáne huius optimi ſanctißimiq; viri ſumma probitas, ſummus pudor, ſumma æqui atq; boni obſeruantia, ſumma innocentia, ſumma fides, ſumma deniq; illa erga vos ipſos religio, obſequium, cultus pietaſq; meruerunt, vt cùm illũ ſibi omnes eſſe patrem optimũ atq; chariſsimũ dicerent, ille tamen ex ſe liberos aſpicere nunquam poſſet, nũquam dulce patris nomen ex ore filiorum auribus hauriret ſuis? vt cùm eius cura & labore multæ gentes bene feliciterq; viuerent, ipſe cùm iuſto vitæ ſpatio, tũ omne propè viuendi ſpe atq; dulcedine careret, ita deniq; vitam duceret, vt mortuis quàm viuis ſimilior viciniorq; videretur?* Hócne *præmium, hoc inquam præmium iuſtitiæ pietatiſq; cultoribus rependitur? hanc mercedem eſſe laborum ſtatuitis ijs, qui omnes ſuas cogitationes, omnem curam, omne ſtudium ad communem bonorum vtilitatem conferũnt, vt cùm ipſi alijs quietem pepererint, bellum ſibi cum aduerſa valetudine durum atq; miſerum, quoad vixerint, ſit gerendum? Itaq; ille quoniã ſua virtute perfecit, vt omniũ optimus &*

mus & haberetur et esset: vos vt omnium ærumnosissimus & esset & haberetur, vestra iniuria perfecistis: cui quidem nihil tam proprium aut tam diuturnum in vita, quàm dolor atq; cruciatus fuerit. Sed cõtinebo ipse me, neq; in vos asperius quicquam Cœlites atq; temerè dixero. Nihil enim à vobis mali vnquã ad nos: forte illud omne atq; fortuna prouenit. Atq; ille quidem non tam nostro sensu atq; sententia, quàm vestra etiam existimatione atq; iudicio multò optimus atq; maximus fuit. Vestra enim immortalia superi numina eius viri interitum significationibus plurimis atq; clarißimis concelebrauerunt: vos ipsi vobis antequã mortem obierit, hominem esse interiturũ longè omniũ maximum atq; præstantißimum denunciauistis. Nam & hoc ipso anno eius thalamus, cùm ipse in eo esset, tactus de cœlo est: & paulò antea, quàm è vita exiret, terræmotus horribiles in regni finibus crebros fuisse nunciatum est: & ex altißimorum montium cacuminibus miræ ingentesq; ab incolis voces multis in locis exauditæ sunt: & noctu supra templum hoc atque vrbem longißimis ardere tractibus sereno cœlo maximos clarißimosq; ignes plurimi mortales conspexerunt. Aedes verò, vbi nunc humatum eius cadauer est, medio die à sacerdotibus aperire sese visa, vano illos metu atq; pauore perterruit. Hoc vestrũ Dij immortales testimoniũ, vestra hæc vox ac penè oratio fuit. Quãquam ea quidem signa non tã vllius nostri Ducis iacturæ prænuncia, quàm nostræ multò maximæ multoq; luctuosißimæ fuerunt, non ad illum, sed ad nos pertinebant. Ipsi enim te amisimus Guide Vbalde, tu nihil amisisti, qui multò ante mortuus es, quàm è vita excederes: antè te ipse, quàm interires, reliquisti: imò aũt qui te quidẽ nunquã re-

liquisti: te enim ipse, hoc est, hominis rectũ sensum semper habuisti. Ipsi itaq; miseri, qui te caremus: tu felix, qui nihil vnquam fecisti, quod te facere non æquissimum fuerit: qui patriæ, qui tuorum ciuiũ incõmoda longè plus cauisti, quã tua: qui omnia tibi pericula, omnes esse experiũdos & subeundos labores, vt illi ocio ac libertate fruerentur, existimauisti: qui te virtuti, nõ desidiæ, dignitati, non voluptati, qui laudi, qui gloriæ, qui æternitati, non somno aut delicijs aut vitæ huius breuissimis inanibusq; oblectamentis tradidisti: qui semper cogitasti corpus virorũ fortiũ & bonorũ ac magnorũ hominum esse caducũ atq; mortale, animi verò præstantiã, quæq; ex animi præclaris motibus nascitur, gloriam sempiternã: qui deniq; te cùm omni tempore, tum certè extremo ita gessisti, vt neq; morbi atrocitas aut tædiũ, neq; in tã viridi ætate mors adueniens perficere vnquã potuerit, vt timoris signum aliquod, aut ægri omnino animi proderes: vltrò verò, imperterritiq; abeuntis, vitaq; constanter cedentis plurima semper indicia notæq; apparerent. Atq; illam ipsam quidẽ mi alumne optimæ atq; sanctissimæ tuæ vitæ breuitatẽ, vt iam sæpius idẽ repetam, si quis rectè æstimabit, tibi summæ laudi ac propè immortali gloriæ vertat necesse est. Quanto enim maius est multas res præclaras atq; permagnas breui temporis spatio, quàm longissimo confecisse, tanto tu magis quidẽ laudandus es omniũ ore gentium atq; seculorũ, qui iuuenis eas virtutes, eas bonas artes fueris assequutus, quas omnes simul nulli, aliquas vel nulli vel omnino pauci diutissimè viuẽdi beneficio cõsequi profectò potuerũt. Nã si quispiam, quos tu in lecto annos vi morborũ coactus consumpseris, eos à reliqua tua vita segregabit, seiungetq; ab ijs, qui tibi

qui tibi esse vsui potuerunt: si item Borgianas cũ insidias, tum aggreßiões, tuam atq; tuorum fugam, errores, exiliũ, discrimina, miseras illas atq; acerbas cogitationes reputabit: alia verò ex parte idẽ si colliget, quot imperia gesseris, quot bella confeceris, quàm cumulatè, quàm perfectè omnem rei militaris disciplinã percallueris: post hæc si cogitabit, quantũ in studijs literarum continetur, tantundẽ te propemodum perlegisse: earũ verò artium multis excelluisse, quarũ ex vniuscuiusq; scientia multi homines celebre ac magnum sibi nomen acquisiuerũt: postremò si æstimabit te regendis populis occupatum, pauca horarũ momenta ijs in studijs potuisse cõsumere, quibus quidẽ ij, qui excellere cupiunt, omnẽ suam ætatem impendunt, omnes noctes ad ea cõferũt, omnes dies: hæc inquã omnia si quispiam considerabit, verè te ille mi alumne vel multũ supra hominum fuisse cõditionem existimabit, vel infra deorum parum. Itaq; quantum tibi de huius vitæ vsu cùm aduersa fortuna, tum incommodæ valetudines detraxerũt, tantum addent homines ad tui nominis gloriam, celebritatem, memoriamq; sempiternam. Quanquam non hæc quidem tua vita dicenda est, quam in his corporis membrorumq; compagibus viuimus: illa inquam, illa potius vita tua est, quæ omnium populorum animos tui beneuolentia in posterum peruagabitur, quam omnis memoria repetet, omnia secula intuebuntur, quã sibi iure commendatã ipsa æternitas alet, secũq; retinebit. Quamobrẽ non est, cur te parum vixisse doleamus: quandiu enim gentes erunt, tandiu viues ipse in earum mentibus atq; sermonibus, tandiu homines tui memoriã summa cũ tua gloria retinebunt, eruntq; permulti multis in terris semper qui te dicent à pe-

renni contestataq; virtute maiorũ perillustri celebriq; familia parentibus maximis atque clarissimis genitum, penè puerum optimum militem, optimum imperatorem fuisse: consilio, ingenio, animi magnitudine, virtute, supra omnes nostri æui homines excelluisse: eundem & latini sermonis & quidem Græci peritiam atq; vsum, veluti natum in ijs atq; alitum, abundè cumulateq; habuisse: & ratione dicendi semper, quæ volueris, confecisse: & quæ gesta vnquã sunt, tum à quibus aut quando gesta sunt, tanquã omnia ipse gesseris, memoria tenuisse: & orbem ipsum terræ, quasi tuã domum, ita cogitatione comprehẽsum habuisse: itaq; omnium rerum, omnium temporum, omnium hominũ, omnium locorum conditionẽ mirabiliter tibi vni exploratã patuisse: nihil te sacrarum literarum latuisse, nihil nostrarum, hoc est, Poetarum et philosophiæ: te iustissimum, te clementissimum, te munificentissimum extitisse: incredibili cõtinentia, innocentia, religione, pietate, fide, constantia præditum: humanitate, grauitate, prudẽtia, sapientiaq; præstantẽ: aliorum in te iniuriarum æquè atq; tuorum in alios beneficiorum semper oblitum: nunquam in secũdis rebus elatum, nunquam in aduersis fractũ fuisse: non fortunam, non morbos, non mortem deniq; ipsam potuisse facere, quin eundem vultum, eundem animũ semper habueris. Itaq; hæc cùm homines repetẽt, illam te auẽ Phœnicẽ dicent fuisse, quam tua mater per quietem vidit, eum scilicet virũ, cui parem non est inuenire, cuiusq; mortuo ac sepulto corpore, animi facinora atq; virtutes, ignea cœli plaga, hoc est, ipsa immortalitas exceperit. Hæc inquam atq; alia Proc. de nostro Duce posteri omnes memoria repetent: cumq; repetent, nos miserrimos dicent fuisse,

qui

qui eo tum caruimus, cùm quidem maximè inciperemus frui. Nam per deos immortales, quid est quod nos amplius delectare poßit illo amiſſo, à quo nobis omnia honeſta & iucunda ceciderunt? Quid eſt cuius nomine vita nobis grata eſſe debeat eo mortuo, cui nihil erat gratum, niſi quod nobis vel voluptatem afferret ipſis aliquam, vel dignitatẽ? Amiſimus Proc. amiſimus omnem cauſam non ſolùm oblectationis, ſed omnino etiam conſolationis, qui Ducem noſtrum, qui optimum Principem, qui bonorum parentem omnium, qui noſtrarum fortunarum autorem, libertatis propugnatorẽ, ocij, quietis, ſalutisq́; patronũ amiſimus. Nam quæ noſtra deinceps vita erit, amore, beneuolentia, ſapientißimis conſilijs, amantißimis congreßibus, vultu, ore, oculis, conſuetudine, ſermone illius ſuauißimo iucundißimoq́; ſublato? Atq; vos quidem Proc. quantũ præſidij, quantũ ornamẽti amiſiſtis, videmini propè oſtendere, qui mœrore omnes atq; dolore confecti in lachrymis & ſordibus & ſqualore verſamini. Me quidem certè valde pœnitet viuere. Atq; vtinam illum ego potius meæ vitæ ſuperſtitem, quod erat quidem æquius, quàm ille me ſuæ reliquiſſet: ſatis enim diu atq; feliciter vixiſſem, ſi meo interitu eius interitum anteuertiſſem. Nunc viuo, vt quos ego poſtremos meæ vitæ annos firmioribus alumni mei annis ſuſtentatos mihi dulcißimos futuros exiſtimabã, eos ipſos deſiderio illius, luctu, ærumna, ſolitudine, orbitate mea experiar acerbißimos. An ego, me miſerum, potero aut nõ cogitare aliquando de illo, aut vnquam ſine multis lachrymis cogitare? qui mihi ſuauitate propè æqualis, propè frater, obſequio filius, amore & beneficijs quaſi parens optimus atq; mitißimus fuit? Quẽ puerum ipſe iuuenis in ſinu meo

atq; hisce in vlnis alui, adolescētem vir bonis moribus, bonis artibus institui, sumq; iuuenem domi foris omnibus pacis, omnibus belli muneribus obeundis, omnibus in terris prosequutus, eundem admirari virum, eiusdem me adiutore partis virtutibus frui mihi seni non licebit? Quo nitebar, cuius in spe acquiescebam, cui præsenti meas cogitationes omnes impartiebam, is mihi ereptus ex oculis vi fatorum est: ego ferus ac ferreus vitam adhuc retineo? quam cur Cæsaris gladijs non dedi? cur meo sanguine infesta illius tela lateri meo atque iugulo sæpius admota non imbui potius, quàm eum, cui me viuum ex tot periculis conseruaueram, ne mea mors dolore illum afficeret, mortuum aspicerem, vt mea vita sempiterno luctui dederetur? Aut cur non tū cessi, non emigraui, nō me huic calamitati præripui, cùm me magna vis febrium ita prostrauerat atque confecerat, vt ille ipse meus alumnus mihi suas lachrymas, quasi dona vltima inferiasq; largiretur? Memini enim, memini illius temporis, cuius vt nunquam obliuiscar, multa eius pietate factum est, cùm is mihi laboranti dies atq; noctes assideret, confectum iam ac planè moribundum spe vitæ consolaretur: quam ego cùm reijcerem, per suas me lachrymas, quas quidem plurimas effundebat, animo ne deficere obtestabatur. O vigilias tuas mi alumne tūc dulces, nunc acerbas: ô dies obscuros: ô noctes insomnes atq; miseras: ô curam meæ salutis officiosam, sed inanem: siquidem me viuere voluisti, vt cùm ego te vellem viuere, me non audires: me in vita senem retinuisti, vt ipse te iuuenem non possem retinere. O tuas lachrymas nimium fructuosas, quas ego aspiciens tibi obtēperaui atq; vixi, vt tu meas lachrymas quidē aspiceres, neq; mihi tamen obtēperares: ita

que meæ inutiles atque infelices fuerunt. Cur tu autem me incassum flere siuisti, si ego te non siui miser? cur meæ lachrymæ apud te nihil valuerũt, si tuæ lachrymæ apud me plurimum valuerunt? Repeto, repeto meam abs te pietatẽ: redde tu mihi illam, quam debes: restitue, reuiuisce, & si mori aliquem necesse est, senile hoc pro te atq; miserum caput deuoueo. Sed quid ego hæc nequicquam queror? me miserũ, ille non reuixerit: ego non moriar, sed ad omnes acerbitates ærũnasq; sustentabor. Itaq; finis iam sit querẽdi, atq; vtinam mihi esset etiam viuendi: esset autem, neq; paterer, vt illo mortuo me quis aspicere auras ducentẽ posset, nisi tua me Francisce Maria fili cùm egregia indoles, tum singularis pietas, cupientem mori de cursu reuocauisset: quarum nobis altera patri te tuo fore persimilẽ pollicetur, altera iam exhibuit. Itaq; quòd cœlum etiam nunc aspicio, quòd respiro, quòd senilem hanc vitam atq; hosce viuaciores canos quã vellẽ produco, mihi ex te vno proficiscitur. Quis enim, qui te intueatur, alloquatur, audiat, cũ te per ætatẽ confirmaueris, nõ illũ ipsum patrẽ tuũ in te reuicturũ putet? Si verò quo amore, qua charitate eidẽ patri tuo & sæpe corporis vexato doloribus, et demũ morienti affueris, & nũc quidẽ tuas in illum mortuũ lachrymas, tua officia plena curæ, plena pietatis, plena memoriæ videat, nõ iam te illius veros mores expreßisse dicat, nobisq; præstitisse? Itaq; cùm sæpe multa tuus pater prudenter sapienterq; in vita, tum nihil magis vnquã prouidit, quàm cũ te sororis suæ filiũ sibi adoptauit: vt quoniã se breui moriturũ sciebat, nobis te relinqueret, quasi imaginẽ atq; simulachrũ sui: qui populos ipsius morte prostratos, spe tuæ indolis erigeres, nos afflictos mœrẽtesq; subleuares: quod qui-

dem planè iam facis. Quamobrem si aliquis sensus inest mortuis, credo illũ, quo amore, qua in suos pietate semper fuit, vehementer lætari: non tam quidem quòd illi mortuo tantos honores tribuas, quanti certè viro Principi haberi maximi atq; amplißimi potuerunt, quàm quòd omnium huius regni, cuius te ille hæredem reliquit, vrbiũ, municipiorum, omnium harum gentiũ oculi eadem acie, qua illũ intuebantur, te nunc respiciũt: quæ suas spes, suas opes omnes in te vno sitas atq; repositas putant. Quod cùm ita sit, magna tibi adhibenda cura est, ne falsa is lætitia perfruatur, qui te verißimis lætitijs semper frui voluit. Magnum tibi onus, magnam prouinciam summus erga te patris tui amor imposuit, qui te tanto regendo imperio ditionique præfecit: longè verò maiorem ipsius virtus, quam tu vtinã superare poßis, atq; vincere: æquanda tibi certè est, ne videare cuius regni hæreditatẽ adeptus sis, eius virtutes asse qui atq; indipisci nõ potuisse. Simul & illud accedit, quòd quoniã is vir maximi cùm iudicij tum consilij semper est habitus, nihil est tam magnum atq; arduum, quod abs te non sperare modò homines audeant, sed planè etiam ipsi sibi polliceri, & suo quasi iure abs te repetere, propterea quòd aiunt sibi te illum adoptaturũ, hæredemq; institutum nõ fuisse, nisi te talem futurum, qui sustinere eius gloriam posses, sibi certum exploratumq; fuisset. Hanc te opinionem hominum confirmare sanè oportet cùm illius causa, vt rectè ipsum semper sensisse appareat: tum tua, vt tum maximè cũ de te bene senserit, ratione videatur id fecisse. Postremò etiam cogitare debes, ne immemor beneficij videare, quemadmodum ipse tantorum in te promeritorum gratiam illi debitam referas. Hanc autem nullo

pacto

pacto referre maiorem potes, quàm si ita te gesseris, vt ei gratia omnibus ab hominibus, quòd is te sibi filium instituerit, hæredemq; reliquerit, habeatur: quod cùm illius erit sanctißimis amantißimisq; tui manibus ad quietem iucundißimum, tum tibi ad gloriæ immortalitatem longè amplißimum, quam tu spectare atq; respicere omnibus in rebus semper debes, omnibus cogitationibus dies atq; noctes colere, vt non solùm tui æui homines, sed omnes etiam posteri, quod de patre tuo futurum iam vides, tuum nomen sint tuamq; memoriam celebraturi.

Hæc puer cùm recitauisset, peroratumq; esse dixisset, Sadoletus quidem atq; Philippus cùm inter se, tum ad Sigismundum conuersi, non pauca de laudatione illa, multa de Guido Vbaldo deq; eius filio sunt colloquuti. Me verò Sigismundus præter cæteros mortui Ducis misericordia permotum atq; perculsum nihil dicere cùm videret, illachrymasse etiam ijs quæ recitabantur animaduertisset, credo vt me ab ægritudine abduceret, tacentib. tandè illis. Primùm quidem, inquit, fuerat Bembe vosq; Sadolete ac Beroalde, quos amore mihi filios appellare debeo, ætate possum, idq; si esse posset maximè omnium cuperem, Guidus Vbaldus vt ne mortem obijsset, neue suo nos interitu mœrentes desolatosq; reliquisset, viueretq; potius, quoniam per ætatem poterat, multos etiamdum nobiscum annos: suasq; illas tot ac tantas virtutes, quæ propè acerbæ, florentes quidem certè, atque adhuc crescentes exaruerũt, canam ad frugem ei perducere seniumq; licuisset: quod quoniam effectum non est, proximum illud est, vt is qualis quantusq; fuerit, ne sileatur. Id quoniam fieri iam videmus, ferre quidè debemus æquius istam calamitatem,

ad eamq; rem cogitationes nostras reuocare, vt si eius æternitatem gloriæ aliqua ex parte augere nos quoque labore studioque nostro possumus, id ne prætermittamus. Quod cũ vobis tribus facere maximè conuenit, quibus singulis conficiendi maximè omnium facultas est data, tum quoniam cum illo viro ipse etiam familiariter vixisti, abs te id Bembe omnes etiam impensius efflagitabunt. Itaque non te debes luctui aut mœrori dedere: quid enim illi prodesse fletus vllus iam aut ægrimonia potest? sed id agere, vt quam illi vitam fata breuem esse atque præcipitem voluerũt, eam tum multò maximè diuturnam facias scriptis tuis. Tum ego: vtinam Sigismunde, inquam, in altero facere possem id, quod mones, tam graui accepto vulnere vt ne quid dolerem: reciperem tibi quidem in altero me curaturum, vt planè si quid possem, id experirer, nõ tam vt efflagitationi hominũ responderem: nam quæ potest hominũ esse vlla in re de illo efflagitatio, de quo nihil sibi quisquã promittere paulò egregium aut excellens potest? quàm vt illi pro sua in me beneuolentia atq; amore pietatem meam atq; memoriam literarum contestatam monumentis confirmatamq; rependerem. Sed non possum dicere Sigismũde, quãta cum illius corpore, ingenij animiq; mei pars atq; vis interierit. Itaq; neq; ad nostra quidem studia redire, vt consueueram, possum: neq; aliquid cogitare, præter hoc vnum; quo conficior, omne scilicet mihi meæ vitæ solatium atq; præsidium esse sublatum. Quamobrẽ tuum erit, qui horum temporum res gestas complectendi, prodendiq; literis laborem suscepisti, nostri quoq; Ducis historiam aggredi, cùm præstantissimi ac propè diuini hominis, tum certè Iulio Pontifici Maximo hero tuo nõ solùm amo-

re

re atq; beneuolentia, sed etiam necessitudine cognatione-que, coniuncti. Qua in re non vereor, ne ille, si hæc sentit, æternitati suæ optimè prospectum iri non sit existimaturus. Nam qui te melius facere id possit, nemo sanè est: nemo in hac scribendi ratione, maiori, quàm tu, dignitate atque præstantia est versatus. Quæ tibi si probabuntur, rémque perinde, vt te decet facere, suscipies, optimum certè atque aptissimum consolationis genus ad eius vxoris afflictæ atque miseræ lachrymas mœroremq; leuandum adhibebis. Magni enim præstantisq; animi mulier, & viri supra omnes fœminas amantissima, tum sibi illum minus ereptum putabit, cùm is in mentibus hominum atque sermonibus, magis magisq; ea, qua dignus est, gloria celebritatéque versabitur. Vtinam, inquit Sigismundus, aut is essem ipse, quem tu me Bembe quoniam esse maximè vis, interdum esse etiam putas, aut saltem in hac ingenij mediocritate, qua me esse sentio, ocio ne egerem: aggrederer quidem opus si minus consultò (permagna enim res est, valentiorumq; certè virium, quàm sunt meæ) at amanter, at officiose, at magno animo, at egregia propensáq; voluntate. Sed quid agam? an ignoras cui addictus Pontifici sim? quàm occupato domino? quàm omnium propè nationum, omnium gentium salutis, quietis, incolumitatis procurationem mente versanti, studio agenti, labore contentionéque obeunti seruiam? Itaq; me quæ negocia circũsepiant, qui circũstent semper cogitationẽ meam quasi mõtes scribendarũ epistolarũ nõ vides? vt mihi quidem multò sæpius somni & cibi capiendi tempus desit, quàm adsit horæ spatium, vt mihi libitum est, sic viuẽdi. Atq; hoc quidem diei, quod nunc vobiscum cõsumo, qui sic consumerem, si bona

valetudine vterer, profectò non haberem: essem enim vnà cum illo profectus, vt soleo semper, cùm mihi rectè est. Quamobrem non modò hercle mihi nouas ad res atq; historias capessendas adhibere animum cogitationemq; non licet, sed ne illam quidem, quam aliquot iam annos cudo, quamq; ipse commemoras, conformare penitus atq; conficere possum. Quod si mihi vnquam tantum ocij continget, quantum homini planè seni, ac per totam vitam exercitato laboribus profectò æquum iam erat contigisse, dabimus sanè operam, ne nos frustrà monuisse videare, cùm alijs quidem de causis, tum in primis, quia te existimare video Duci me tuæ maximæ cōstantißimæq; fœminæ rem ad eius dolorem minuendum idoneam accommodatamq; facturum. Magni enim eam mulierē facio, cùm propter eius reliquas innumerabiles eximiasq; virtutes, tum verò certè propterea, quoniam pudoris in illa & castitatis mira quædam incredibilisq; in omni ætate obseruantia atq; cultus viguit. Perpudicarum autem nunc quidem fœminarū magna Bembe paucitas est. Itaq; sic existimo hac tempestate quasi clarißimū lumen, extinctis cæteris eius mulieris pudicitiam elucere. Tum Sadoletus: Equidē cùm de Bembo, inquit, tum de alijs sæpe permultis audiui Sigismunde, qui dicerent, istam, de qua loqueris, fœminam sanctißimam profectò esse, multoq; maximè pudicißimam, eaq; virtute magnum illam nomen apud omnes gentes adeptam, in ore hominum multa cum laude gloriaq; versari. Itaq; nihil miror, quòd quasi clarißimum lumen elucere illius pudicitiā dixeris. Sed quòd extinctis cæteris dixeris, id miror. An tu illam vnam putas pudicam esse, castam, constantem, præterea neminem? Vide quid agas: nam si id rescierint reliquæ,

quæ, video tibi cum acerrimis hostibus bellum perpetuum esse susceptum. Tum ille: credo, inquit, tibi hoc Sadolete planè quod dicis, omnes scilicet fœminas mihi acerrimas hostes perpetuò futuras: inuolaturas etiam tanquam in Orpheum Ciconum mulieres, sic in me nostras impetu facto timerem, id si dixissem, ex earum grege tam innumerabili pudicam esse nullam, præter hanc nostram, de qua loquimur, Ducem. Ita enim se res habet, vt quanquam castæ atq; pudicæ non omnes sunt, vt leuißimè dicam, nulla tamen propè est, quæ credi haberiq; non cupiat. Itaq; ægrè molesteq; ferunt, cùm non habentur. Sed non hoc ita dico, elucere in ea fœmina pudicitiæ lumen extinctis cæteris, quasi quidem pudica nulla sit, præter illam: id enim tu non rectè interpretaris: quis aũt hoc ferret, si dixissem? sed quẽadmodum stellæ, tametsi semper quidem sunt atque lucent, tamen extinctæ nobis videntur esse, cum suum terris lumẽ sol explicuit, propterea quod in maximi atq; clarißimi apparitione luminis, illa stellarum quasi puncta ignea hebetantur, neq; emicant foris: ita etiam quæ in reliquis fœminis pudicitia esse aliquibus potest, est illa quidem pudicitia, habetq; suam per se ipsa lucem atq; splendorem, sed cũ ad illius vnius fœminæ pudicitiam comparatur, offunditur statim quasi multo maiore lumine, opacaturq; ita, vt nihil propè appareat, sed extincta intermortuaq; videatur. Caue enim putes Sadolete, vllam vnquam fœminam æquè magnum de se exemplum pudicitiæ præbuisse, atq; illa præbuerit. Quód nam istud tam magnum tamq; præclarum exemplum est, inquit ille? Nom enim te puto ita dicere Sigismũde, propterea quòd illa viro suo eum pudorem præstiterit, quem præstari leges iubent. Nam id per-

multæ ſanè mulieres fecerunt, quas cùm virorum, tum honeſtatis certè amor in officio continuit. Longè maius atq; admirabilius hoc quidem eſt, inquit ille, quod dico. Nam illa viro ſuo eum pudorem præſtitit, quem præſtari neq; leges, neq; mos, neq; conſuetudo vlla iubet: poſſe enim tantùm fœminas in hominum cogitationem nunquã incidit. Sed quare tu hæc de Bembo, cui propter illam quam cùm ea muliere habet familiaritatem, exploratiora reor eſſe, quàm ſunt mihi. Tum ego: mihi quidem iſta exploratiſſima, inquam, ſunt: coniectura autem conſequor Sigiſmunde, quibus de rebus dicis. Sed non cõmittam, vt quæ illa viginti propè annos ſumma ſua virtute conſtantiaq; reticuit (reticeri autem cùm ab omnibus, tum vel maximè vult à ſuis) ego nunc proloquar. Hic Philippus: Tu verò Bembe, inquit, magnam mihi cupiditatem iſto tuo ſilentio iniecisti audiendi ea, quæ hic dicit: quæ quoniam neceſſe eſt eſſe pulcherrima, de pudicitiæ enim exemplo quodam magno atq; inſolito loquitur, miror cur de illo ſilendum tibi eſſe potius, quàm cõmemorandum putes. Nam quid tam eſſe abditum, aut tam recõditum poteſt, quod ſi nobis duobus abs te proferatur, reprehenſionẽ cuiuſpiã vereare? Tum ego: Minimè, inquam, reticenda mihi eſſe iſta ideo cenſeo Beroalde, quòd ſit aliquid, in quo quidem veſtræ aut beneuolentiæ diffidã, aut certè, ſi ea opus ſit, taciturnitati: quarum altera nihil eſſe poteſt ſanctius, altera nihil verecundius. Sed quoniã, vt dixi, illa ipſa quæ id egit, ſileri ſua facinora vult, idcirco ſileo. Sileri aũt velle ideo illã puto, quòd cùm ſunt ipſa vix quidem credibilia propter inſolentiam, tum mulier ſua conſciẽtia contenta, hominũ rumores prædicationemq; nullis in rebus aucupatur, minimeq; omniũ

ci rei

ei rei studet, vt si quid ipsa bene recteq; fecerit, id sibi laudem vndecunq; potest pariat: quin sæpe in eo multò etiã negligentior est, quàm velim. Quamobrem referat, si ei ita videtur, Sigismundus, ita tamen ne emanent ea latius: id enim ego à vobis Beroalde atque Sadolete peto. Hic tum illi Sigismundum intuentes, explicaret enarraretq; rem cùm se cupere magnopere ostendissent, suamq; mihi fidẽ eius rei se in silentio futuros obligauissent, Ego quidẽ, inquit Sigismundus, referam: vobis enim gerere morem volo. Sed quam tu ab his taciturnitatem requiris, ea nihil opus Bembe est, vt videtur. Nam quæ taceri vis, sunt iam illa quidem multis hominibus cognita, neq; reticeri amplius vllo modo possunt, non planè mulieris ulla culpa, sed, quoniam ita sibi oportere is magnopere credidit, eius uiri. Itaque, quando ita uultis, num idem uobis de illa fœmina posthac existimandum sit, quod ego certè iampridẽ existimo, ut iudicare poßitis, rem præclaram admirandamq; cognoscite. Guidum Vbaldum constat, siue corporis & naturæ uitio, seu, quod uulgò creditum est, artibus magicis ab Octauiano patruo propter regni cupiditatẽ impeditum, quarum omnino ille artium experientissimus habebatur, nulla cũ fœmina coire unquã in tota uita potuisse, nunquã fuisse ad rem uxoriã idoneum. Huius aũt imprudens ipse rei adhuc omnino ignarusq; cũ esset, experimentumq; uirilitatis ulla cum fœmina nondũ cœpisset, id enim cauerat diligentißimè patruus, nubit ei hæc puella Francisci Gonzagæ soror cũ Mantuæ regno, quod quidẽ ab antiqua maiorũ suorũ serie acceptũ atq; traditũ poßidet, longè nobilis, tũ in rebus bellicis magni atq; præclari viri. Itaq; impubis admodum atq; tener suscipiẽdæ sobolis

studio, quippe in quem vnum huius tam egregiæ familiæ propagandæ ratio spesq; omnes incumbebat, ducit vxorem domum. Vno in lectulo cubant annos duos, cùm ille interea, quid planè posset, experiretur. Itaq; tandem cùm se frustrà periculum facere animaduertit, mœrens dolénsque vxori aperit, putare se magicis impediri, quo minus virum illi ostendere sese poßit: se miserrimum ac porrò infelicißimum nuncupat, qui cùm spe liberorum careat, tum illi nullam de se voluptatem afferre poßit, quam illa iure coniugij meritò expetat: demum videat, id si resciatur, suis se populis atq; omnibus planè gentibus despectui futurum. Mulier quæ multò antè id, quod erat, rata, nihil apud virum questa vnquam fuerat, nullum vlli mortalium verbum ea de re fecerat, tum illum solata hilari vultu orat, sustineat, feratq; fortiter fortunæ iniuriã: multos fuisse olim Reges, esse aliquos etiã tum, qui liberorum spe destituantur: præstare aliquando nullam sobolem habuisse, ita sæpe à bonis parentibus mali filij flagitiosiq; procreantur. Quod ad se attinet, bono animo iubet esse, nihil sese minus eum amare, aut in posterũ amaturam affirmat: quẽ quidem domo pudicitiæ suæ florem ad illum attulerit, eũ se vsq; ad rogum perlaturam: vt quando ipse, cui se destinauerat, vti illo perfruiq; non poßit, nemo homo vnquã perfruatur: tum daturam operam, vt quod biennium omnes mortales, ipsam etiam celauerit nutricem suam, id ex se resciri nunquam poßit. Vtq; dicit, etiam facit. Itaq; quatuor atque decem amplius annos vnà viuũt, cùm interea non solum populi, sed ipsi etiam eorum familiares intimique sterilitatis culpam ad mulierem potius traducerent, quàm ad virum: ita eius planè rei nihil vnquam rescitũ est,

neq;

neque nunc quidem esset, nisi eius ipse vir, omnia quemadmodum se habebant, aperuisset eo tempore, cùm is à Cæsare Borgia domo expulsus ad Gallorum Regem cuius in manu tum res erant, implorandi auxilij causa Mediolanũ se contulerat. Nam Rex in citeriorem Galliam cùm traiecisset, apud Insubres, quos quidem populos paulò antè suis prioribus regnis adiecerat, commorabatur. A quo cùm nihil impetrauisset, erat enim is Alexandro Borgiæ Pont. Max. Cæsaris patri fœdere officijsq; coniunctißimus: vitæ etiam suæ certior factus esset insidias ab illis fieri, diuortium cum vxore faciendi, quando ipse cum ea rem nũquam habuisset, seq; ad sacerdotium conferendi spem eis dedit. Quod cùm illi tanquam offam arripuißẽt, ita enim in Guidi Vbaldi regno propter mirum populorum in illum amorẽ nutante atq; labente cõfirmari se videbant, rẽ ad Regẽ detulere. Itaq; is an ita esset de Guido Vbaldo cũ petijsset, ille autem annuisset, res ita sciri cœpta est, breuiq; postea tempore in multorum hominum notitiam cognitionemq; permanauit: quam tu quidem Bembe tantopere silentio vt contineatur, postulas. Atq; his rebus omnibus Iulius nondum quidem Pont. Max. apud ipsum Regem cùm esset, non interfuit solùm, sed planè etiã præfuit: quo vno adiutore suarũ fortunarum omnium Guidus Vbaldus plurimùm vtebatur, in eiusq; fide atq; consilio sui in patriam reditus, omnem spem rationemq; positam atq; commẽdatam habebat. Sed vt ad mulierẽ redeam: non iam illa vnam præclarè tantũmodo rem, sed in vna re, res præclaras plurimas atq; permagnas sanè confecit. Nam primũ quidẽ omnium cùm facere diuortiũ lege posset, homini enim ad cõiugium exercẽdum minimè habili nupserat, planè noluit.

Itaq; cùm suscipiendæ prolis atque liberorum spei, quam iam animo conceperat, cuiusq; rei cura ad Reges maximè atq; Reginas pertinet: habent enim ipsi regna, quæ quidem vti liberis relinquere dulcißimũ suauißimumq; est, ita exteris alienisq; molestißimum: tum ijs quas ex coniugio fœminæ in tota vita capiunt voluptates, pudicitiã castitatemq; forti atque constanti animo prætulit: ad quas quidem voluptates & natura illã vti omnes, & deliciarum affluentia propter familiæ amplitudinem splendoremq; præter cæteras, & institutio vitæ ad virum capiendum, demum iam capti atq; in sinum recepti consuetudo vsus non modò illam excitare, sed planè accendere atq; inflammare penitus debuerunt. Deinde autem ita prætulit, vt tametsi illas ipsas voluptatum illecebras atq; inuitamenta quotidie ante oculos atq; ipsis in vlnis haberet, à viro enim, quo ita melius rem celarent, nullo tempore diuellebatur, vinci tamen se frangiq; ab ijs nunquã sineret, nunquã animum induceret, vt cũ simulatæ voluptatis specie singulis propè noctibus pertentaretur, verã semel voluptatem vellet tandem, qualis esset, experiri. Nam cæteræ quidẽ mulieres, quæ perpetuo pudicitiã coluerunt suam, vel se sacris dediderunt, à cœtuq; atq; omni consuetudine quamlongißimè virorum in claustra atq; septa sacrarum ædium sese abdiderunt, vel omnino ipsæ nunquam nupserunt: in parentum autẽ suorum domibus à virorũ vsu atq; conuictu, quantum fieri potuit, abstinuerũt. Hæc verò mulier in mariti domo, in splendore conuentuq; hominum, in iocis, in licentia, in libertate maritali, in audiendis ijs quæ virginibus reticentur, nuptis ac virum expertis non ita, in ipso viri thalamo, atq; lecto, in eius deniq; sinu viuebat,

bat, amore delitescebat, complexu, qualiscunq; is esset, confouebatur: vt cùm permagnum perq; arduum fuerit illam se virginem seruare voluisse, tùm planè mirum ac propè incredibile potuisse. Itaq; quod in reliquis fœminis summum laudis genus est, fuisse semper virginem, id sanè in illa pulchrum quidem atq; præclarum est. Sed habet aliud quo longißimè superetur: nam in eo vitæ genere fuisse illam semper virginem, id verò multo præclarius atq; diuinius fuit. Non enim suum ipsius solummodo sensum in eo, atq; innatam puellis omnibus ingenitamq; à natura experiundi viros voluptatem propensionemq; compescuit, sed multarum etiam rerum mores atq; naturã peruicit. Quæ res enim singulæ alias mulieres mouent, itaq; ijs abstinent, cùm abstinere viris cupiunt, eæ illam omnes nihil mouerunt, earum illa vires omniũ atq; acumen retudit. Quamobrem cæterarum laus impartienda illa quidem est multis rebus, quæ certè ipsis, quemadmodum dixi, ad retinẽdam pudicitiam plurimum opis atq; præsidij afferunt: habent enim consimiles sibi fœminas plerunq;, quibus cum viuũt, quas cùm vident in eadem vitæ ratione versari, accenduntur studio adiuuanturq; imitatione: habent sacrarum ædium parietes, qui non modò aditus difficultate viros pellaces atque improbos repellere, sed antiqua sæpe religione sacrorum etiam non pudicas cogitationes vidẽtur arcere: habent patrum & matrum & suorum ora vultusq;, quos obseruant, & verenter, qui semper adsunt, & quam semel eæ viã ingredi semitamq; voluerũt, in ea illa progredi etiã taciti hortantur. Optio etiam ipsa vitæ voluntasq; quantũ facit? vt cùm te vni parti dederis, tanquã in bello eos relinquere quos sequutus sis, sic illam deserere turpißimũ pla-

nè atq; indignißimũ videatur. Quid ipse vsus atq; institutio, nonne ad omnem vitæ rationem plurimum conferunt? vt multò facilius id fiat, quod vsu iam docti facimus, quàm id, quod est repentè conficiendum. Itaq; vt dixi, communicanda est cæterarum fœminarum laus cum multis rebus, & eius portio sæpe quidem permagna, semper autem aliqua illis danda. At verò suæ gloriæ tua Bembe Dux *nullam rem sociam habet, nullius adiumento ad illam promerendam est vsa. Totum illud, quantumcunque est, quod quidem maximum atq; infinitum est, ipsius proprium est atq; suum. Ipsa sibi debet, ipsa se audiuit, ipsa sibi se ad imitãdum proposuit, exemplum enim vllum non habebat: ipsa id egit, quod ne faceret, multa illam semper sunt dehortata: vt faceret, nullum adiutorem vnquam habuit, nullum admonitorem, præter se: nullius vocẽ aut nutum hausit, præter suũ. Postremò quãti illud faciendũ esse ducitis, mulierẽ nihil vnquã esse questam nõ modò apud uirũ, sed ne apud propinquos quidẽ, de illa fortunæ in se tã insigni iniuria? nihil vnquam lamentatã apud fratrẽ, apud sororem, ac ne verbo quidem vno rem suarum intimarum multoq; maximè fidißimarum vlli per tot annos aperuisse? tum nullum sibi ex eo nomen quæsijsse, ex quo si quæreret, maximam verißimamq; gloriam à se quæsitum iri perspiciebat? vtq; vnius hominis pusillam infamiam atq; notam caueret, omnium hominum vberrimas de se laudes præconiaq; despexisse? sua tantùm conscientia contentam, nullam à suis, nullam ab exteris admirationem suæ constãtiæ fortitudinisq; appetijsse? Quod quidẽ eo maius atq; illustrius est, quo laudem quærere, quæ rectè factis atque virtute proueniat, in laudum genere maximè reponitur,*

maximè

maximè hercle honestißimum semper atque pulcherrimũ fuit. Itaq; vt eò redeam vnde huc defluxit oratio, reliquarum quidem mulierum omnium, quas vidimus, aut de quibus audiuimus, aut omnino quarum historias assequi legẽdo potuimus, abstinentiam & castitatem laudare certè soleo: atque in eo mihi videor tantum laudis illis tribuere, quantum merentur. Huius nostræ perpetuam pudicitiam, fortitudinem, consilium, taciturnitatem, non modò nunc quibus verbis laudem, non habeo, sed ne perinde quidem ac debeo admirari me satis vnquam posse sanè confido. Illarum enim omnium humana mihi videri virtus solet: in huius tam præclaro facinore plurimum mihi videtur inesse demißi de cœlo muneris atq; diuini. Idem si vobis Sadolete ac Beroalde videtur, gaudeo: vobis enim maximè probari meum iudicium cupio: nam Bembo quidem hæc probatum iri facilè puto, modò ne velit etiam hac de re quid sentiat reticere. Tum Sadoletus: Mira quidem ista, inquit, sunt Sigismũde quæ dixisti: quæ si Beroaldus nunquã audiuit, ita illi etiam videri arbitror: adderẽ incredibilia, nisi abs te dicerentur. Nam per Deos immortales, quæ virorũ vlla probitas, quæ virtus, quæ fortitudo, quis voluntatis & consiliorum tenor, quæ perseuerantia vnquam fuit cum huius mulieris animi magnitudine, abstinentia, mentis constantia, æquabilitateq; comparãda? O auream virginem, ô præstantiam singularem, ô admirabilem incredibilemq; virtutem, ô nostra non omnino inertia secula, quæ quidem istam fœminam genuerunt. Atque adeò taceri his de rebus Bembus vult? Bembus istius mulieris tam egregium, tam immortale facinus ne resciatur cauet? Caue tu hoc quidem posthac Bembe vnquam dicas. Solem proe

pemodum intercipit, neq; lucere mundo vult; qui hanc mulierum omniũ latêre gloriam finit. Quæ cùm ille dixit, Ego verò, inquam, Sadolete ita esse ista cognita iam atq; palàm, vt video, vtq; Sigismundus cõmemorauit, non molestè fero: quæ quidẽ cũ ad eius ipsius de qua loquimur laudem atq; gloriã, tum ad aliarum mulierũ omnium, vt ipse ais, decus atq; ornamentum pertinent. Gaudeo aũt, quòd me autore non resciuntur, qui profectò contra illius volũtatem atq; sententiam neq; facere neq; dicere quicquã debeo. Sed nõ omnes illius mulieris laudes atqueadeo vniuersa rectè facta vno nomine pudicitiæ comprehenduntur. Multas alias bonas præclarasq; artes eius animus possidet: multis abundat ornamentorum generibus: multis virtutibus, quasi fontib. scatet. Nam vt ea prætermittam, quæ cũ mulierum propria sint, à muliere tamen nisi planè proba non expetuntur, innocentiam, pietatem, sanctitatem, religionem, obsequium in virum, diligentiã in familiares, studium in omnes, moderationem in priuatis rebus, splendorem in publicis, cæteraq; eius generis, quæ quidem in ea summa omnia eximiaq; conspiciuntur: quid illa tandẽ Sadolete, quæ porrò in maximis admiramur viris, quàm incredibilia, quàm illi propè diuina contigerunt? vrbiũ populorumq; regendorum scientia, legũ & iuris dicendi cognitio, regni procuratio, nõ illa quidem insolens elataq;, sed grata ciuibus, iucunda plebi, municipib. optabilis, expetita negociatoribus, accepta publicanis, agrorum cultoribus mitis, æqua socijs, probata exteris, omnibus deniq; omnium ordinũ, omnium ætatum hominibus cõmoda pla neq; popularis: tum animi in aduersis rebus magnitudo, moderatio tẽperantiaq; in secundis, prudentia, sapientia,

vnus idemq; semper vultus, vigilantia, labor, nihil tẽporis sine negotio esse, nihil non modò sine magno consilio face re vnquam aut dicere, sed ne aliud quidem quicquam, nisi optimè hominum de genere promerẽdo dies & noctes co gitare: virum deniq; ita agere, cùm abesset vir, vt neq; virum neq; fœminã desiderares: fœminam aũt, cùm adesset, ita præstare, vt tamen illam diceres velle se minorem, quã sit, videri: postremò in reos quã placabiles animaduersiones, quantæ in miseros afflictosq́; condonationes, quã honestæ munerum declarationes in bonos viros: deniq; quãta in hospites elegantia, liberalitas, quanti honores, quàm larga, quamq́; hilaris susceptio. Nemo hercle Rex, nemo *magnus vir in eius regno hisce temporib. atq; illos intra fines fuit, quin, si modò illam viderit, planè inuitus discesserit, atq; ita tandem discesserit, vt iuraret nullo se in loco vsquã aliàs aut elegantius aut amicabilius receptum hospitio fuisse: nihil sese illa fœmina magnificẽtius, nihil sanctius, nihil humanius, nihil deniq; maius atq; admirabilius vnquam vidisse, nihil orbem terrarum habere.* Neq; verò *meo quidem iudicio malè sentiunt, qui sic sentiunt: sentiũt aũt planè omnes, qui semel illam sunt alloquuti.* Nam cũ *est mulier corporis certè proceritate atque habitu, orisq́; pulchritudine & oculorum totiusq; vultus mira quadam & dulci venustate atq; mansuetudine longè amabilis: quãquam hæc conspectiora certè multò omnia illustrioraq́; olim fuere, nũc deflorescere decor ille formæ eximius, atq; flaccescere hilaritas, non tam quidem annis expulsa, quàm etiam fracta laborib. atq; curis obruta incipit: tum ita grauiter, ita prudẽter, ita scitè, ita blandè ac lepidè loquitur, ita purum recti animi sensum, atq; omnib. bonis moribus*

excultam mentē singula eius verba sapere, atq; olere propè dicam spiritus & voces ipsæ videtur, vt is lapideus planè sit, qui vnam cum illa muliere sessiunculam omnib. omnium mulierum delicijs voluptatibusq; nō præferat. Itaq; proxima æstate Beroaldus domum Roma per Flaminiam proficiscens, eam mulierem de itinere meo ductu cùm salutauisset, aspectu eius suauissimisq; sermonibus mirū in modum delectatus, mihi maximas gratias egit, qui ei autor, vt omnium virtutum exemplar aspiceret, sic enim illam appellabat, extitissem. Tū Beroaldus: Equidem, inquit, maximas tibi gratias atq; immortales & egi Bembe tunc, & nunc habeo, semperq; habebo, quòd illa de fœmina ea vt præsens cognoscerem effecisti, quæ ne mentiar, narranti tibi antea non credebam. Putabam enim te propterea, quoniā eius summopere virum atq; ipsam amares, coleres, ipsi verò multa in te necessitudinis officia familiaritatisq; contulissent, in illis narrandis amore atq; beneuolentia duci. Sed vt primùm illam vidi, salutaui, alloquutus semel atque iterum sum, tum profectò intellexi, & te apud me nihil supra veritatem loquutū, & ipsam porrò efficere sua præstanti singulariq; virtute, vt nihil possit vlla de fœmina tā egregium, tam amplum, tam laudabile, nihil tam singulare atq; magnificum, nihil tam extra consuetudinem aliarū matronarum positū verbis dici, quod ipsa re æquare tueriq; non possit. Itaq; multas sæpe fœminas vidi, audiui etiā esse plures, quæ certarum omnino virtutum, optimarum quidem illarum atq; clarissimarum, sed tamen perpaucarum splendore illustrarentur: in qua verò omnes collectæ coniunctæq; virtutes conspicerentur, hæc vna extitit, cuius omnino parem atq; similem, aut etiam inferiorē paulò,
non

non modò non vidi vllam, sed ea vbi esset etiam ne audiui quidem. An existimas Sadolete ijs illam bonis artibus tot atq; tantis, quas modo Bembus cõmemorauit, tantummodo abundare, præterea nullis? Falleris, si id existimas. Nam quid tibi ego dicam de studijs nostris mitioribus, quæ mulierum quidem ingenijs captu esse difficillima iudicantur, vsu verò etiã alienißima? quàm illa multa in his vidit, multa didicit, multa quotidie quærit de suis? Tum quo iudicio est, si quod vel nouũ illi poema recites, vel vetus? quã pauca illam fugiunt? Aliud mehercule in vita egisse mulierẽ nihil diceres, si illam audieris. Solutã verò eius orationem si videas, Dij boni, quàm Xenophonteo melle illitos omnes eius codicillos atq; pagellas dices. Itaq; doctrinæ studijs claros homines quanti faciat, quã libenter videat, quantis honoribus prosequatur, cùm eò te conferes, facilè perspicies: quò tamen si te prius contulisses, quàm aggressus esses Curtium tuũ, iaceret puto ille suo in lacu sine vllis tuis honoribus, quos quidem illi maximos ac prorsus immortales tribuisti: sed quã tibi Apollo tuus in eius magnanimi viri præclaro facinore heroicis illustrando felicißimam operam nauauit, eam tu profectò ad huius mulieris laudes virtutesq; celebrandas Deo etiã libentißimo contulisses. Hæc ab illis cùm dicerentur, puer ad Sigismundum venit, nuncians à Pontifice tabellarios properè venisse cum literis: quibus admißis, ille ad legendas literas sese dedit: nos, quoniam diei paulùm admodum superabat, discessimus.

P. BEMBI DE GVIDO VBALDO & *Elisabetha Vrbini ducibus, finis.*

PETRI BEMBI INSIGNIA, QVOTQVOT EXTANT, OPVSCVLA.

NEMPE,

De Imitatione libellus.

Cui epistola Io. Francisci Pici eiusdem argumenti præmittitur.

De Aetna Dialogus.

De Culice Vergilij, & Terentij fabulis.

Carminum libellus.

IO. FRANCISCI PICI AD PETRVM BEMBVM DE IMITATIONE LIBELLVS.

Io. Franciſcus Picus Petro Bembo Salutem.

VTRVM *tibi cùm antiquos imitanti ſcriptores, tum de imitatione mecum diſſerenti, aſſentiri an aduerſari deberē, nondum ſatis Bembe iudicaui, quando ipſos etiam veteres, qui proponuntur imitandi, hac de re cùm uarios, tum animi dubios fuiſſe planè comperiebam. Ipſa quoq; ratio ſeſe ita præbebat æquam vtriq; parti, vt quò vergeret nō ſatis appareret. Quamobrem ſi quæreretur autoritas, ſi ratio deſideraretur, quibus quaſi germanis ad veritatem indagandam vijs vtimur, lis adhuc ſub iudice manere videbatur. Verùm enimuerò dum cogitarem acrius, ipſamq́; imitationem animo uoluerē, in eam ſum adductus ſententiam, vti nonnihil quidem imitandam aſſeuerem, vſquequaq; verò non putem: imitandum inquā bonos omnes, non vnū aliquem, nec omnibus etiam in rebus, quod tute ipſe arbitrabare. Qua quidem in re vt ita ſentiam, multa me mouent: eoq́; animus inclinat, vti aduerſus te ſtandum facilè exiſtimem. Id ipſum tibi declarare tentabo, conaborq́; quibus potero rationibus, vt ſi non ego in te (quis enim in amicum, & talem qualis eſt* Bembus, *id faceret?) ſententiam feram, ipſe tamen fortaßis litem ſecundum te dandam minimè cenſeas. Ac primùm omniū ſatis cōſtat, imitatores à* Pla*tone vel inani, vel nullo verius titulo notatos, vt qui proprio digni nomine non habeantur, niſi quod eis illa ipſa imitatio fecerit. Inhoneſta verò* Flacci *nomenclatura damna-*

tos, & appellatos seruum pecus. Hinc videas omneis quicunque aliqua in re autores celeberrimi extiterunt, aliunde quàm ex imitatione gloriam, quæ de rebus præclarè gestis exurgit, eamq; comitatur vt vmbra corpus, sibijpsis quæsiuisse, ac potius vel intenta contentione aduersatos prioribus, vel adnixos longo eos interuallo præterire, non sequi. Qui enim assecla cupit semper esse, primum sibi nunquam vendicabit locum, ad quem videtur vel naturæ propensio, vel nescio qua certè ambitio totis viribus anhelare. At imitatus dicitur Homerus Orpheum *adeò, vt carmen quod hic poemati de Cerere composito præstituit, in* Iliade*, duobus tantum nominibus exceptis, oculatissimus cæcus ille transtulerit: nullus tamen inde honor est* Homero *partus: sed quoniam sonora magis grandioriq; tuba res* Troianas *cecinit, multa illum & vndequaq; est gloria consequuta. Obfuit magis quàm profuit imitatio* Vergilio*: quoniam præclarissimo vati, & quod ad iudiciū poeticum pertinet, omnium omnino præstantissimo, nihil ferè magis vitio verti solet, quā imitatio nimia veterum poetarū, à quo tamen vitio longè illum abfuisse censeo: neque enim omneis aliorum imitatus est partes: suos ipse habet numeros, propria tenet lineamenta, dispositionemq; in primis peculiarem & maximè propriam (vt alia taceam) quæ non sunt ei communia cum cæteris: æmulator veterum verius quàm imitator: & quanquam mutuò, si non furtò, quædam hinc inde quasi signa veterum atq; toreumata carpsit ad ornanda suorum poematum ædificia, proprijs tamē illa sunt ornamentis magis conspicua, atq; omnino magis illustria. Cicero quoq; neutiquā* Demosthenem*, quod multis creditur, enixius est imitatus: plerisq; sanè in rebus æmulatus suum retinuit filum & instituta*

ſtituta dicendi. T. Liuius Saluſtio clariſsimo hiſtoriarum ſcriptori, palmã vel æquam habuit, vel præripuit, diuerſam tamen cucurrit viam ipſius cõſequendæ gratia. Debita quoq; laude nec Cornelius, nec Curtius caruere, & primis illis & alter alteri diſsimiles. Quòd ſi Græcam tractes hiſtoriam, quæ maior quàm inter Herodotum & Athenienſem illum cùm ducem, tum ſcriptorem rerum à ſe geſtarum differentia ſtyli? vtriuſq; tamen laudes ampliſsimæ. Ad philoſophos ſi deueniamus Græcos, Ariſtotelis eloquentia magnopere celebrata eſt cùm Græcis, tum Latinis qui Græcè ſciunt. Platonis verò nunquã ſatis laudata, cùm tamen illius ſtylus huius ſit graphio diſsimillimus: nec etiã Atticæ ſimilis Muſæ, quanquam celebratiſsimæ, & Platonis planè diſsimili cùm ſcribendi ordine tum verbis, quibus hic ipſe Xenophon κοινοῖς, Plato autem καλοῖς (vt Græci dicunt autores) vtebatur. Non defuit autem Ariſtoteli facultas imitandi eum, præſertim cuius auditorij limen viginti annos frequentiſsimè contriuerat. Non defuit eruditio, non iudicium: maluit tamen ſuo in calle præcedere, quàm in lata aliorum via, vel ſecundus eſſe vel tertius. Inter Latinos verò Ciceronem & Varronem, quænã quæſo loquendi differentia? neq; enim hunc ille, quanquam vndecunq; doctiſsimum, aut ſtylo imitatus eſt, aut ordine rerum ſcribẽdarum & modo. Antiqui enim illi præclariſsimi viri, nunquam aliquorum imitationi ſtudebant, ita vt in eorum verba, membra, circuitus, iurarent, quaſi ſemper infantes, quaſi alitibus poſtponendi, quibus à parentibus extra nidum eductis, ſatis eſt ſi ter vel quater volanteis illos aſpexerint. Carpebant ex vnoquoq; quantum ſatis eſſe videbatur ad phraſim vel cõſtituendam vel ornandam, quæ tamen eſſent vel propriæ cognata naturæ, vel ac-

commoda materiæ quæ tractaretur. Sic & Celsus & Columella clari, nitidi, presi & elegantes: in altero tamen egregia mundities, in altero flosculi fortasse crebriores: imitationem in illis nihilominus vel nullam, vel certè paruam es deprehensurus. Genium propensionemq; naturæ eorũ quisq; sequebatur. Etsi enim homo omniũ maximè vim obtinet imitandi, vt hinc & multa & varia discere posit, quod scribit Aristot. in Problematib. eaq; de causa poeticã homini naturalem esse, primo quẽ ea de facultate libro scripsit, est apertè testatus: propriũ tamen & congenitũ instinctum & propensionem animi nactus est ab ipso ortu, quam frangere & aliorsum vertere, est ipsam planè violare naturã. Itaq; cùm nostro in animo idea quædam & tanquã radix insit aliqua, cuius vi ad quodpiã muneris obeundum animamur & tanquam ducimur manu, atq; ab alijs quibusdam abducimur, colere illam potius quàm incidere, amplecti quàm abalienare, operæpreciũ est: nihil enim, nostræ consulens fœlicitati, aut à virtute alienũ, aut noxium nobis impertijt ipsa natura. Ideam igitur vt aliarum virtutum, ita & rectè loquendi subministrat, eiusq; pulchritudinis affingit animo simulachrum, ad quod respicientes identidem & aliena iudicemus & nostra. Neq; enim eam quisquã adhuc perfectè attigit, vt hac in re illud etiã posit dicier: Nihil omni ex parte beatũ. Quandoquidem non vni tantùm, sed omnibus & uniuersis distribuit præclara sua munera, vt ex ipsa uarietate totius vniuersi pulchritudo constituatur. An putas frustra prudentem illum pictorẽ censuisse, omnia se vno in fœmineo corpore reperire non posse ad venustatem? Et incassum putas prudentisimum oratorẽ eius industriam secutum, longè etiam illum præterisse iudicio, qui vt imaginem illam pulcherrimi elo-

mi eloquentiæ corporis effingeret, omneis delegit uiros facundia præstantes, cùm ille quinq; solùm Crotoniatas selegisset virgines pulchritudine celebratas: nec satis illis fidẽs, formam ipsam seu speciem absolutã eloquentiæ nulli prorsus addictam, sola imitatione dignam existimarit? Imitari itaq; eam debemus quã animo scilicet gerimus dicendi perfectam facultatem, qua & aliorum & nostra cùm errata in obeundo loquendi munere, tum virtutes etiam metiamur, siue ea ipsa penitus innata sit idea, atq; ab ipsa origine perfecta, siue tempore procedente multorum autorum lectione cõsummata. Ea fiebat ut M. Ciceronis aures semper Demosthenes non impleret. Ea ipsa Patauinitatem in Liuio causabatur Asinius. Ipsa eadem & Brutus elumbem Ciceronem quanquam amicum præcipuum iudicabat: alij Asianum, tumidum, redundantem, nimium, uiro molliorem. Qua etiam factum opinor, vt nec aliquem vnum scrupulosius imitandum vel Celsus vel Fabius præceperint: neq; etiam ipsi fuerant Ciceronẽ, quem maximè laudant, imitati. Quid enim causæ fuit, vt tot illos uarijs non solùm in rebus, sed vna eademq; in facultate diuersos dicendi artifices posuerint in medium? nisi vt vel ab hoc, vel ab illo, quod placeret magis decerperemus, siue impulsu acti naturæ, siue iudicio. Nam qui non ita censent, illud oro dissoluant, cur ij qui Ciceronem tam laudant quàm qui maximè, illum ipsum tamen nõ sunt imitati, stylo scilicet & figura dicendi? An id scilicet facilè non potuerunt, Celsus, Cæcilius, Plinius, Fabius, alij Ciceronis seculo proximi, cùm restarent adhuc tanquam reliquiæ & inuiolatæ illæ quidem puri Romaniq; sermonis, ipsamq; latinitatem sugerent cum lacte nutricum? An ignorarunt imitandum esse, magno scilicet &

excellenti ingenio viri, qui & alijs de imitatione præcipiebant? Dicendum potius uidetur eos noluisse: ne si voluisse quod non potuerant asseramus, uel tacitò nos eorum opponamus gloriæ, qui quod illi non potuere uiri clarißimi, nos ipsi vel obtinuerimus, vel speremus. Dicturus est fortasse quispiam, eos qui magis nobis placēt, esse magis imitandos: quod ego quidem non condemnarim: placeat præ alijs Plato, placeat Cicero, nō opinione solùm: sed stylo Platonicus: eos sequamur. Nam quanquam sua est cuiq; propria facies animi, sicut & corporis, vt duos omnino similes non facilè sit inuenire: minor tamen in animo nostro cū aliquibus præ alijs est dißimilitudo, atq; per hoc facilius erit nobis vti similes euadamus: meminerimus tamen nos simias nō esse oportere, quæ deteriora sibi deligunt ad imitandum. Sunt enim qui næuos, qui cicatrices, qui maciem, qui excrementa etiam effingere velint, uel nulla vel minima ratione habita, & lacertorum & viuidi roboris & gratiæ: ab ijs non dißimiles, quibus magna est cura, vt rara quæpiam vocabula, quæ fortè aut Ciceroni exciderunt multa scribenti, aut vitio temporum fuere in eius libros introducta, adeò vt si ab inferis excitaretur, à se prompta negaret, gestientes surripiant: uel etiam quæ mancipes librarij, integritatē lectionis dum passim corrumpunt, edidere, ipsi obseruēt magna cum diligentia. Superfluum præterea uanumq; existimari debet, si ad omnem rhetoricam portionem imitatio adhibeatur. Inuentio enim tum laudatur magis, cum genuina est magis & libera: explodiq; solet quæ reptitia iudicatur, nedum accersita. Vndenam quæso illud, furem non poetam fabulam dedisse? An etiam aliunde prodijt, vt illi omnes damnarentur, qui dum Musarum & Apollinis haberentur ludi, aliorum imita

tione sibi quæsiuissent vnde probarent, & soli relata sit à Criticis palma, qui ex sese & ex propria penu eruditi promꝑserat obsonium animi, tametsi eo nō ita conuiuarū gustus oblectaretur? Dispositio verò sequitur inuentionem, ita, vt hic qualis fuerit, talem quo ritè disponatur ordinē expetat, ne id quod effingis quasi intellectile corpus orationis, aut vasta nimis, aut pusilla nimis, aut omnino præpostera membra deforment. Tua autem hæc vt sit, necessariū dubio procul omni futurum arbitramur: eoq; maiori tibi fuerit adnitendum diligentia, à te ipso videlicet non ab alijs petenda. quo maioribus ingenij viribus in ea perficienda opus est, si Plinio maximè crediderimus affirmanti, & barbaros etiam inuenire magnificè, & enunciare, rectè verò disponere & figurare non nisi eruditis cōcessum esse. Elocutio verò num & ipsa sequitur inuentionē? quando diuersam ad materiam diuersa phrasis adhibenda est. Num & ipsa quoq; dispositionem comitatur? huic enim alia, illi alia tribuenda est, ita vt à teipso omnis tandem pendeat oratio. Nam de memoria & pronunciatione tacendum puto, quando earum neutra chartis mandetur, & alteram nulla extimatione tibi compares, sed ex matris (vt inquit Lucillius) bulga tecum ferās. Vt autem hæc exercitatione perfici solet, ita exempla maiorum alijs partibus, quæ referri literarum monumentis queunt, opem ferre non mediocrem iure affirmauerim. Poteris enim inuentionem quapiam de re ab alijs traditam vel æmulari, vel superare: poteris disponere melius, eloqui etiam ornatius. Neq; enim quasi vetula mulier suis est viribus parens effœta natura, vt nostro scilicet hoc seculo quasi nimio partu lassata defecerit. Nec Deus optimus maximus nostræ ætati non est largitus ingenia: vtinam tam bene ex-

colerentur, quàm bona sunt edita: & non inanibus nugis ac fabulis quasi glande & siliquis edendis dedita, sua alimonia fraudarentur. Ita enim macerata sunt nonnulla, & quasi tabe consumpta, alioqui suapte natura formosa, vt simulachri & euanidæ vmbræ magis, quàm viui animi effigiem præ se ferant. Crescũt (vt mea fert opinio) verius quàm decrescant ingenia. Multa enim quæ ad rerum spectant notitiam, & nostrum seculum, & huic proxima nouere, quæ docta illa ignorauit antiquitas. Lingua certè veteribus illis cùm Græca tum Latina quasi natiua adfuit, quam ab eorum libris petere nos oportet: quibus maior ea de re fit legitimæ laudis accessio. Illi enim vel nolẽtes, & in Hellade Græcè, et in Italia Latinè loquebãtur: nobis Italis qui Latinè loquamur, nedum Græcè, id nostra est partum & elaboratum industria: inde fiet, æquum rerum æstimatorem si sortiatur nostra ætas, posse eos qui nunc mediocriter loquuntur, præcipuis illis & antesignanis iurè præferri, qui scilicet inter Gothos, Vandalos Hunnosq́; versati, priscã illam & tot seculis abolitam dicendi rationem aut teneant, aut tenere conentur imitatione continua. Qua etiam in re mira subtilitas & fortè nimia. Nam nec cursu solùm veteribus similes, nec gressu vel esse vel videri volunt quidam, sed ita incedere, vt eorum in vestigijs ponant vestigia. At si veterum maiora vestigia fuerint, vt etiam corpora, num in illis minor pes firmabitur, an labascet, si solum maximè subudum fuerit? si verò illa nostris minora extiterint, num excludentur curiosi pedes & frustrabuntur voto? æquum enim vestigium quod omni ex parte quadret, quis inuenerit? ni calceorum fortaßis officina quæpiam è Romanis eruta ruinis, formulas nobis quasdam subministrauerit. At quot veterum pedes,

tot

tot calcei. Nec ambigas Bembe, etiam si antiquà sandalia in absconditis thesauris inueneris, & aptaueris tibi, te vnquã propterea posse à Criticis impetrare, vt antiqua credantur. Efficiet hoc inuidia: semper simultas erit in causa, quoad illam ipsam dies longa praescripserit. Neque enim alia habebuntur quàm noua, hoc est, non absoluta, nec omnibus perfecta numeris: quod quidem in signis euenire persaepe sumus contemplati, quae & si quando praestantiora fiunt quibusdam, quae vetustis illis seculis exculpta fuere, nihilominus cùm vt noua circunferuntur, imperfectioribus posthabentur, tantùm vana illa mille annorum imago quasi pestis inuasit hominum iudicia. Nam si vetera creduntur esse, si etiam spectator est animi dubius, antiquá ne sint an minimè, mira laus, nulla insurgit censura rigidior: at si compertum fuerit recenter edita, prodaturq; etiã nomẽ opificis, tum mille Aristarchi, tum & sibila quandoque erit audire: tum non tertius modò cadet de cœlo Cato, sed & Timon atque etiam Momus exurget ab inferis. Nouimus hominem scripsisse epistolas sub Ciceronis nomine, quae non laudi solùm, verumetiam admirationi maximè fuerint: eundemq; ipsum epistolis Ciceronis suum adscripsisse nomen, demptis tantummodo ijs vocabulis, quae prodere fallaciam possent. Es ne Bembe crediturus, quòd illae ipsae Ciceronis epistolae, & rubras ceras, & virgulas, & asteriscos, & obelos, & sexcentas censorias notas perpeti quiuerint nouae inscriptionis causa, quae tamẽ antea sub veteri titulo fuerant nunquã satis laudatae & celebratae? Incassum igitur sategerat ille prioribus in epistolis, dum verba rimabatur, dum caesa metiebatur & membra, dum circuitus deligebat, dum numeros mandabat memoriae, dum obseruabat

lineamenta, vt quæ scribebat Ciceronis esse viderentur: poterat enim paruo impendio & labore id præstare titulus, et auferre. Sed illud quoq; ad nimiam auiditatem imitationis compescendam facere potest, quòd mediocris etiam autoris scribendi genus, nedum Ciceronis, non imitabile videtur omni ex parte, si quæ de complexu illarum muneris loquendi partium suprà diximus, ad memoriam reuocentur: vbi enim inuentio, quæ quasi materia orationis est, eadem non habetur, nec forma, nec quæ illam nexu inseparabili sequitur dispositio, eadem prorsus habebitur: si autem similis, quoquo modo: si dissimilis, nullo pacto conueniet. Quotum autem quenquam reperias, etiam si accersas Aesopi graculum pennis ornatũ alienis, qui quæ aliorum sunt propria, eadem prorsus & impudenter cogitet expromere, & impudentius disponat, & effutiat impudentissimè? Sed fac eadem esse omnia, mox dimoue lineamentũ, verte membrum, varia numerum, tolle circuitum omnem orationis, integritatem sustulisti: adeò constat illa coagmenta, nec eis omnibus quæ sibi propria peculiariaq; adsciscit, vt ex illis ipsis eisdemq; solis, non alienis, non mixtis, non permutatis, con fletur atq; dissultet. Huc accedit scripti genus varium, quod variã quoq; sibi vendicat phrasim. Ciceronis enim Orationes, libri de Oratore ad Quintum fratrem, de claris oratoribus, & alij pleriq; magno eloquentiæ inundantur flumine, si non potius Oceano: sed illic ipse tam vastus fluuius vix irrigat Rhetoricos libros: & eos qui de Vniuersitate, & de Fato inscribuntur: idemq; ipse vix stillat in Topicis. Mutatur quoq; ætate mutata: & ab eodem Cicerone dicta est canescere oratio, quæ alia itidem est dum monet, alia dum respõdet, diuersa quoq; dum deprecatur, dum interpretatur,

dum

dum inuehitur. Varia item pro varijs animi affectibus: & sæpe corporis, nedum rebus, quæ ipso sunt explicanda sermone. Hunc igitur vnum dices imitandum, quẽ natura produxerit, vt in eo suas vires omnes experiretur eloquentia: eoq; fieri vt miscere, cùm ipse sit etiam varius, ipsum Ciceronis filum queas, & quaq; de re, quæ tibi dicenda tractandaq; fuerit, poßis ipsius more, & (vt sic dixerim) Ciceroniane loqui. At fortè veritas esset in connexo, ni duo illud apertè distraherent. Primum, quòd propterea quispiã non esset Ciceroni similis. Huius enim verba, etiam si loca mutent, erunt tamen verba Ciceronis, non autem Ciceronis ea constructio, quam ipse non struxerit: sed tanquam ex lapidibus illius alius murum confecerit, cui si quidpiam alienæ calcis & intriti misceatur (ne verò misceatur, fieri nequaquã poterit) sed etsi lapidem lapidi iunxerit hærentius, aut minus nimioúe plus in dolio mersauerit, nequaquã Tullianus paries ille futurus est. Alterũ est, quòd tacitò videris existimare, vt cæteri autores legitimi non sint naturæ partus, sed tanquam abortiui, ac vt cum eis præclarè agatur, veluti octimestres infantes habendi. Si ita reris, si ita censes, dabitur prouocatio ad eloquentiæ magistros, antiquos illos quidem & probatißimos: ipsum etiam appellabo Ciceronem: proposuerunt enim non vnum quempiam, sed multos imitandos: nec id satis, ad ipsam ideam filum esse dirigendum præceperunt. Num igitur mihi, quæso, licebit, num et expediet vim Demosthenis, quanquam eam expreßisse Cicero dicitur, in ipso potius Demosthene, vbi inesse illam nõ ambigitur, & demirari & imitari? Sic & copiam Platonis, & iucunditatem Isocratis, à fonte puro, non à decurrentibus riuis, vbi ipsa miscetur eloquentiæ lympha, combibe-

re. Adde quòd alio hic, alio ille charactere delectabitur, & alia afficitur figura dicendi: vt nec frustra nec inconsultò varios eiusdem rei dicendæ modos, quæ chriæ dici solent, veteres illi qui eloquentiæ tradidere præcepta, excogitauerint. Nec nequicquā habuerunt diuersa genera dicendi probari diuersitate videlicet iudiciorum, à diuersa humani temperamenti proprietate manantium, hinc amplum & augustum dicendi genus, hinc exile & tenue, hinc ex vtroq; permixtum: in quibus qui excelluerint, diuersi diuersam quoq; sibi gloriam parauerunt. *Hinc & siccum & nudum, hinc succulentum & vario eruditionis colore vestitum. & hæc omnia introducta sunt duce natura.* Erit enim ille suopte ingenio Laconicæ breuitatis amator: alius Asiaticæ fertilitatis auidus: hic Atticæ illius & aureæ mediocritatis æstuabit desiderio: Rhodio ille temperamento delectabitur: tot sunt variæ animi voluptates, vt etiam de numeris terminandæ clausulæ & pedibus, multa sit inter antiquos atq; inter Aristotelem & Ciceronem orta dissensio. Induebant animum illi varijs habitibus, ceu ipsis quoque vestimentis induimus corpora: atque vt in his, non secus in illis varia materies, variæ figuræ, varijq́; colores, & placebant olim, & nunc etiam placent. Sunt enim nostra tempestate plurimi, qui panno vestiantur libenter, qui sit contextus ex lato illo Ciceronis stamine, & presso Plinij subtegmine. Admittunt etiam tramam Celsi, & Columellæ. Alij, quia frigus fortasse metuūt, conantur vt euoluāt scrinia Carmentæ, vnde peplum surripiant aptandum sibi. Nec eo contenti vetustos illos & cariosos Romanorum augurum & Martiorum fratrū cophinos adeunt. Atq; cùm resciuerint Catonem & Ennium ditasse patriam, in eorum etiam supellectilem præ-

dabundi

dabundi & populabundi penitus irruant. Nec desunt qui asinum cùm existiment bellum animal & aureum, de illius pilis sibi lacernam conficiant. Qui verò abalienati sensus hæc signa ducerent, artis medicæ regulis freti, audiant Hippocratem, ætati, tempori, consuetudini quidpiam dandum esse præcipientem. Sed vt in summa dicam: vt varij sunt autores, & in suo quiq; genere probati, varia quoq; humani animi propensio, atqueadeò diuersæ in eadem etiam facultate ideæ speciésue dicendi, lata, pressa, mediocris, austera, dulcis, diuersáq; quasi fila, diuersæ texendæ apta orationi: quibus de rebus apud probatos autores cùm alios, tum maximè Dionysium et Hermogenem præcepta dantur. Ad vnam hæc omnia, quam in mente gerimus, ideam referenda sunt, & habenda est in consilio ratio, mixtioq; paranda talis, vt vna ex omnibus, quæ nulla sit illarũ, sed perfectissima tamen illa quidem, quoad fieri poßit, & confletur & coalescat oratio: tantum abest vt quispiam vnus vsquequaque sit imitãdus, quasi ille Deo præstaret Opt. Max. qui nobis vsquequaq; imitandus nõ proponitur: neq; enim potentiam eius possumus, nec sapiẽtiam aut debemus aut possumus omnino imitari: sed quam ille voluit ex sole illo intellectili nostris mentibus illucescere, eam ipsam excolere operæ pretium est, ad ipsius Dei manifestandam gloriã, ad accendendum nostris in pectoribus amorẽ diuinæ bonitatis, quæ quidẽ nobis quoad vires nostræ queũt efficere, proponitur imitanda amore intentißimo, et officijs, qui de illo prodeũt: quibus & boni ipsi efficimur, et vmbratilis huius vitæ peracto cursu, omnino felices. Hæc habui ad præsens, Bẽbe, de imitatione quæ dicerem, sex (ni coniectura fallor) aut septem horarũ spatio, eoq; interrupto ac sine libris, stylo &

memoria vsi: quicquid sese obtulit arripuimus atq; compẽgimus. Scis enim me more tabellarij, mutatis etiam ad celeritatem iumentis, hucusq; cucurrisse. Sed neq; inficias iuero, me deprecari culpam, si qua occurrerint errata. Quare si biulca magis & diuulsa, quàm sonora & pressa compositio: si fracta & stridula, quàm æquabilis aut numerosa videbitur, veniam præstes oro: sicut & poeticæ venæ in edendis inter expellendam Venerem atq; Cupidinem carminibus arescenti nuper, vt arbitror, præstitisti. Qui enim fieri potest, vt præter hæc etiam ab æquo non absoluar iudice, qui inter Theologos atq; Philosophos nostrates istos recẽtiores mente quidem plusquam subtiles, sed rubiginosa & plusquã barbara lingua diutißimè versatus, ad mansuetiora studia, ad rhetorica delinimenta numerosq; poeticos interdũ quodam quasi postliminio reuertor? Quibus in numeris et exculta illa phrasi à priscis illis ducta temporibus, si nostro hoc seculo inter eos qui nunc viuunt, & nobis noti sunt, ipse tibi palmam non vendicasti (quod ego nequaquam obstinatè negauerim) propior tamen aut es, aut iam breui es futurus primo, quàm tertio. Vale. Romæ,

XIII. Calendas Octobris,

M.D.XII.

PETRVS BEMBVS IOANNI FRANCISCO PICO S. P. D.

RECTE atq; amãter factũ abs te est, quòd eius sermonis tuas partes, quē vnà de imitandi ratione nuper habueramus, etiam tuis ad me perhumaniter scriptis literis perferri voluisti. Quanquã enim propter eximiam tuam in omni genere doctrinarum præstantiam, & meum summum erga te amorem, singula tua dicta inhærescere penitus in sensibus consueuerint atq; memoria mea, tamen ea ipsa prodita literis, & stabilius atq; diutius permanent, & facilius repetuntur. Tum accidere etiã illud solet, vt ea quæ chartis mandantur, pleniora vberioraq; sint, quàm quæ homines inter se colloquuntur: addit enim semper aliquid stylus & scribendi mora, crescitq; cogitatione ipsa oratio. Itaq; sermo ille tuus, qui me mirificè delectabat cùm te loquentem audiebam, idem perlectus in tuis literis, mihi sane multò iucundissimus fuit. Quibus omnino literis, quoniã me amantissimè prouocas, respondebo, nõ tam quidē aduersandi tibi studio, quàm tuendi mei: neq; tam refellendæ tuæ sententiæ causa, quàm ne, quæ me rationes impulerunt vt eos laudarem, qui quidem, quē scirent in eo scribendi genere, in quo sibi elaborandum esse duxissent, excellere ac præstare cæteris, illum sibi vnum ad imitandum proponerent, eas tu rationes cognosceres, quas tibi corã explicandi mihi sanè ocium non fuit. Sed antequam illò veniam, peto abs te, quoniam initio literarum tuarum ita scribis, videri tibi imitandos esse omnes bonos: cur in reliquis earum ipsarũ literarum partibus, eos qui aliquando imitati sunt, vniuersos vi-

tuperes, laudes nullũ? Hoc si te propterea dices facere, quia malos quidem habeas, quos reprehendas: bonos, quos ornes, nõ habeas: primùm id quidem verisimile nõ est, imitandi artem esse aliquam, quæ laudabilis sit, ea verò arte qui sit rectè vsus, neminem vnum inueniri, præsertim in tanta imitatorum frequentia, quantã necesse est & esse nunc, & fuisse antea omni tempore, & deinceps semper futurã. Imitan*di enim vim atq; sensum, ac æmulatione quadam mixtam cupiditatẽ, natura omnibus hominibus tribuit, quæ sedari & comprimi ratione quidem potest, euelli prorsus extirparíq; non potest.* Deinde, *si tibi concedatur, imitatũ fuisse rectè neminem (video enim tibi etiam* Maronẽ *ipsum bonum imitatorem non videri) cur eam probas artem, in qua tametsi innumerabilia se clarißima ingenia exercuerint, laudem tamen boni artificis atq; nomen tuo iudicio nullum est eorum consequutum? ac planè cur non potius ad eorum te sententiam contulisti, qui affirmauerunt imitari non oportere, damnaueruntq; quicunq; id facerent, & quoquo modo?* Aequius *enim fuerat, vel in illos te non inuehi, quorum artem antea probauisses: vel eam artem non probare, cuius amantis & studiosos homines tantopere fueras tamq; multis verbis improbaturus.* Nam *id quidem, quæ tua est in scribendo vis ac eloquentia, facillimè assequêris, vt illos acriter ac vehementer insectere.* Quã *tu sententiam si esses assequutus, & tibi campum liberiorem disputandi patefecisses, & mihi laborem respondendi tuis literis non attulisses.* Reie*cissem enim te ad* Pauli Cortesij *epistolam, bellam illam quidem, & cùm argutulam, tum etiam grauem, qua is* Politiani *vicini sui, docti mehercule ac ingeniosi hominis, sed, vt mihi quidem videtur, non multum prudentis, leuitatem fregit, qui*

qui Ciceronianã illam ſcribendi rationem atq; formã, à qua longiuſculè abfuit, ſeſe aſſequi nullo modo poſſe cùm videret, ad eos damnandos, qui ſibi illum exprimendũ ſumpſiſſent, quiq; omnino ſtylum imitatione aliqua colerent, ſe cõuertit. Itaq; *Paulus doctè ſanè ac prudenter illius diſsimulationem reijciens, tibi etiã ſatisfacere potuiſſet, ſi cum illo ſenſiſſes.* Nunc *aũt cùm affirmes, imitandũ quidem eſſe, verùm non vnum aliquẽ, ſed omnes bonos: hoc quemadmodum accipias, nõ intelligo.* Nam *ſi omnes ij, qui aliquo vno in genere boni ſcribendi magiſtri ſunt habiti, pares inter ſe ſtyli nobilitate ſcriptionumq; elegantia extitiſſent, concedi tibi fortaſſe poterat id quod dicis, nõ vni eorũ operam à nobis eſſe dandam, ſed planè omnibus.* Nunc *verò cùm vniuſcuiuſq; ratio vel ingenij vel artificij, vniuſcuiuſq; cùm ingenio tum artificio diſpar eſſe diſsimillimaq; reperiatur, ſitq; alius alio præſtantior, quid eſſe cauſæ poteſt, quin ſi melioribus operam dederimus, eos qui minus boni ſunt, negligamus?* An *ſi inter illos, quicũq; boni dicuntur eſſe, vnus eſt omniũ longè optimus longeq; præſtantiſsimus, vt quæ ſingula inſunt in cæteris, ea vniuerſa in vno illo ſplendidiora etiam ornatioraq; conſpiciantur, eum vnum multò omniũ maximum atq; ſummũ rectè imitati cũ fuerimus, niſi illos etiã qui boni mediocriter habentur, imitabimur, nihil proficiemus? quaſi neceſſe ſit, qui* Apellis *more pingere didicerit, cuius artem reliqui pictores admirati, primas ei partes ſine cõtrouerſia tribuerũt, illum etiã* Polygnoti & Thymantis *tabulas, à quib. docerẽtur, adhibuiſſe: aut eum qui* Lyſippi *excellens ac præclarũ fingendis imaginibus artificiũ expreſſerit,* Calamidis *ſigna rigida, vel etiã magis rigida* Canachi *fuiſſe cõtemplatum.* Atq; *illi artifices cùm* Alexandri *vultũ imitari ſuis arti*

bus cuperent, neminem alium intuebantur, mentẽ in eum vnum suã atq; oculos intendebant. Nos, *qui eius scripti simulachrum quod sit pulcherrimũ & perfectissimũ, nobis proponere debemus, in quo effingendo studium & diligentiam adhibeamus, cùm illud ante oculos habeamus, ad eorũ etiam quæ non ita pulchra sunt exprimendas imagines, curã atq; animum traducemus? Mihi quidem falli* Pice *videtur, qui sic existimat.* Neq; *enim ita formati à dijs immortalibus sumus, vt cùm suppeditare nobis ea quæ prima sunt valeamus, sectemur quæ secunda sunt, multò minus quæ sunt infra secunda: animus enim noster summum quiddã semper atq; altissimum suspicit.* Itaq;, *vt dixi, valde miror te nõ ita potius sensisse, vt alterũ eorum statueres, vel omnino imitari nõ oportere, vel, si imitandũ quidem esse duceres, nõ ad ea quæcũq; bona essent, sed ad illa tantũmodo quæ optima, quæq; perfectissima haberentur, imitationis esse nostræ omnes neruos intendendos.* Nam *de ideis quod scribis, difficile quidem est tibi homini doctissimo, & in omniũ* Philosophorũ *disciplinis & scholis multa cum laude atq; gloria diu versato, aliquid affirmanti nõ credere. Sed quam tu esse in animo tuo insitam atq; à natura traditam scribendi ideam atq; formam sentias, de eo ipse videris.* De *meo quidem animo tantùm tibi affirmare possum, nullam me in eo styli formã, nullum dictandi simulachrũ antea inspexisse, quàm mihi ipse mente & cogitatione legendis veterũ libris, multorũ annorũ spatio, multis laboribus, ac longo vsu exercitationeq; confecerim: ad quod nunc, cùm aliquid scribendũ est, me conuerto, videoq; quasi oculis, sic cogitatione, quæ cõficiendo scripto opus sunt, vnde sumam.* Antè *autem quàm in ijs, quas dico, cogitationibus magnoperè essem versatus, inspiciebam quidem*

dem in animum meum nihilo ſanè minus, quærebamq́ue, tanquam à ſpeculo, effigiem aliquam, à qua mihi ſumerem conficeremq́ue quod volebam. Sed nulla inerat in eo effigies, nihil ſe mihi offerebat, nihil conſpiciebã. Itaq; ſi quid calamo vterer, ſi quid molirer, non lege, non iudicio, quo volebam, ſed temerè inconſtanterq́; ferebar: nulla me earũ, quas commemoras, idea ſpeciesq́; moderabatur. Neq; verò ſum neſcius, te id cùm diceres, de Platonicorũ ſententia dicere, qui quæ prima quæq; præſtantia in natura rerum ſunt, vel eſſe aliquo modo poſſunt, ad diuinas illas imagines ſpeciesq́; referebant. Ac ego quidem ſic exiſtimo: in ipſo mundi ac rerũ omniũ autore & effectore Deo, vt iuſticiæ, vt temperantiæ, vt aliarũ virtutum, ſic etiã rectè ſcribendi ſpeciẽ quandam, diuinam illam quidem, & cui nihil deſit, atq; omnino abſolutiſſimã exiſtere: ad quã & Xenophon, & Demoſthenes, & ipſe in primis Plato, tum & Craſſus, & Antonius, & Iulius, & maximè omniũ Cicero, cùm dictarẽt aliquid & ſcriberent, quantum cõſequi cogitatione poterãt, reſpiciebant, atq; ad illius, quam animo conceperãt, imaginẽ ſtylum mentemq́; dirigebant. Idemq; nobis faciendum arbitror, conandumq́; modis omnibus, ut ad eius formæ ſimulachrum ſcriptis noſtris, quoad fieri poteſt, quã rectiſſimè quamq́; proximè accedamus. Quòd ſi in animis etiam noſtris ideæ illæ inſident, quas dicis, ſingulæ in ſingulis, tum diuerſæ inter ſe atq; variæ, quemadmodum illas à natura ipſa, ego pro mea, tu pro tua, pro ſua quiſq; animi corporiſq; temperatione initio naſcendi eſt ſortitus, ab ijs ſi cura diligentiaq; noſtra ſtylum flectere in quancunq; volumus partẽ nobis licet, cur non tu eum vnum, qui ſit omniũ maximus atq; ſummus, imitari nos tantummodo ſtatuis oportere? Si non licet, cur om-

nes bonos? Nam & inuidiosum quidem est, quod homines possunt assequi aliquo in genere optimum, id omnibus non proponere: & superuacuũ, omnes illis bonos imitandos esse dicere, quibus animũ à sua scribendi specie atq; forma, quã à natura traditã poßident, facultas reuocandi nõ est data. Sin *verò (quod est tertiũ atq; vltimũ) in quorundã animis ideæ illæ atq; species eiusmodi insunt, vt si quis studiũ adhibeat, verti atq; inflecti facilè poßint, in quorundam autẽ eiusmodi, vt nullo modo poßint, eòdem tamen decidas, eòdem laba re necesse est.* Nam *neq; ij, quibus negatũ est aliquò progredi, ad vllum imitationis genus inuitandi sunt, neq; nõ ad optimum, qui quò libuerit, si volent, progredientur, sunt inci tandi.* In *alteris de facultate ne quid detrahatur, adhibenda cura est: ab alteris, vt inepti esse desinant, nõ est requirẽdũ.* Ac *ego illis nec imitandum esse quenquã statuo, nec verò vl lo in genere quicq̃ conandũ.* Qui *prauo, qui tenui, qui inerti ingenio sunt, qui durã atq; implacabilẽ naturæ suæ quasi faciẽ præ se ferunt, scribãt ij mihi libros, nec ne, vigilẽt, dormiant, nihil moror.* Eos *volo, eos alloquor, qui si operã dederint, si animo nõ frangentur, nihil nõ assequi poterunt: et quorũ ingenia si excolantur, fructus vberes atq; magnos ferent.* Neq; *illud me mouet, quòd existimem, qui ita formati sunt, vt quib. artibus animũ intenderint, quo in genere scribendi elaborauerint, sua illos spes nõ sit frustratura, esse nõ multißimos.* Neq; *enim aut* Ciceronẽ *à scribendo deterruit pulcherrimos illos de* Oratore *libros, quòd qualẽ in eis statuerit oratorẽ esse oportere, talẽ fortasse neq; legerit ipse unquã fuisse, neq; audiuerit: aut* Plato *reip. suæ leges propterea nõ perscripsit, quòd eas ab vsu atq; consuetudine gentiũ longius abesse arbitraretur, q̃ quib. vllos populos, vllã ciui-*

tatem

tatē esse vsurā consideret. Qui enim artē aliquā rectè præcipiunt, nō id cogitāt, vt omnes assequi eam poßint, sed id potius, vt qui potest, ita assequatur, vt nihil poßit esse eo in genere præstātius. Quicquid aūt est eiusmodi, qui præstanti ingenio nō sit, aggredi fortasse potest, assequi atq; pficere nequaq̄ potest. Itaq; mediocritatē ingeniorū reijciunt: nihil enim mediocre idē atq; præstans est: quod cùm sit, pusillū ad numerū res redigatur, necesse est: præstātia enim quæ sunt, eadē perrara esse cōsueuerūt, rarioraq́; quo præstantiora. Præstantiū aūt rerū paucitas, mediocrū multitudini nō modo nō pòsthabenda, sed longè etiā anteponenda est: placetq́; Nautes ille mihi Virgilianus, qui Aeneā admonet, quò in Italiā transmittere facilius poßit, quicquid inualidū ac metuēs pericli est, esse reijciendū: quod cùm esset factū, Poeta statim intulit,

Exigui numero, sed bello viuida virtus.

Ex quo apparet, poetarū sapientißimū nō virtutem modò in illis, quos cōmemorat, requisiuisse, sed etiā viuidam, hoc est, præstantē. Quanquā quidem non ego vlla simulachra, quæ nusquā sint, quæq; vix animo percipi poßint, quemadmodū illi duo, quos dico, fecerūt, nostris hominibus ad imitandum propono, cùm eum vnum, qui sit omniū optimus atq; præstantißimus, illis propono: quod si facerē, nunquā me tamen illorum defenderē exemplis. Potest enim quilibet cùm oratoriæ ac rerumpub. rationc atq; modo cōstituendarum, tum aliarū planè rerū artes & disciplinas ita tradere, vt ad excellentiorē statū atq; formā velit eorū cupidos progredi, q̄ cuius simulachra oculis cernantur, manibusq́; cōtineantur. Imitatio aūt quia in exēplo tota versatur, ab exemplo petenda est: id si desit, iam imitatio esse vlla quì potest? Nihil est enim aliud totum hoc, quo de agimus, imitari, nisi

alieni styli similitudinē transferre in tua scripta, & eadem quasi temperatione scribendi vti, qua is est vsus, quē tibi ad imitandum proposuisti. Sed redeo ad illud, quòd ais, imitandos esse omnes bonos: quæroq; item abs te, velisne nos ita bonos omnes imitari, vt eorum cuiuslibet vniuersam scribendi rationē exprimamus, an satis habeas, qua quisq; in rationis suæ parte maximè bonus est habitus, eam nos tantummodo ab vnoquoq; mutuari: atq; ita multis ex rationū partibus, quibus rationibus sunt alij permulti vsi, vnā conficere rationem integram, qua vtamur? Vtro modo accipi dogma istud *tuum malis, vide. Sed priore velle te, non est existimandum.* Quid enim esse potest absurdius, quàm, quas multi species *scribendi atq; formas, diuersas illas quidem inter se multūq; sæpe differentes, sunt assequuti, suis eas membris omnibus, suis partib. præditas, vna in scribendi forma ac specie, velle vniuersas exprimi atq; cōtineri? quasi existimes, exædificandis vnis ædibus, multa ædium exempla variarū imaginum atq; operū, omni ex parte posse repræsentari.* Altero modo *si te dices velle, primùm iā id quidē imitari non est, plurimis ex partibus, quæ stylum singulorū conficiunt, aliquā vnam tibi sumere: vt cùm id sæpius feceris, sumere autē ex multis potes, stylum inde cōficias tuū.* Excerpere id quidem potius *dicendum est, aut, si libet, etiā mendicare: ita enim degere homines in victus mendicitate consueuerunt, vt quæ sibi opus ad vitā sunt, non ab vno, sed à multis petant.* Imitatio aūt to*tam cōplectitur scriptionis formā: singulas eius partes assequi postulat: in vniuersa styli structura atq; corpore versatur.* Neq; *enim qui Salustianam breuitatem assequutus sit, verbis autem illam aut obsoletis aut popularibus, structura etiam inconcinna conglutinauerit, Salustium imitari est dicendus:*

cendus:

cendus: neq; qui Iulij Cæsaris in enarrandis rebus tēperantiam expresserit, sermone verò planè rudi in illa exprimenda sit vsus, is erit propterea dignus existimandus quem Cæsaris imitatorem vocemus. Totum mihi oportet eius *styli faciem exprimat, cuius se imitatorem dici vult, quem eo nomine dignū putem.* Itaq; Cicero *cùm eius verbi definitionē traderet, imitationē esse dixit illam, qua impellimur cū diligenti ratione, vt aliquorū similes in dicendo esse valeamus.* Súnt ne hæc Pice Tulliana *verba singula, quæ cōmemoro? Quî autem fieri potest, vt aliquorum similes esse valeant ij, qui de singulis sumunt, quod exprimant, de omnibus, vt nihil assequantur?* Deinde, *si tibi etiā de verbo concessero, ambitiose enim tecū agere nihil volo, næ tua ista imitandi multos ratio, optari potius quàm sperari, fingi quàm teneri, ore dici quàm re perfici, facilius potest.* Nam *neq; qui eodem tēpore imitari plures vult, quicquā ab vllo proficiet: distrahi enim mentē atq; sensum copia, neq; hærere animū sinit: cuius autē in nullo hæret animus, is omnino rectè conficere nihil potest, neq; qui aliū post aliū aggreditur, ei, quā in vno curā intenderit, non in alio sæpe remittere necesse est.* Capimur enim *pleriq; omnes nouitate, à qua ita oblectantur quidā, vt etiā illa damnent, à quibus recesserūt.* Accedit *eôdem scriptorū diuersitas & dißimilitudo.* Itaq; *dediscendæ plerūq; sunt veteres perceptiones, vt nouis perceptionibus curā atq; animū adhibeamus.* Placet *enim in illo cū dignitate quædā quasi seueritas orationis: hilaritas in alio, comitas, lusus ipsi multū probantur.* Horū *cùm imitari alterū didicerimus, alterū doceri aggrediamur, reijcere multa cogimur eorū, quæ paulo antè summa industria, summo nostro labore sumus consequuti.* Quamobrē *frangitur studiū, debilita-*

tur diligentia, cõtentio illa nostra ardorq; omnis animorũ elanguescit atq; restinguitur, dum huc illuc, tanquam à fluctibus, sic in exemplorum varietate iactamur. Postremò, *quòd tu singulas vniuscuiusq; bonas parteis imitandas esse tantummodo existimas, id, si rectè consideràbis, quomodo assequi poßis, non inuenies.* Omnibus enim ex partibus *vniuscuiusq; scriptoris cõflatur coalescitq; id, quod in quoq; bonum atq; præstans est: omnes eius virtutes, & verò etiam vitia, si qua insunt in illo vitia, eam conficiũt.* Nam vt *hominum vultus, alius morum benignitatẽ, alius alacritatem naturæ, animi alius fortitudinem, alius ingenij fertilitatẽ, alius maiestatẽ, alius venustatẽ præ se ferũt: eæ autem singulæ indoles non ex oculorũ, aut ex superciliorũ solummodo forma, aut oris, aut genarũ, aut cæterarũ ex aliqua partiũ qualitate, verùm ex omnib. sui quæq; vultus partibus atq; membris sunt constitutæ: vt si quis aliquã pictor imitari coloribus velit, is singulas eius faciei partes, cuius est ipsa indoles, antè exprimere cogatur: ita mehercule in scribendi rationibus insunt eæ quas laudamus, siue virtutes, siue lumina scriptorum singulorũ: quas profectò virtutes præstare nostris in scriptis minimè possumus, nisi etiã vniuersas illas, quarũ sunt ipsa lumina, scribendi rationes præstemus.* An tu cando*rem illum puritatemq; sermonis, quam in* Iulio *esse maximã atq; mirificã videmus, imitari te posse existimabis, nisi et tẽperamento fueris vsus tanto, quanto ille maiore vsus est, quàm vnquã alius, propterea, quia ipse de se scripsit, ne aut odio in scribendo videretur, aut cupiditate vlla duci? & neglectum eundem eloquutionis expresseris, qui est ab illo vel neceßitate institutus, quoniã plurimis agendis maximis difficillimisq; rebus occupatus, diligentiã in scribendo maiorẽ*

adhi-

adhibere nõ potuit: vel accersitus industria, ne planè crederetur potuisse, vt existimarent homines multò plus illũ gratiæ scriptis fuisse acquisiturũ suis, si plus ei tẽporis ad scribendum bellicarũ rerũ occupatio suppeditauisset? Atq; ipse quidem candor non ex sese, sed cùm ex alijs, tum ex his duabus præcipuè partibus cõstare mihi videtur, quas dico. Has si tu duas parteis nõ præstabis, cãdor iã ille tãtopere laudatus nunquã Mediusfidius exprimetur: sin præstabis, voles autem etiã Ciceronianã illam maiestatẽ scribendi assequi, quã omnes laudibus vsq; ad cœlum ferunt, neq; hoc, quemadmodum optabis, efficies, et illud quod effectũ iam erit perturbabis. Quantũ enim addes ad alterũ, tantundem ex altero adimas necesse est. Ita quæ per se atq; seiuncta, eximia vtraque præclaraq; habentur, eorũ neutrum, si permisces, suam pristinam faciẽ dignitatemq; retinebit. Quòd si & candorẽ Cæsaris, et maiestatẽ Ciceronis, item & Salustij breuitatẽ, & vbertatem Liuij, & candorẽ Celsi, & diligẽtiã Columellæ, si deniq; quod in vnoquoq; scriptorum egregiorũ propriũ esse lumen, tanquam in vultu indoles conspicitur, ea omnia præstanda esse statues scriptis tuis, vereor ne non tam quidem imitari illos voluisse, quàm illudere, neq; tam assequi, quàm peruertere videare. Quam tamen si effugies calumniam voluntatis tuæ, illud certè nõ euitabis, quin appareat, neminem te illorũ non dicam rectè assequi, sed etiam effingere mediocriter potuisse. Deniq; si quis Deus id, quod spõte nostra facere nullo modo possumus, te doceret, artẽ videlicet quandã nouã ac planè diuinã, qua imitari multos calleres, quemadmodũ præcipis, tamẽ esset verendũ, num illa sanè arte tibi esse vtendum statueres. Quî enim fieri potest, vt qui multos assequi vna scribendi ratione vult, eius oratio

non dißimilis, non impar, non sibi diuersa inconstansq́; sit, non inconcinna, non parum cohærens, dum huius lenitatẽ, illius verò ardorem, alterius ornatum, alterius negligentiã, quæ quidem interdum, vt in muliere non fucata facies, sic in scribente gratior est: sexcenta præterea alia varia multũq́; differentia scribendi genera qualitatesq́; complectitur? Ac *mihi quidẽ uetustißimi poetæ finxisse* Protea *videntur, cùm illum modò aquam fieri, modò ignem, modò belluam dicerent, nunquam tamen eodem aspectu plus vnam formã præ se tulisse, nõ solùm quia id posse fieri non existimabant, sed etiam propterea, quòd, quo modo diuersæ facie res inter seq́; variæ, aptè coniungerentur, non videbant.* Sed iam *de tuis literis hactenus, vel potius de ea tuarum literarum parte, ad quam quidem respondere me operæpretium duxi: nam ad omnes, neque multum necesse fuit: & hæc ipsa satis multa esse possunt, præsertim tibi, qui nõ modò ea quæ scripta sunt, qualia sunt rectè perspicies, sed illa etiam quæ scribi in hanc sententiam possunt, ex ijs quæ leges per te ipse facilè considerabis.* Venio *igitur ad illam partem sermonis nostri, in qua ea mea sententia fuit, vt dicerem, eos mihi vehementer probari, qui prosa oratione scripturi, Ciceronem sibi vnum ad imitandum proponerent: heroicis carminibus,* Virgilium. In *quam omnino sententiam non sanè, vt primũ eiusmodi res tractare animo cœpimus, statim adducti sumus, sed post multas cogitationes, ac per quosdam quasi gradus ad eam accesßimus, vt non temerè illa inuenta finem progrediendi fecisse, atque in ea quieuisse videamur.* Nam *initio quidẽ illud mihi sæpe veniebat in mentem, vt in philosophiæ opinionibus atq́; sententijs, sic in scriptorum generibus & stylo, nullis nos legibus subijci, ne*

mini

mini addici atq; astringi oportere, sed quod in quoq; proba retur, id sequi: quæ profectò sententia tuæ fuisse sententiæ similis atque cognata videtur. De qua quidem me tentantem conantemq; eo in genere toto multa, illæ tandem rationes depulerunt, quas superius, te vt etiam de tua deducerent, si possent, collegi. Itaque ea sententia deiectus, ad illud me contuli, vt ducerem æquius esse & profectò conducibilius, nouam intactamq; ab alijs rationem ac planè suam quenq; conficere scribendi; idq; putarem omnes homines, nisi inuidi atq; maleuoli essent, laudaturos. Quod cùm placuisset, vellem autem quantum in eo possem, experiri, omnis nostra cogitatio, diligentia, studium, omnis denique noster labor irritus atq; nullus fuit. Nihil enim inueniebam, quod non vel ab aliquo veterum scriptorum stylo haustum videri facilè posset: vel omnino, si id effugeram, tamen cùm ad illorum scripta conferebatur, mihi non summopere displiceret, quippe quod venustatem sermonis, proprietatẽ, maiestatem eorum seculorum non redolebat, nullum antiquitatis vestigium, nullam notam referebat. Ad hanc frustrationẽ laboris nostri illa cogitatio accessit, quòd animaduertebam eos, qui se neminem imitari profitebantur, partim scribendo parum admodum profecisse, partim etiam suis cum libris atq; scriptis planè inuisos & despectos iacere. Quã ob rem ea etiam sententia damnata, aliam inire rationem statuimus, quæ quidem eiusmodi fuit. Volo autem singulos tibi animi mei motus consiliorumq; varietates perscribere, vt si aliqua ex parte prodesse tibi error meus possit, ea ne celere. Nam quoniam ita natura comparatum videbam, vt quotiens magnum aliquid atque arduum moliri homines cuperent, eius si facinoris exemplum haberent

aliorum, qui idem aliquando essent conati, ea re multum illis curæ ad id, quod aggredi statuissent, multũ laboris, multum etiam ambiguitatis, multum deniq; difficultatis demeretur: cogitare cœpi, ijs in studijs, quibus semper dediti fuimus, optandum esse, vt quem quisq; imitari posset, qui scribere aliquid cuperet, ne deesset. Itaq; siue vt in itinere conficiendo, cùm duces nacti sumus, securiore animo viam ingredimur, sic in reliquis rebus alacriores ad illa sumus, quorũ doctores et magistros habemus: siue etiam ad omnem excellentem laudis & gloriæ cupiditatem nulla re magis, quàm aliorum æmulatione incitamur: mihi quoque idem faciendum putaui cùm poeticis in studijs, tum in oratoria disciplina, quod permultos fecisse intelligebam, vt in vtraque earum artium & ducem, quem sequerer, & gloria illustrem, quem æmularer, eligerem, mihiq; ipse quasi signum proponerem, ad quod quidẽ conatus omnes nostri cogitationesq; dirigerentur. Id cùm deliberauissem, magna me hæsitatio tenuit, deberem ne eos, qui mediocritatem non excederent, an illos potius qui essent omnium eminentißimi, statim initio aggredi, quos omni studio colerem, ad quorumq; similitudinem me quamdiligentißimè compararem. Nam si animum ad summos adiecissem, illud verebar, ne me vel rei difficultas ab incœpto deterreret, vel certè frangeret suscepti oneris magnitudo, cùm me parum proficere optimorum scriptorum longeq; præstantißimorum exemplis comparationeq; cognoscerem: sin autem mediocribus me tradidissem, equidem sperabam fore, vt cùm ab illis quantũ vellem profecissem, & facilior mihi esset et planè tutior ad eos trãsitus, qui primi haberentur. Sed angebar animo, quòd, vt odore nouum vas, sic quo primùm rudimento stylus imbueretur,

retur, permagni interesse audiebam: mentem etiam ac cogitationem meam multò libentius in summis excellentibusq; viris fixam erectamq; detinebam. Vicit tamen siue timor, siue imbecillitas planè nostra voluntatis propensionē, qua trahebar. Itaque dedidi me ijs magistris instituendum, quorum scripta non tam laudarem, quòd bona, quàm reciperem, quòd paratiora optimis commodioraq; ad imitandum viderentur. Eos igitur acerrimo studio summaq; diligentia cùm tandiu essem sectatùs, quoad mihi videretur me eius, quod concupieram, magnam esse partem consequutum, ad illos me conuerti, quos esse facilè principes omnium hominum testimonio sentiebam, vt eos item sequerer, animumq; meum atq; mentem ad ipsorum rationes hauriendas imbibendasq; traducerem. Id cùm sedulò etiam atq; etiam experirer, mea me delusum spe sanè atq; deceptū cognoui. Non enim solùm faciliorem mihi eorū imitationem aliorum scriptorum imitatione non esse factam, sed multò etiam difficiliorem, præclusosq; ad eam aditus potius quàm patefactos videbam. Nam quam mihi vsui putabam fore insumptam in exprimendis mediocribus, operam, ea sanè impedimento fuit. Animus enim iam noster diligenti exercitatione illorum scribendi rationibus eruditus atq; assuetus, eundem morem diu retinuit: à quo quoniam aberat is, quem de optimis hauriri oportebat, contraquàm existimaueram fiebat, vt scilicet multò minus ad eos exprimendos essem idoneus, quàm si me nunquam mediocribus tradidissem. Quare multis me meis laboribus id vnum esse assequutum cognoui, vt imitari summos incipere mihi certè ne tum quidem liceret, propterea, quòd ea didiceram, animumq; meum ijs quasi maculis infeceram, quibus residen-

tibus perfectæ rationis vlla in eo depingi rectè facies imagoq; non posset. Deleri verò ea, quæ quis diuturno studio in animum induxit suum, non tam sæpe facile est, quàm oportet. Sed nihil est profectò tam difficile tamq; durum, quod non labore nostro posse vinci superariq; videatur, præsertim si in eo, quantum facere & consequi possumus, cõtendamus. Itaq; summa à nobis adhibita diligentia, è memoria tandem nostra deletis penitus ijs, quæ altè tunc imitatione non optimorum insederant in ea rationibus, omne meum studiũ ad illos contuli optimos atq; summos, quos dico: in quo quantum profecerim si me roges, sanè nihil tibi respondebo, præter hoc vnum, mei me consilij non pœnitere, præsertim cùm eorũ scripta lego, qui aut nullũ, aut omnes, aut non tantum optimos effingere præstareq; voluerunt. Sed nõ debebis tu quidem ab hac capessenda scribendi ratione absterreri, etiã si minus tibi id, quod alijs persuadere cupimus, videmur esse ipsi consequuti. Non enim quantum potuimus, in eo impendimus vel temporis, vel laboris, quippe qui etiã vernaculo sermone quædam conscripsimus cùm prosa oratione, tum metro planè ac versu: ad quæ quidem cõscribenda eo maiore studio incubuimus, quòd ita deprauata multa atq; peruersa iam à plurimis ea in lingua tradebantur, obsoleto propè recto illo vsu atq; proprio scribẽdi, breui vt videretur, nisi quis eam sustentauisset, eò prolapsura, vt diutißimè sine honore, sine splendore, sine vllo cultu dignitateq; iaceret. Quare non oportebit te exemplum à nostris scriptis capere, vt quantum nos Latino sermone optimis imitandis æmulandisq; profecimus, tantundem putes alios, nec eo amplius, ijsdem artibus posse proficere: sed id potius cogitare, cùm nos certè aliquid ea si-

mus

mus via consequuti, si modò id aliquid est, quod à nobis confectum est, qui quidem alias etiam scribendi vias ingreßi sumus, illos qui nihil agere, nihil conari aliud statuent, præter id vnum, in eo planè esse quæcunq; volent consequuturos. Habes omnẽ rationem consilij mei, quoq́; pacto in eam tandem sententiam, quæ tibi quoq; vellem probari posset, venerim, quàm perplexis cogitationibus, quibus mæandris, vides: in qua porrò adhuc eo libentius cõquiesco, quòd alijs prius tentatis omnibus diligenter rationum vijs, ea me tanquam portus ex longo errore diu iactatũ excepit. Hanc qui & initio ingredi poterunt, & ingreßi nunquam se ab ea deflecti sinent, quemadmodum illi qui in cursu nihil offendunt, celerius curriculum conficiunt, quàm qui lapsi aliquotiens sunt: sic ipsi ad metam citius sine vlla offensione peruenient, quancunq; ijs metam suum siue ingenium, siue industria, siue omnino vtrunq; statuerit. Quod profectò etiam sub fortuna positum atque casu interdum videtur: ita multa in vita sæpe accidunt, quæ auocent ab instituto itinere animum, aliorsumq́; quàm oportet, ducant. Sed illud tenere omnes debebunt, & quantum in quoq; est, niti atque perficere, qui aut oratoriæ, aut poetices studijs delectabuntur, vt cũm Ciceronem tum Virgilium semel complexi nunquam dimittant, nunquam vllis aliorum scriptorum illecebris ab eorum imitatione æmulationeq́; reuocentur. Qui si non ita omnibus artis atque ingenij luminibus abundarent, si non vniuersis scribendi virtutibus præditi cumulatiq́; conspicerentur, essent autem ipsi cæteris vna tantum virtute probatiores, tamen eos nos vnos sequi tantummodo imitariq́; dicerem oportere, propterea, quòd vicinius ad perfectam rationem illis ducibus, quàm vllis alijs, progredi

& pertendere possemus. Nunc verò cùm nulla omnino virtus, nullum scribendi lumē, nulla egregia indoles, nulla laus in ullo sit, quæ non in vtrouis eorū inesse longè etiam præstantior atq; absolutior reperiatur, multò id nobis erit constantius, multò diligentius faciendum, ne si alios imitandos sumpserimus, vel praui iudicij vel imbecilli animi notā subeamus, cùm aut in eligendo nō prudentes, aut in aggrediendo timidi fuisse videamur. Nam de Virgilio quidem nemo ambigit, omnes in vno illo omnium Poetarum (de Latinis loquor) inueniri posse virtutes summa singulariq; dignitate: addunt etiam, admirabiliores multò singulas & præstabiliores: vt si natura ipsa hominum rerumq; omnium parens, ea loqui versibus voluisset, quæ ab ipso perscripta sunt, nec melius affirment, nec omnino aliter fuisse loquuturam. Ciceronem quidam aiunt verbosiorem esse interdum, quàm necesse sit, præsertim cùm ab eo de rebus à sese gestis, deq; Consulatu illo suo sermo inducitur: cæterùm illum non modò omnium eloquentissimū fuisse, sed ab eo eloquentiam ipsam esse genitam atq; natam putant. Ego verò id neq; vituperare audeo: potest enim illi concessisse sæpe dignitas sua, aut inimicorum improbitas, aut reipublicæ status aliquis, aut alia omnino causa: quare quæ aliquibus superuacua in legendo videntur, ea in agendo necessaria fuisse à multis poterunt existimari. Neq; defendere magnopere laboro: id enim si peccatum est, non styli culpa, sed animi vitio contractum est: addo etiam, si vis, iudicij quadam peruersione, dum quæ ab ipso prætereunda silentio fuerant, ea illi digna visa sunt, quæ recenserentur. Stylus verò & scribendi ratio eandem illam egregiam præclaramq; semper indolem retinet, eundem orationis splendo-

rem

rem & maiestatem præfert. Quamobrem non tam quidem accusandus esse videtur, si modò accusandus est, quòd ea sæpe commemoret, quæ à se reticeri æquius fuit, quàm laudandus, quòd ita semper loquatur, vt commemorari aptius non queant. Quid si ijdem etiam parum constantem fuisse illum dixerint, aut omnino imbecilliorem, quàm vel ratio, vel eius dignitas postulabat: num erit nobis propterea ab imitatione repellendus? Mihi planè, si idem sentiam: quanquam quid ego malè mehercule sentiam de tanto viro? sed si ego quoq; idem sensero, mihi eius fortasse vita non vsquequaq; probabitur: orationis autem & styli ratio nihil improbabitur, qui esse optimus in vita nō optima potest. Tametsi id quidem etiam si orationis esse vitium iudicetur, non ego huius imitationis aut ita partes extendo, præstanda vt vitia sint: nec solùm vt in facie næui, sed vlcera etiam & cicatrices sint exprimendæ: quod qui faciunt, meritò ab Horatio, eo quem tu locum affers, irridentur: aut modum præfinio, sic, vt si quis tam præstans ingenio est, tam industrius, tam etiam felix, vt anteire magistrum poßit, tamen id fieri negem debere: cumq; is illum cæteris in rebus æquauerit, si prudentiam adhibere maiorem volet, non probem. Mihi quidem & Phidias & Polycletus probantur, quorū alter Eladum sculpendis, alter Ageladem fingendis imaginibus, quos habebant magistros, superauerunt: & Apelles, qui quidem in picturæ artificio Pamphilum præceptorem suum longißimo interuallo post se reliquit. Itaq; valde mihi illud exoptandum esse videtur, ita animatum, ita instructum esse quempiam, spes vt illum sit omnium hominum eloquentißimum futurum: quod etsi longè maius atq; præclarius est, quàm quod temerè sperandum esse videatur,

nulla tamen naturæ lex, nulla præscriptio prohibet, conspi ci vnquam ne posit. Etenim quemadmodum Cicero inter Latinos extitit, qui vnus omnes, quicunq; ante illum boni scribendi magistri fuerunt, excelleret, quod quidem magnũ atq; diuinum fuit, sic profectò alius existere aliquando pote rit, à quo cùm reliqui omnes, tum etiam ipse Cicero superetur. Id autem nullo modo accidere facilius potest, quàm si, quē anteire maximè cupimus, eum maximè imitemur. Absurdum est enim confidere, nos aliam inuenire viam posse, quæ melior sit, quàm est illa via, quam Cicero non tam quidem inuenit ipse, quàm ab alijs inuentam ampliorem & illustriorem reddidit, præsertim cùm quo tempore id fieri necesse est, quantum ipsi planè possumus, nondum exploratum habeamus. Quòd si quem maximè imitati fuerimus, etiam assequemur, tum adhibenda cura erit, vt illum anteire valeamus. Sed omne nostrum studium, omnis labor, omnis nostra cogitatio, in ijs assequendis quos imitamur, maximè omnium est insumenda. Non est enim tam arduum eos superare atq; vincere, quos assequutus sis, quàm assequi quos imitere. Quare hoc in genere toto Pice ea esse lex potest: primùm, vt qui sit omnium optimus, eum nobis imitandum proponamus: deinde sic imitemur, vt assequi contendamus: nostra demum contentio omnis id respiciat, vt quem assequuti fuerimus, etiam prætereamus. Itaq; duas illas in animis nostris egregias plurimarum maximarumq; rerum confectrices, æmulationem atq; spem, habeamus. Sed æmulatio semper cum imitatione coniuncta sit: spes verò ipsa nostra nō tam quidem imitationem, quàm successum imitationis subsequi rectißimè potest. Ac Ciceronis quidem imitatio omnibus, qui pedestri oratione scribere aliquid volent, op-

portuna

portuna esse poterit, quacunq; illi de re atq; materia sit scribendum. Idem enim stylus aptari rebus innumerabilibus potest. Nec audiendi sunt qui existimant, Plinianam de natura rerum Historiam Ciceroniano scribendi modo atq; via tam commodè explicari nō potuisse, vt ab ipso est more illo suo explicata: quòd oportuisset in infinitam magnitudinem opus excreuisse, si ad illas multiplices innumerabilesq; res, de quibus erat scribendum, exuberantiam Cicero suam, ornatumq; sermonis adiunxisset. Neq; enim in omnibus eius scriptis, cùm idem sit stylus, eadem tamen amplitudo inesse, idem verborum apparatus cōspicitur: sed quædam vberiora sunt, & tanquam succi plena: quædam exilia, & suo tantum robore nitentia, vt esse quasi sine cortice videantur. Neq; si crescere eorum librorum magnitudo debuisset, non propterea fuissent ipsi nobis multò etiam gratiores, cùm quanto plus ab eius calamo atramenti, tanto plus ab ingenio atq; artificio dignitatis et pulchritudinis hausissent. De Virgilio verò non idem possumus dicere, vt idoneus sit, quē, qui carminibus delectantur, imitari omnes queant. Neq; enim qui aut elegos, aut lyricos conficiunt versus, quiq; vel Tragœdiarum vel Comœdiarum scribendarum studio detinentur, horum vllos Virgiliana carminum structura, numerus, ratio ipsa multum iuuabit: sed imitentur ij quidem eos, quos habent principes, singulis in scriptorum generibus singulos, atq; illis assequendis superandisq; sese dedant. Quod profectò nos aliquando fecimus, vt in elegis pangendis, qui optimus eo in genere poematis nobis visus est, eum imitaremur. Heroicis autem conscribendis carminibus qui se dederit, huic certè erit Virgilius ediscendus, ebibendus, & quam maximè fieri poterit, exprimendus, quemadmo-

dum corám tibi dixeram mihi videri. Atque hanc quidem cùm Virgilij, tum Ciceronis, tum aliorum excellentium in suo cuiusque genere scriptorum expreßionem non ita intelligi volo, vt præter stylum & scribendi rationem (vti autem me ijsdem sæpius verbis non pœnitebit) nihil omnino à quoquam sumendum existimem: nam & licuit id quidem certè omnibus, & semper licebit. Quis enim opus legitimum conficere potest vllum, qui nihil mutuetur, nihil à quoquam sumat, quod scriptis inserat atq; interspergat suis? Quis non aut sententias, aut similitudines, comparationesq́;, aut alias scribendi figuras atque lumina? quis non aut locorum, aut temporum descriptiones, aut ordinem aliquem ac seriem? quis non etiam aut belli, aut pacis, aut tempestatum, aut errorum, aut consiliorum, aut amorum, aut aliarum omnino rerum exemplum aliquod ab ijs capiat, quos multum perlegerit, quos diu in manibus habuerit, cùm Latinis, tum Græcis, tum certè etiam vernaculis, vt sunt nonnulli excellentes in ea lingua viri? Itaque liceat, quicunque id facere vult, vt semper licuit: sumantq; ab alijs, qui scribunt, quod videbitur: sed parcè id, & prudenter faciant: non sanè, quia sumere etiam rectè multa nequeamus: poßumus enim, & multi magni atque clari viri idem fecerunt: sed propterea, quòd præclarius est illa omnia inuenire nos, & quasi párere, quàm ab alijs inuenta mutuari. Maximè verò earum rerum ratio tum probatur, laudabilisq; est: si id perficimus, vt quæ mutuati sumus ipsi, ea splendidiora illustrioraq; nostris in scriptis, quàm in eius, à quo sumimus, conspiciantur: vt non minor in exornando laus, quàm in inueniendo fuisse videatur. Neque enim mihi placet Atilius, qui Sophoclis Electram

lectram optimè scriptam male transtulisse dicitur: sed noster Maro, qui ab Hesiodi Georgicorum libris multa sumens, atque in suos transferens, ea omnia reddidit meliora. Quanquam quidem eius generis ita multa Virgilianos omnes libros referserunt, vt appareat non tam illum, quod ex se promeret, desiderauisse, quàm quod anteiret, ex industria quæsiuisse: multóque plus in victoria gloriæ, quàm in inuentione posuisse videatur. Qua te quidem de re omni eò monitum volui, quòd sunt quidam, qui non solùm ea quæ ad stylum scriptionemq; pertinent, sed illa etiam quæ dico, quæqúe de genere alio sunt, cùm sumuntur, vno imitationis verbo includunt. Qui quidem mihi Ciceronem eo, quo suprà commemoraui, loco legisse parum videntur, vbi ille, quid imitatio sit, definit. Nam si ea profectò imitatio est, qua impellimur, vt aliquorum similes in scribendo esse valeamus: in imitatione autem non styli modò, sed etiam materiæ, ordinis, sententiarum, aliarumq; planè rerum extra stylum positarum ratio includitur: quid est, cur non ego Aeneæ, Ascanij, Didonis, Latini, Turni, Lauiniæ, tantùm mutatis nominibus, Virgilij Aeneida mihi totam sumam? Quare si nolunt ij parum hærentia videri dicere, aliud sumere, aliud esse existiment imitari: & cùm Heroicorum Catulli versuum rationem imitatum fuisse Virgilium dixerint, si modò id volent dicere, tum si eum affirmabunt cùm ab illo, tum à cæteris vel Latinis vel certè Græcis non Poetis modò, sed etiam Oratoribus ac Philosophis multa sumpsisse, verissimè pronunciabunt. Ac mihi quidem ipse interdum videris, cùm tuas literas lego, ita sensiße, vt vtrum quis aliquem imitetur, an ab illo sumat, quod in sua scripta transferat,

differre nihil duxeris. Quod si est, equidem lætor, vnius tantummodo verbi interpretatione mutata, rerum non minimarum neq; sanè spernendarum inter nos magna ex parte controuersiam posse finiri, cùm hoc certè modo propè idem, quod tu, omnes esse bonos imitandos facilè dixero. Quid enim mihi esse aut propter nostram beneuolentiam iucundius, aut propter aliorum existimationem de tua doctrina laudabilius potest, quàm nulla me in re abs te magnopere dissentire, homine multarum maximarumq; rerum disciplinis erudito, summo ingenio, summa integritate prædito, & in secunda fortuna temperato, in aduersa erecto, atque in omni vita magno ac probato viro? cuius tam multi leguntur iam habenturq; in manibus egregiè perscripti libri, vt me non solùm opinione hominum facilè vincere, sed etiam obruere scriptis possis. Sin verò aliter se res habet, tamen gaudeo nullas inter nos opinionum sententiarumq; diuersitates & controuersias esse tantas posse, tamq; graues, quas profectò & mea summa in te obseruantia, & tuus erga me amor non leuissimè ferat: præsertim cùm de Amore librum conscribas, de quo qui cæteros doces, non vereor ne illud non didiceris, amandam esse in primis veritatem, idq; qui faciat, in eo neminem lædere, aut etiam qui se facere existimat: nam id quidem in multis credi, quàm sciri, facilius potest. Quanquã non ego is sum, qui me falli non putem posse, præsertim cùm Aristoteleos tam multis in locis libros, atq; vniuersam propè antiquorũ philosophiam abs te reprehendi videã. Fieri enim potest, vt, quemadmodũ ego rectè me sentire existimo, qui tibi videor à veritate abesse longissimè: ita tu rectè sentias, cùm mihi tamen videatur secus. Neq; illud mihi assumo, vt his literis te atq; cæteros,

ros qui aliter sentiunt,ad meam opinionem traducã. Quid enim esset,ineptius,quàm cui aut Maro aut Cicero diuina il la suorum scriptorum tot atq; tantorum maiestate imitandos esse se non persuaserunt,id ei putare me vna mea epistola persuasurum? Est tamen humani animi,& ,vt ego arbitror, non contemnendi, qua ipse verisimilitudine dubijs in rebus cognitioneq; dignißimis ducatur, quãplurimos velle certos facere,vt aut reprehensione aliorum se corrigere, aut comprobatione confirmare poßit. Id me vnum voluisse vt existimes,te etiam atq; etiam rogo. Vale. Calen. Ianuarijs. M.D.XIII. Romæ.

PETRI BEMBI DE AETNA AD ANGELVM CHABRIELEM LIBER.

FActum à nobis pueris est,& quidem sedulò, Angele,quod meminisse te certè scio, vt fructus studiorum nostrorũ,quos ferebat illa ætas,nõ tam maturos,quàm vberes, semper tibi aliquos promeremus. Nam siue dolebas aliquid,siue gaudebas(quæ duo sunt tenerorũ animorum maximè propriæ affectiones)cõtinuò habebas aliquid à me,quod legeres, vel gratulationis,vel consolationis:imbecillum tu quidem illud & tenue,sicuti nascentia omnia & incipientia, sed tamen quod esset satis amplum futurum argumentum amoris sum mi erga te mei. Verùm postaquam annis crescentibus & iudiciũ & studia creuerunt, nosq; totos tradidimus Græcis magistris erudiendos,remißiores paulatim facti sumus ad-

scribendum, ac iam etiam minus quotidie audentiores. Itaq; quas pueri miserimus ad te lucubrationes nostras, numerare aliquas possumus: quas adolescentes, non possumus: quo in consilio nobis diutius permanendum esse non puto. Nam vt interdum non loqui moderati hominis est, sic semper tacere cum eo quem diligas, perignaui. Neq; hercule, si in officio permansimus in prima ætate, debemus nunc, tanquam inexercitati histriones, in secundo aut tertio actu defecisse, præsertim cùm æmulatio tuorum nos studiorum, Angele, non excitare modò languentes possit, sed planè etiam incendere: quippe qui multa & præclara habuimus à te semper, habemusq; quotidie, & consuetudinis nostræ testimonia, & doctrinæ tuæ. Quare sicuti pueri scriptiunculas nostras, quasi lactantis ingenij acerbitatem, detulimus ad te, sic nunc deinceps etiam ad te adolescentiæ nostræ primos fœtus deferemus, non vt me ipse plus ames: nam iam id fieri posse vix puto: sed certè quia ita debemus inter nos: neq; enim arbitror chariorem fuisse vlli quenquam, quàm tu sis mihi. Sed de his & diximus aliàs satis multa, & sæpe dicemus. Nunc autem, quoniam iam quotidie ferè accidit postaquàm è Sicilia ego & tu reuersi sumus, vt de Aetnæ incendijs interrogaremur ab ijs, quibus notum est illa nos satis diligenter inspexisse: vt ea tandem molestia careremus, placuit mihi eum sermonem conscribere, quem cum Bernardo patre meo habui paucis pòst diebus, quàm redijssemus: ad quem reijciendi essent ij, qui nos deinceps quippiam de Aetna postularent. Itaq; confeci librum, quo vterq; nostrûm communiter vte etur. Nam cùm essemus in Noniano, & pater se, vt sole bt, ante atrium in ripam Pluuici contulisset, accessi ad eum progresso iam in meridianas horas die: vbi quæ locuti su-

ti sumus inter nos, hæc ferè sunt. Tibi verò nunc orationem vtriusq; nostrûm, tanquam habeatur, explicabo, non tanquam recenseatur. Igitur *cùm illum multa in vmbra sedentem comperissem, ita initium interpellandi eum feci.*

PETRVS BEMBVS FILIVS.

Diu *quidem* Pater *hìc sedes: et certè ripa hæc virens, quã populi tuæ istæ densissimæ inumbrant, & fluuius alit, aliquanto frigidior est fortasse, quàm sit satis.*

BERNARDVS BEMBVS PATER.

Ego *verò* Fili *nuspiã esse libentius soleo, quàm in hac cùm ripæ, tum arborum, tum etiam fluminis amœnitate: neq; est quod vereare, ne quid nobis frigus hoc noceat, præsertim in tanto æstatis ardore. Sed fecisti tu quidem perbene, qui me ab ijs cogitationibus reuocasti, quas & libentissimè semper abijcio, cùm in* Nonianum *venitur: et nunc quidem nobis nescio quo pacto furtim irrepserant non modò non vocantibus, sed etiam inuitis.* B. F. *De repub. scilicet cogitabas aliquid, aut certè de* Triumuiratu *tuo: sæpe enim ex te audiui, si fieri posit, velle te, in agris cùm esses, quoniam tibi id cùm modicè contingeret, tum etiam perraò, de ijs quæ in vrbe agantur, tanquam lethæo aliquo sumpto poculo, nihil omnino recordari.* B. P. *Est ita, vt dicis: nam cùm ab vrbe propterea me frequentiaq; hominum, tanquã à fluctibus, in hunc solitudinis portũ recipiam, vt relaxem à curis remittamq; paulisper animum, meq; ipsum restituã mihi, atq; ad reliquos confirmem labores, vt in ludis athletæ solent, qui cùm prima in lucta desudarint, considunt parumper, seseq; reuocant, vt sint ad reliqua postea certamina valentiores: si tamen illæ ipsæ me rus etiã prosequuũtur, quas fugio curas & solicitudines, profectò nihil ago, quod*

mihi quidem nunc ipſum euenit, qui cùm ſolus in hac ripa conſederim, vt dignum aliquid hoc ſilentio meditarer, ecce nos vnda illa ipſa reſorbuit vrbanorum negociorum, paulatimq; in Triumuiratus mei curas delapſus ſum. B. F. *Ita ſanè coniectabar: viſus es enim mihi iamdudum neſcio quid multa cogitatione commentari, neq; eo vultu, quo eſſe hîc ſoles, hilari & ſoluto, ſed quo te in vrbe conſpicimus, contractiore interdum & graui.* B. P. *Rectè coniectabare. Sed iſta tandem, quoniam nimis iam moleſta ſunt, obliuiſcamur.* B. F. *Vtinam ipſe id poßis Pater, tibiq; iſtud, quando ita te iuuat, tam facile factu eſſet quàm dictu eſt. Sed omnes curæ, quæ quidem ſint maximæ ita ferè ſe habent, vt ſi inſequaris, non fugiant: ſi fugias, etiam inſequantur. Munus autem iſtud tuum cùm eſt ipſum negotioſißimũ per ſeſe, quippe à quo ferè omnes reipub. noſtræ partes pertractantur, quodq; vniuerſæ ciuitatis cæterarumq; vrbium noſtrarum aduocationem ſuſtinet: tum verò illud etiam accedit, quòd tu is es, qui maximè omnium tranquillitatem animi requietemq; deames: quo fit, vt magis etiam illa ſentias, quæ te premũt.* B. P. *Eſt fili, eſt ſanè cauſa illa quidem non leuis, quæ mihi labores adauget meos: ſed tamen, vt verum fatear, aliud quiddam maius me mouet, quod ipſum nuper me in vrbem reuocauerat, ſic dum ſederem, reuocatq; ſæpißimè.* B. F. *Quid illud tandem eſt?* B. P. *Quòd reipub. cauſa non commoueri neque vellem, ſi poſſem: neque poſſem, ſi velim. Nam cùm ab ineunte ætate ita vitam inſtituerim meã, vt patriæ adeſſem ſemper, prodeſſem cùm poſſem, potuerim autem nonnunquam vel iuuenis & domi & foris, illa verò me ſæpe muneribus reliquis, ſæpe legationibus honeſtarit: eam ipſe ſi deſeram nunc, cùm & experientia*

rientia & consilio & autoritate plus valeo, quid sit aliud, quàm si tu me iuuenis senem destituas, filius patrem? B. F. Duas *igitur causas prædicas,* Pater, *curarum tuarum, duras tu quidem illas et graues: verùm quia te sciente à teipso pro ueniunt, perferendas.* Nam *qui te idem & actionibus tradidisti, quibus ocio inimicius esse quid potest? & rus amas se cessusq; istos tuos, quæ quidem, cùm multò diutius ipsis ca-reas quàm fruaris, vitam tibi illam efficiunt molestiorem, dolendum tibi nõ puto, si te vel illis ipsis rebus condemnes, quas fugis, vel fugias omnino, quæ te iuuant. Sed illud tamen quale est, quod te dixeras reipub. causa commouerit? an te fortasse mi pater motus ij Galliarum perturbant, qui feruntur?* B. P. *Minimè illi quidem: verùm admodum gaudeo te è Sicilia redijsse: nam si aliquid euenerit, malo te hic esse, vbi omnes sumus, quàm illic, vbi neminem habes tuorum.* B. F. *Equidem adsum ac libens, cùm ea de causa, tum quia vobis omnibus carebamus iam nimium diu: caue tamen putes nobis hoc* Siciliensi *biennio quicquam in vita fuisse iucundius.* B. P. *Gaudeo & id quidem: idq; ipsum ex eo suspicabamur, quòd nondum ad nos cogitabatis. Sed postaquam in eum sermonem incidimus, vt de Sicilia loquere-mur, narra mihi quemadmodum ea se habent, quæ de* Aet*neis ignibus & feruntur paßim, & leguntur: te enim accesßisse illuc cũ* Angelo *tuo, totumq; montẽ perlustrasse audiebamus: & nobis quidẽ certè nunc vacat: quid enim hoc æstu agamus meridiani? neq; est, quod ego soleam libẽtius, quàm de naturæ miraculis audire.* B. F. *Hæc verò vt libet modo valeã recensere, et quidẽ eiusmodi sunt, vt tibi audienti afferre vel magnã poßint, mihi certè narranti semper aliquã afferant voluptatẽ. quanquã quidem iam hoc ipsum facimus*

nimis sæpe: quàm enim multis nos eadem ipsa censes postea, q̃ è Sicilia reuersi sumus, narrauisse? Sed consurge, si placet, ab hac vmbra: nã in ripis quidem omnis quæ fit accubatio, ea si longior est, esse admodũ grauior solet, atq; ad illa buxeta nostra, si tibi videtur, sedesq; pergamus. B. P. *Periniquũ tu quidẽ facis, qui de ignibus loquuturus, ab vmbra et frigore decedendũ putas: sed quãdo ita vis, propter aquã potius in ripa deambulemus, & cũ fluuio sermoni reliquo demus operã loquentes: ita mihi videbor melius tuas illas flammas* Aetneas, *si me offenderint,* Pluuici *mei vnda tẽperaturus.* B. F. *Illæ verò neq; te offendẽt, cùm absint lõgißimè: neq; hic si adessent, restinguere illas posset* Pluuicus *tuus, cùm mare ipsum etiã cedat illis volẽtibus, atq; earũ ardoribus cõtrabatur.* B. P. *Magnũ exordiũ inchoas fili, ac iam planè vix credenda sunt ista quæ dicis: verùm qui ita fiat, explana id etiã mihi.* B. F. *Faciã, vt iubes: sed opus est antè, quàm illò veniã, vt aliqua te prædoceã deq; insulæ, deq; mõtis natura: quibus cognitis, ad ea quæ postulas, recta pergemus via.* B. P. *Agè, vt libet, modò ad illa etiã aliquãdo veniamus: quin etiã mihi feceris gratißimũ, si ea lege inceperis, vt ne quod pulchrũ prætereatur, siue vidisti aliquid, siue audiuisti, siue quid es ipse commentatus.* B. F. *Ego verò, si placet, iter tibi nostrũ omne ordine recẽsebo, teq; à* Messanæ *mœnibus vsque in* Aetnæ *cacumen perducam.* B. P. *Placet, & cupio: incipe igitur, viamq; ipsam omnem reminiscere, & tanquam recurre, si potes.* B. F. *Agam sedulò id quidem. Itaque ne te teneã diutius:* Quartusdecimus *mensis agebatur, ex quo ego &* Angelus *meus apud* Constantinũ *præceptorem* Græcarum *literarum studijs exercebamur: neq; sanè adhuc vacuum vllum tempus dederamus nobis laboris, ac*

ne vnũ interea integrũ intermiseramus diem. B. P. *Nimiũ fuistis aßidui vestris in studijs adolescentes, vel etiã supersti-tiosi: annum & menses nouæ linguæ rudimentis incubuisse nullo intermisso die: mirũ, si vos vel habitudo illa prior de-stituit, vel color: nos tamen è nauigatione traxisse vos pal-lorẽ istũ & maciẽ putabamus.* B. F. *Ita euenit: sed iã tandẽ nos ipsos respeximus: placuit enim vt* Aetnam *viseremus, at que interea, dũ animi relaxarentur, quod efficere vel occu-patißimi debeamus, tantũ naturæ miraculũ etiã feriati no-sceremus: ita iucũdis aliquot sumptis comitibus, qui nos per ducarent, conseßis equis* Messanã *reliquimus. Sed iter sum-mo littore facientibus nobis* Taurominium *vsq; memorabile nihil cõspectum est. A læua statim* Rhegiũ *et* Brutij *agri par uo primùm, mox latioris maris interuallo aperiẽtibus sese paulatim angustijs, prospectãtur: à dextra colles cõtinui im minẽt,* Bacchi *tota feracißima plaga, et* Mamertinis *vinetis minus fortasse quàm olim fuit, tanquã ab ipsa vetustate cõ-tritis iã laudibus, sed tamẽ satis nunc etiã percelebris. In me dio ferè itinere vel paulò ampliùs, castellũ* Nisus *ex aeria mõ tis rupe viatorib. se ostẽtat: vnde illud deuectũ* Ouidianum,

Nisiades matres, Sicelidesq; nurus.

Incolæ vallem etiam omnem, quæ subest, Nisi *regionem vo-cant.* B. P. *Erit isto sanè modo etiam aliquid infra* Tau-rominium *memorabile: nam de hoc* Poetæ *versu, si rectè memini, nobis pueris nondum inter grammaticos conue-niebat: qua quidem in re adhuc illi arbitrum si quærunt, planè video eam controuersiam posse dirimi à* Niso *tuo: à quo nescio quàm blandè cæteri hospites excipiantur, te certè, vt illi dicerent, etiam elegantiorem remisit. Sed se-quere.* B. F. *Taurominij cum veterum monumentorum*

reliquiæ plures visuntur, templa, sepulchra, aquæductus: quin sæpe temerè Græca *numismata paßim effodiuntur, af fabrè facta illa quidem, neq; in æs modò insculpta, sed in argentum, sed in aurum, quod etiam* Syracusis *crebrò accidit, & est iam totius ferè insulæ familiare: tum coctile theatrum adhuc manet: paulò quàm id, quod* Romæ *vidimus, minus, nisi quod illud amphitheatrũ est. quæ quidem omnia eo inspexi diligentius, quòd te recordabar plurimum semper veterum hominum imaginibus monumentisq;, tanquam virtutum illorum & gestarum rerum testibus, oblectari.* Vrbs *ipsa loco præcelso atq; edito sita, & montium angulo promissa in pelagus, mare* Ionium *longè lateq; prospicit.* Theatrum *vltimam anguli rupem insedit, quà collis conspicuus ante omnem vrbem in circum planitiem ducens audentior procurrit in mare, atque hinc fluctibus, inde vrbe medius ipse terminatur.* E Tauromini*tano demißi iugo, & littore paulatim relicto, vallemq; ingreßi, quàm à læua* Aetnæ *radices, à dextra* Taurominitani *montes efficiũt, per eam* Randatium *peruenimus nouũ oppidum, & in* Aetnæ *radicibus, qua parte mediterranea despectat, situm. Iter totum à* Taurominio *nobis quatuor & viginti mil. paß. confectum est.* Vallis *sonoro & perpetuo flumine scinditur & irrigatur.* Platani *numerosa sylua, vtrasq; ripas inumbrantes, maximam sibi vallis partem egregiæ incolæ vendicarunt.* B. P. *Ain tandem, platanos illæ habent ripæ?* B. F. *Pulcherrimas illas quidem, & multißimas, vt non* Socratem *modò, aut* Platonem, *scholasq; omnes mitiores suis vmbris inuitare poßint ad philosophandum, sed etiã* Gymnosophistas *durißimos illos quidem homines, & sole admodum delectatos.* B. P. *Quàm vellem, vt cum earum duabus possemus,*

mus, vel tribus arboribus, multò plures fructiferas arbores ex illis quas in quincuncem dispositas habemus, cõmutare. B. F. *Vtinã illæ tibi potius pater ijs stantibus totum* Pluuicum *obduxissent:poterant enim vel vniuersum* Nonianum: *sed nescio an isto sub cœlo prouenirent.* B. P. *Equidem arbitror:nam illis postaquam in* Italiam *traucctæ sunt, & quidem ab ipsa* Sicilia *primùm, multæ vrbes abundauere: quanquã posteriorũ hominũ negligentia deperierint: nos enim dum* Romæ *essemus,vnam,quæ in ima ripa speculi est* Dianæ Aricinæ,*pro miraculo vidimus.Sed nihil est profectò, mihi crede, nihil est fili (vt ego semper dicere soleo) quod effici ab homine cura diligẽtiaq; non possit: nos enim, vt de meipso loquar, quibus tamen, ex quo hanc villam exædificauimus iam inde antequam tu esses natus, consumere hìc nondum etiam licuit triginta integros dies,neq; quando licebit scio,cupiam certè semper,& peroptabo,vides quàm multos tibi posuerimus ordines pulcherrimarum arborum vel nostratium, vel aduenarum? quòd si etiam platanos habuissem, nunquam illæ me viuo perijssent: & haberes tu quidem nunc,quo melius inuitare posses* Faunum *tuum: & ille, quo libentius accedere.* B. F. *Vellem equidem mi pater: sed quando id effici non potest,oblecta te populis tuis: tum etiam,si placet,sicuti matres filiorum nomina, qui desiderantur,in eos sæpe transferunt,quos habent, ita & nos platanos istas vocemus.* B. P. *Mihi verò placet has populos semper vocari: atq; haud scio, an etiam cùm eas tempestas vetustásue consumpserit, vt ait ille de quercu* Mariana, *tamen erit in* Noniano *populus,quam* Bembeam *populum vocent: ita mihi quidem videtur illas æternitati commendasse suis carminibus* Aurelius *noster.* Quare,

Quæ vitreas populos arduo
Bembeas ad aquas vertice tollitur,
Viuum cespitem obumbrans
Intonsa bicolor coma,

sit semper populus, crescat, surgat altius vel aquula hac, vel Poetæ versu. Sed vt ad platanos redeam, non tam hoc mea causa cupiebam fili, quàm tua: ego enim me oblectaui satis. tum experiendo illud didici, vt ne quid admirarer: neque si quid serò aliquando, quod facio semper, cùm licet, siue ædifico aliquid, aut paro, propterea id facio, vel quia illis omnibus rebus putem me esse vsurũ, cui meipso vti iam meo ipsius iure nòn licet, vel quia non facilè illa possem contemnere, quibus carerem: quid enim mihi potest iam ad eos dies, qui mihi reliqui sunt ad viuendum, esse non satis? vobis illa parantur pueri, vobis illa inquã, non mihi: scio enim quàm à parentibus quæsita hæc, dulcius accipere soleant liberi, quàm ipsi facilè comparare, siue quòd in quærendis rebus pleriq; laborem fugimus, in partis omnes voluptatem amamus, siue quòd in ijs, quæ nobis à maioribus nostris relinquuntur, insit etiam memoria illorum, qui tradidere: quæ illa nobis nescio quo pacto cùm sanctiora efficiat, tum certè facit multò etiam iucundiora. B. F. *Mihi quidem pater & nunc ista charißima sunt, quæ, qua es in nos amoris exuberantia, à te video dici, & erunt semper, dum viuam, fixa animo & memoriæ meæ, cupioq; vt ex ijs ipsis rebus, quæ mihi à te, quæq; fratri comparantur meo, longißimam ipse nobiscum percipias voluptatem. Sed si tibi nos vnquam naturæ lege superuiuemus, habeo alia ego, vt de me tantùm loquar (nam de fratre quanquam multa possent dici, malo illi integram causam relinquere respondendi tibi) habeo alia*

lia inquam, quæ mihi sanctißimam tui memoriam semper efficient etiam absq; Noniano tuo : *quippe qui me puerum educaueris non diligenter modò, sed planè, quod verè mihi videor esse dicturus, etiam religiose: habueris tecum in legationibus tuis, imbueris optimis moribus, omnibusq; bonis artibus, quod in te esset, ita semper institueris, vt verear ne sim prorsus ingratißimus, vltra hæc mihi à te si quid vnquã reliqũ optauero, tum si de ijs ipsis tibi nõ ego semper maiores gratias habuero, quàm si mihi magnificas villas construxisses. Quare ista quidem de causa nihil est sanè quod labores.* B. P. Ego *verò ac multùm: nam qui tibi illa præparauerim, quæ sunt longè potiora, meo quidem iudicio, &, vt video, etiam tuo, curandum mihi est hæc tibi vt ne desint: quæ cùm minora quidem sint, valde tamen sunt necessaria: quemadmodum si te quis ad cœnam vocet, ferculaq; afferat cùm varia, tum sumptuosa, vina multifariam apponat, ministros adhibeat, calices quærat, et vasa vel argentea, vel aurea, nisi statuerit triclinium, aut mensas in hortulo disposuerit, vt tibi stanti cœnandum sit, certè tu illum nihilo probes magis, quàm si tam multa omnino non parauisset.* Ita *mihi eueniet patri: nam quòd te rectè instituerim à puero, mecum habuerim semper, vtranq; linguã te docendum curarim, id est ad cœnã vocasse te satis dubiam & sumptuosam, in qua depasceres animum tuum, teq; ipse conuiua elegans oblectares: conuiuæ nanq; sumus omnes, dum viuimus: neque aliud est omnis vita nostra, qua sub hac mũdi luce fruimur, quàm longa cõcœnatio, aut, vt iam verius dicam, conuictio. Quòd si nec sedem vllam tibi, nec vmbrã aliquã præbuero cœnanti, hoc est, nisi viuenti diuersoriũ secessumq; gratum aliquẽ parauero studijs et Musis tuis, profectò nõ tam in illis lauda*

bis diligentiã meã, quàm in his etiã culpabis negligentiam: neq; tã pulchra ea tibi esse videbuntur, quib. abundaueris, quàm fuisse illa, quib. carebis, necessaria: ita fiet, vt cùm semel abiero, tu me sæpius accuses, quàm probes. B. F. *O mi pater, me ne tã impiũ vnquã futurũ, vt te audeã accusare? ego te vnquã accusem pater? quid si nõ tu me sæpe monuisses, & ego aliquãdo scriptũ legissem à summis ac sapientißimis viris, animi bona esse, quæ beatos homines facerẽt sola ipsa p sese, quæq; opis externæ nõ egerẽt, ea neq; eripi posse cuiquã, nec ætate senescere, nec morte interire? cætera õia mãca esse, labilia, momẽtanea: quæ quoniã fortuna & casu regerẽtur, tãto esse magis quẽq;, quãtũ illa cõtẽneret, vel diuitẽ, vel etiã sapientẽ? animos nostros ex ætherea sede in hãc corporis labẽ profectos ea lege, vt ad illã ipsam purgati aliquãdo reuerterentur: quæ hîc essent, despicere: ad illa se intendere, quò properarẽt? me verò, quẽ ista quãdoq; docuisses, nisi mihi villã reliqueris syluãq; platanorũ, putas tibi esse succẽsurũ? nõ est ita mi pater: ne putes.* B. P. *Nõ puto.* B. F. *Neq; me tã dementẽ existimes velim.* B. P. *Nõ existimo.* B. F. *Quid ita igitur loquebare?* B. P. *Quia nouerã mores hominũ, tũ etiã ptentare te prorsus volui, quàm rectè ista sentires. Sed omittamus hæc iã tandẽ fili, atq; ad eã partẽ sermonis, ex qua egreßi sumus, reuertamur.* B. F. *Imò verò pater nec reuertamur: quid .n. amplius nobis cũ platanis illis? de ijs enim loquebamur. Sed (si placet) ad Aetnã potius, de qua sermo haberi cœptus est, propemus.* B. P. *Mihi verò pplacet, ita tamẽ vt ne festines: tibi .n. ego oẽs has pomeridianas horas dico. Et quoniã me impellente nimiũ iã extra Aetnæ terminos prouecti sumus, nõ cõmittã vt te interpellẽ sæpius, nisi quid erit, quod de ea ipsa te rogẽ.* B. F. *Tu verò vt lubet: ego autẽ,*

vt te

vt te video velle, sic faciã. Sanè mõs ipse situ, forma, magnitudine, fertilitate, incẽdijs mirus, demũ tota sui qualitate ac specie lõgè cõspicuus, & sibi vni par est. Ab aurora mare Ioniũ bibit, & Catanã sustinet imo in pede: cũ sole descẽdit in insulã ea parte, qua Tyrrhenũ pelagus est, & quæ Aeoliæ appellãtur: laterorsus, in septẽtriones vergẽti Pelorus obijcitur, & Italiæ angustiæ sunt: cõtra reliqua insula subiacet, tractusq; ij oẽs, qui cũ Lilybæo in Africam protẽduntur. Ipsa Aetna radices suas ferè in orbẽ deducit, nisi sicubi orientẽ et meridiẽ versus promisso cliuo paulisper extẽditur. Cœlebs degit, & nullius mõtis dignata cõiugiũ, castè intra suos terminos cõtinetur. Circũitur nõ minus, quàm centũ mil. pass. ascẽditur ferè p viginti, quã breuior via. Imi colles, ac oĩs radicũ ambitus p oppida, & p vicos frequẽs incolitur, Baccho, Pallade, Cerere feraces terræ, armentorũ oĩs generis supra quàm credas, feracissimæ. Hìc amœnissima loca circunquaq;: hìc fluuij psonantes: hìc obstrepentes riui: hìc gelidissimæ fontiũ perennitates: hìc prata in florib. semper & omni verna die, vt facilè quilibet puellã Proserpinã hinc fuisse raptã putet: hìc arborũ multiiugæ species, & ad vmbram crescentiũ, & ad fœcunditatẽ: in qua etiã tantũ excellũt cæteras oẽs arbores, vt mihi quidẽ magis huic loco cõuenire videãtur ea, quæ de Alcinoi hortis finxit Homerus, quàm ipsi Phæaciæ, in qua certè nos cùm è Sicilia rediremus, nihil eiusmodi vidimus, quod nos tãtopere oblectaret: vt etiã non inurbanè Angelus meus interrogãti eũ cuidam ex Phæacibus, qui nobis vrbem omnem ostenderat, quidnam illi videretur, ita responderit: Ego Phæaces debere vos quidem, inquit, Homero permultum existimo, qui vobis plura etiam tribuit, quã ipsa natura. Referã (si potero) Latinè, vel certè

vt potero: nam aduerti propterea tum etiam diligentius illum ipsum Homeri *locum:*

Hic nemora in cœlum latè crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumq́;, pirumq́;,
Et dulces ficus, & magnæ Palladis arbor.
Non illis borealis hyems, non officit æstas
Torrida: sed placidas zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat fœtura per annum,
Et pomo insenuere recentia poma priori,
Et noua iam miti superaduenit vua racemo.

Medius mons nunc varijs arboribus latè syluescit, & præcipuè pinis & fagis maximā in magnitudinē multitudinemq́; crescentibus: quarū illæ inferius, hæ sublimiores sunt: nunc nudo latere arabiles in plagas extenditur, & sæpe vsque ad imū descendit, frumētis adeò fœcundus, vt credita nonnunquam in centuplā segetē cultoribus ferat. Itaq; prudenter, vt multa, illud etiā prisci viri, quòd nobilißimū templum Cereris *in* Aetna *constituêre: vbi enim potius dea segetū coleretur, quàm vbi segetes optimè prouenirent? Atq; id quidem tantum de segetibus. Verùm ab vniuersa* Aetnæ *fertilitate, vt opinor, fabula etiam emanauit,* Aristeū *giganta eo in monte ita saluū esse atq; viuere, vt neq; ab* Aetna *prematur vnquā, neq; flammis cœlestibus inuratur: quòd optimi & vberrimi essent fructus, qui per* Aetnæ *loca nascerentur, nullo telluris vitio, nulla aeris offensi malignitate: nam &* Aristos Græci *quidem illos vocabant, qui vicissent in certaminibus: quòd verbū ab optimo deductum est credo: quia nisi optimi non vincerent: & gigantas scimus esse filios* Telluris *appellatos: ita, quoniā fructus vniuersos tellus quasi mater parit, cū fructus* Aetneos *esse optimos atq; vberrimos vellent dicere, tanquam*

quam

quam cæteros superarēt, fabulæ datus est locus nō inuenustè quidē, si tibi ita videtur: expecto enim etiā quid tu sentias sci re abs te. B. P. *Mihi sanè videtur: itaq; redde cætera.* B. F. *Reddam pater, atq; illa ipsa quidem quæ à principio postu laras, & quorū caussa ista omnia dicta sunt: ventum est enim ad id, vt iā de ignibus loqueremur.* B. P. *Verebar sanè, tu ne me lōgius circunduceres: quanquā quid longū mihi esse hac in re, qua de nunc agimus, atq; hoc in ocio potest?* B. F. *Cu rabo id quidē, ne fiat, si potero, quantum potero diligenter.* B. P. *Imò hercle fiat potius, etiam id si facere ipse, ne fiat, potes: non enim impedio: illud autem ideo dixerā, quia te pu tabam antequā istuc accessisses, aliquandiutius erraturum.* B. F. *Ego verò existimabā pater, errauisse me sic etiā nimis diu.* B. P *Non est ita: sed ne nunc tandem erremus, per- ge de ignibus, vt proposuisti. Verùm autem quid hæres?* B. F. *Pergam equidem, vt iubes: sed scin' quam in salebram inciderim?* B. P. *Nihil profectò minus.* B. F. *Dum tibi ad ignes festino, eam Aetnæ partem, quæ nobis vna re- stabat de tribus (sic enim partiri soleo, & qua sine ad ignes ipsos perueniri non potest) penè omiseram suboblitus: ita Aetnam, quasi Chimæram, cecideramus, & tanquam ream capite mulctaueramus imprudentes. Sed agam nunc tutius, ac de vtroque simul loquar. Superior itaque montis pars (nam iam de ijs quæ infrà sunt diximus) vsque ad sum- mum cacumen nuda variam faciem ostendit: nam alibi se- miherbosi tractus sunt intersurgentibus tophis, qui etiam in Pedemontana regione passim visuntur: alibi per summa ora exundans incendium saxis fluentibus totas plagas occu pauit: alibi arenarū campi magnam in longitudinem & la- titudinē extenduntur. In supremo crateres duo sunt, quorū*

alterũ,qui quidem inferior est,ipsi vidimus in putei rotunditatē angustum, emissis veluti gemina sponda circunquaq; saxis tum exustis, tum diuersicoloribus: atq; hunc lapidea planities ambitu angusto continet:quò vt primùm inscendimus,sulfureis statim nebulis & vrenti fumo, veluti è fornace, percussi ora,penè retulimus gradũ: mox increscente audacia, quà ventus perflabat, paulatim ingressi craterem ipsum tetegimus manu. Effundebatur inde,tanquã ex camino,fumus, non intermissa exhalatione: is tamen etiam scissa per longa incendia montis cute, ventis intus furentibus,qui eo die vehementes fuerũt, multis in locis sibi faciebat exeundi viam: interdum quoq; repentè ipsis sub pedibus exiliens, manere nos vno in loco nõ permittebat. quinetiã illud accidit,vt quem locum maximè contemplabamur,quòd erat saxis nuper effusis,& adhuc ignem & sulfur retinentibus incrustatus, per hunc, qua parte concesserat in rimam, subitò efflueret igneus riuus,ac pedes ipsos inter emissa ex riuo saxa vrentia prosilirent. B. P. Quid ais? pereã ni me totũ cõmoues fili, atq; etiã perterrefacis tua ista oratione. Quid autem saxa illa? an quenquã vestrûm læserunt? B. F. Neminem profectò pater: quin etiam eorũ duo, cùm refrixissent, quæ manu capi poterant, Messanam deportauimus sulphuris partem seruantia,cætera subnigra. B. P. Quid enim vos tam vltra temerè procedebatis? B. F. Quia cùm licere illic nobis tutò consistere putabamus, tum etiam lustrandi singula studio, vel potius auiditate ferebamur. B. P. An nesciebatis,Plinium illum maiorem,ita occidisse, dum nimium diligenter, ne dicam inconsultè, Vesuiani incendij causas perquireret, montemq; perlustraret? B.F. Quid ni sciremus pater? verùm tanta nos delectatio illius spectaculi

ſpectaculi detinebat, tanta rei nouitas, tantus inuaſerat ſtupor, vt ſuijpſius iam nemo ſatis noſtrûm recordaretur. Sed *miſſa hæc faciamus, atq; ad illã planitiẽ, de qua modò dixerã, reuertamur: quæ quidẽ ita tamẽ perurebat ipſa, vt admotæ ſolo manus, niſi extemplò retuliſſes, offenderẽtur.* Pedes *duplici calciamento, ita propter aſcenſus difficultatẽ comparato, tuebamur. Ab eo cratere, quẽ dixi, mons per fundæ iactum inſurgit aſcenſu difficillimo, partim ſalebris impedientibus, partim tardãtibus arenis, & cliuus ſtatim etiã omnibus ex partibus impendebat. Is vnuerſi corporis vertex ſummus eſt, et tanquã in vrbẽ arx domina, ſic ille in montẽ prominatur.* Ab *eius inſcenſu detinuere nos potentiſſima vis ventorũ, & exhalantes fumi: itaq; tibi de illo referre quidẽ aliud nihil poſſum, niſi tibi ea vis recenſeri quæ ab* Vrbano *monacho accepimus poſtea, Meſſanæ cùm eſſet, homo ille quidẽ ſpectatæ fidei, atq; harũ rerũ cupictiſſimus ſciſcitator: is enim paucos ante nos dies per ſummã tranquillitatẽ totũ verticẽ perluſtrauerat.* B. P. *Imò verò cupio: noui enim ego illũ, atq; amo, quod te nõ latet: quare mihi futura ſunt hæc omnia, illius etiã teſtimonio gratiora.* B. F. *Aiebat ille igitur (quãdo ea tibi narrari poſtulas, quibus tamen ego tã accedo vt credã, quàm omnino ſi aſpexiſſem) verticẽ illũ eſſe ab ingẽti cratere occupatũ ambitu circiter quatuor ſtadiorũ, eumq; nõ vſq; in imũ deſcẽdere eodem hiatu, ſed alnũ ſibi intus paulatim aſtringere eatenus, quoad in eius medio ad euomenda montis incremẽta ſatis amplo ore foraminatur: tũ eſſe in ſumma montis corona paruũ tramitem, vbi pedes firmentur: ex eo ſi quis declinauerit, aut in craterem obrui, aut è monte deturbari: ſtetiſſe tamen ſeſe ibi dum barathrum exploraret: eructaſſe tum montẽ magno ſtrepitu*

incendia caliginosa, & vrentes petras supra os, quantum sagitta quis mitteret, insurgentes: atq; eum, veluti corpus viuens, non perflasse semper, sed emissa semel anima cessasse diutulè, dum respiraret: tum se copiam intuendi habuisse, quæ vellet: mox respirasse iterũ atq; iterum pari interuallo vsquequaq;: interea ingemere intus cauernas auditas, intremere etiam tonitruis montem sub pedibus magno & formidoloso ijs, qui aderant, horrore: ex quo illud mirum videtur, quòd qui tum strepitus per tranquillitatem sentiebantur, eorum à nobis nihil auditum sit in tanta ferocia ventorum. B. P. *Illud verò nec videatur fili, neq; planè ipsum est mirum: constat enim, quemadmodum scriptores tradidere, simul cum ventis Aetnæ animam immutari: & quo flante, fumos tantùm aut caligines exhalet, eo ponente, modò puras, modò craßiores flammas emittere, pro surgentium ventorum qualitate: aliquando etiã effundi torrentes igniũ varia exundatione, prout intra montis viscera pinguia vel exilia incremẽta sunt, quæ cùm ita se habeãt, illud etiã posse fieri, quis est qui neget, lenißima vnius venti aura eos strepitus intra montem excitari, qui vel furente altero non queant? nõ enim quàm perflet quis, sed quàm intret in montem, quamq; se in cauernas illius, inq; viscera insinuet, est spectãdum.* B. F. *Intra montem igitur tu, tanquam intra pectus animam, sic accipi ab Aetna ventos putas, quibus illa modò spirat leniter, modò vehementius incitatur?* B. P. *Sanè quidẽ: nisi tamẽ veriora illa sunt quæ de Typhoeo, deq; Encelado Poetarum fabulosa diligentia concinnauit.* B. F. *Verißima illa quidem fabella est: sed perge tu, mihi atq; etiã pater huius incendij causas redde, si placet: nam ex incolis quidem inuentus est nemo, qui ea nobis paulò verius explicaret.*

caret. B. P. *Pergã, vt libet: sed non prius id faciam, quàm mihi dixeris, quomodo illud sit, quod tu verißimã fabellã dixisti.* B. F. *Quia sanè ea demũ verißimè fabula est, quæ nihil habet veritatis.* B. P. *Pulchrè nimirũ: atq; isto modo ego etiã dicere historiam maximè falsam possum, vt ea sit demũ falsa quammaximè historia, quæ falsi habeat nihil.* B. F. *Non sequitur istud pater: sed nos dialecticè è captiosis sophistarum circulis coronisq; ne auocemus: satis enim habet illic negocij: Quare agè mi pater, explana potius illa nobis quæ petimus, ea incẽdia vnde oriantur, & orta quomodo perdurent.* B. P. *Tu verò postulas etiam sine dialecticis philosophari: quod quidẽ ipsum fieri quàm poßit, vel alio tẽpore ex te ipso cognosces, vel cùm voles, audies de me: nũc verò agè, philosophemur. Intereà tamẽ paulisper hoc in cespite cõsidamus: neq; enim vllis adhuc Nonianis legibus cautũ est, ne quis temerè quoquo in cespite cõsidat: quemadmodũ olim Romanis, ne quoquo in gradu: & ego iam deambulando defeßus sum.* B. F. *Tu verò quiesce vt libet, & quandiu libet: ego autẽ & stare adhuc possum libentius, & te ita melius auscultabo.* B. P. *Et quidem hoc etiã licet: sed quoniam ita vis, vt quibus de ignibus ego te antea interrogaueram, de ijs tu me nunc audias differentẽ, breui expediã quæ sentio: neq; enim nimis multa sunt. Tellus quidem omnis, Bembe fili, sicuti nostra corpora, foraminibus canalibusq; distincta est, & tanquam venis internotata, siue quòd omnino coire non potest, quæ specie quidem multùm sibimet differat intra sese, siue quòd aut gignit ipsa semper aliquid, aut interimit, & immutat; neque vnum idem omnis, atq; semper manet, siue vt alij tradidere, & quidem principes in philosophia viri, quia planè viuit ipsa, atq; à mundi*

anima vitam trahens, ab eadem mundi anima extra intraq; perlustratur. Sed in omni tellure nuspiam maiores fistulæ, aut meatus ampliores sunt, quàm ijs in locis, quæ vel mari vicina sunt, vel à mari protenus alluuntur: nam cùm exedit semper mare, consumitq; suopte contactu suaq; natura omnia, tum autem si partem est nactum aliquam debiliorem, membraq; non adeò robusta telluris, erodit illa multò facillimè, pergitq; in viscera ipsa quantum potest: itaq; cùm in aliena regna sibi viam faciat, vētis etiam facit: ex quo fit, vt loca quæq; maritima maximè terræmotibus subiecta sint, parum mediterranea. Quòd si etiam in sulfuris venas venti furentes inciderint, tum incendia excitantur sanè non difficulter: quoniam & in sulfure concipiendi permagna ignis vis inest, & venti etiā aliena succendunt vi sua. Hæc autem tu vt in Aetna accidant omnia, vide: quippe, vt modò tute dixisti, quæ mare in radicibus habeat, quæ sulfurea sit, quæ cauernosa, seu quòd natura ita fuerit semper ipsa, seu quòd à mari aliquando perforata ventos admiserit æstuantes, per quos idonea flammæ materies incenderetur. Habes vnde incendia oriantur Aetnæ tuæ: habe nunc quomodo etiam orta perdurent: in quo quidē nolo ego te illud admirari, quod vulgus solet, magnum esse scilicet tantas flammas, tam immensos ignes post hominum memoriam semper habuisse, quo alerentur: quid est enim magnum ipsi magistræ rerum omnium atq; artifici Naturæ? quid arduum, quid illa tandem non potest? Qui stellas, qui solem, qui cœli cōuexa, qui terras omnes ac maria, qui mundum deniq; ipsum, quo nihil est admirabilius, vel potius extra quem nihil est, quod admireris, sæpe sine admiratione intuemur, ijsdē nobis esse Aetna miraculum potest? Caue sis tam imprudens fili, vt tu

id

id putes: nam si naturã respicimus, nihil in Aetna est, quod mirum voces. Si rem consideramus ipsam, nónne tibi etiam mira videantur cùm alia loca permulta, tum vel Aponi nostri fontes, calidæq; illæ purißimæ, quibus natura nõ tãtùm vt calefacerent, dedit, quod erat tamẽ ab aquis alienum, sed multũ de iure quoq; rerum omniũ conceßit, multum de nostro, tum aliquid de deorum etiam, & suo, vt morbis scilicet mederentur, non modò sine vllo ægri dolore, qua de causa Græco verbo Aponus nomen inuenit, sed etiam cum voluptate? Itaq; qui curantur,

Non venas reserant (vt ait ille) nec vulnere vulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mista bibunt:
Amissum lymphis reparant impunè vigorem,
Pacaturq; ægro luxuriante dolor:

Nam morbos quidem expellere, hominum planè est rerum vsum multarum rectè callentiũ, hoc autem, vel sine dolore id efficere, vel, quod multò est maximum, etiam cum voluptate, deorum mihi quidem videtur esse proprium, ipsiusq; principis omnium, & parentis Naturæ. Quòd si cum vno Aponi fonticulo & canali profunda illa cõparaueris, inundationesq; omnes Aetnæ tuæ, fortasse non verear, ne noster hic colliculus tuo illo mõte sit minor. Sed faciã, vt tibi pollicitus sum, & Aetnæ incẽdia quomodo alãtur, docebo. Quoniã igitur omnia (vt scis) humore atq; calore cõcipiũtur, cũ & semper ardeat mons, & semper à mari perlustretur, habes iã duobus his verbis quod petis: ignis enim, qui detrahit semper aliquid atq; consumit, gignit etiam semper aliquid sibi quod consumat, suo ipsius calore humectantibus vndis tellurem, semperq; igni materiam sufficientibus, quo alatur: nam & bitumen maximè, quod sulfuri simillimũ est, fit

ex terra & limo exudante tellure: tum & eiusdem ferè generis alumen, quod quia ex salo & terra conficitur, ita vocatur. B. F. *Vnde autem saxa, & pumices pater, & eiectamenta illa, quæ vomit? quid illa tandem sunt? an sulfur tantùm, bitumen, alumen omnia?* B. P. *Nequaquam fili: sed tanta est vis ignium, præsertim inclusorum, & ventis intus furentibus, vt non viscera imbecilla modò, sed planè nerui etiam fortiores corripiantur telluris, & saxa ipsa durissima liquefiant.* B. F. *At ea ipsa saxa non aliquando defecisse, montemq; sibi nõ subsedisse, nónne illud est mirum pater?* B. P. *Neq; id fili quidem mirum: tellus enim semper fœcunda sui est, semperq; semet ipsa parturit: nisi tamẽ malis tu cum* Pythagora *sentire, qui quidem apud* Ouidiũ *ita præcipiens inducitur, vt audeat affirmare,* Aetnea *incendia non esse vsquequaq; duratura.* B. F. *Ego verò quid sentiam, non sat scio: quanquam equidem mallem* Pythagoram, *quàm* Empedoclem *imitari: ille enim quæ naturæ consentanea videbantur, credebat, asserens mutari quidem omnia, nihil tamen omnino interire: hic dum curiosius naturæ causas perscrutatur, etiam seipsum imperscrutabilem facit.* B. P. *Sed valere nos illos sinamus fili: & quoniam nos tibi,* Aetnæ *incendia vnde fiant, diximus, id velim ego scire item ex te, ipsa hæc quomodo fluant. Neque enim puto huius ignarum rei, tanquam dormientem spectatorem, sic te ex eo spectaculo redijsse.* B. F. *Iam istud quidem pater fieri sine vllo negocio potest, vel vna* Hesiodi *comparatione, qua ille in sua* Theogonia *fluxisse ait tellurem, vbi eam post fulminatum* Typhoeum *igne correptam describit, hoc ni fallor modo: ex quo sanè libet mihi suspicari etiam pastorem illum* Ascræum *aliquando* Aetnam *conscendisse,*

disse, atque inde sibi sumpsisse, quod de vniuersa tellure scriptum reliquit:

Vritur ipsa ingens tellus, æstuq; furente
Liquitur, albentis quondam ceu lamina plumbi
Arte virûm flammisq; caua fornace liquescit,
Seu ferrum: quanquam hoc maternæ viscera rupis
In duras aluere vires, cùm ferbuit olim
Vulcani domitum manibus, terraq; fatiscit.

Et quidē propterea illum ego plumbi & ferri exempla posuisse crediderim, vt alteri ea compararet quæ igne facilius corripiuntur & fluunt, vt sulfurea tellus omnis, & eæ telluris partes, quæ tenuiores sunt: alteri autem cùm saxa omnia, tum ea quæ flammæ resistunt magis, & sunt suapte natura duriora. B. P. *Mihi hæc quidem certè non displicent ipsa per se: atq; etiam delectauit me nonnihil Poetæ ingenium, qui tam aptè descripserit fluentem & ardentem tellurem: sed tamen tu fili nimium perparcè respondes ad illa quæ peto: non modò enim hoc ita simpliciter cupio, ea incendia quomodo fluant, scire abs te: sed etiam, vbi descenderint, quam faciem capiant: tum si perdurant eadem semper, an aliquando immutantur, audire.* B. F. *Geram tibi morem pater, & ea quæ postulas, vt potero explicabo. Pleno iam partu vt maturior est omnis fœtus, quicunq; in Aetnæ matris vtero coalescit, nisu parientis expellitur & eiectatur quacunq; prius rimam inuenerit, aut viā sibi parauerit vi sua: sæpe tamē exit ex eo cratere quē ipsi vidimus, nunquam ex superiore, quòd vel eò inscendere grauis materia non queat, vel, quia inferius alia spiramenta sunt, nō sit opus. Despumant igitur flammis vrgentibus ignei riui pigro fluxu totas delambentes plagas: ij paulatim*

recedente calore priorem ſibi naturam repoſcentes, in lapidem indureſcunt fragilem ſanè flammis eneruantibus, & ſi complectas, putrem. Stat ea confluuies, veluti glacies, cõcreta, vſquedum alteri deſcendant riui: ij nanq; non ſuprà fluunt, ſed inter montis arenoſam cutem & priora concreta fluenta inſinuantes ſeſe, curſum ſibi med ũ quærũt: ſic, quæ prius indurauerant, quia friabilia ſunt, vt dixi, nouis incendijs cedentia crepant, & in partes diſiecta proſiliunt, quacunq; vnda deurgens interfluit: deinde conglaciantem eam altera ſubit illuuies, atq; ipſa tantundem facit: tum altera item, et altera: non enim continuato fluxu mons, ſed per intermiſſos ſpiritus, vt ſuprà commemorauimus, eructatur: atque ita nouiſſimis ſemper vincentibus, multiplicatoq; in immenſum incendio, ex igneis fluminibus fracti lapides altiſſimo congeſtu magnam montis partem occuparunt: atq; ij, quo recentius fluxere, eo & nigriores ſunt, & firmiores: ætate & palleſcunt, & reſoluuntur: inde ego eſſe arenarum plagas omneis, quæ circa cacumen viſuntur, exiſtimo. Materies omnis aridiſſima eſt, atq; ideo minus multò, quàm viui lapides, ponderoſa: ſcabra adeò, vt breui mora, tanquam à lima, conſcendentium calcei exedantur. B. P. *Atq; ego ſanè in eo mallem* Empedoclem *imitari, qui aſcenſurus amyclis æreis vtebatur. Sed ſequere.* B. F. *Ea infra paruum craterem circumuerſus totum montem complexa eſt, et cumulum eum, in quo maior crater eſt, ſuſtinet: demittitur inde alicubi per interualla imum in montem obliquis fluxibus, quaq; Catina iacet, vſq; in mare, lata ſæpe, quà viſus patet, horrendũ ſanè ſpectaculum, modò alueis hiantibus, modò impendentibus ripis. Inter maxima profluuia longè memorabile illud eſt, quod paulò ante noſtram ætatem vſq;*

intra Catinā decurrēs, non paruā vrbis partē incendio depopulauit:neq; sanè descensus is minus, quàm per ducenta stadia cōficitur. Quinetiā *portū eum,de quo ait* Virgilius,

Portus *ab accessu ventorum immotus & ingens*
Ipse,*sed horrificis iuxtà tonat* Aetna *ruinis,*

ita impleuere fluenta Aetnea, *vt iam errasse* Virgilium *putes,quòd portū ibi esse ingentē dixerit, qui penè nullus sit.* B. P. *Istud nimirum est quod à principio dixeras, cedere illis volentibus, atque eorum contrahi ardoribus ipsum mare.* B. F. *Est ita quidem, vt dicis : sed vt ad propositum reuertamur, reptare per eas crepidines, quas dixi, duobus mil.pass.necesse est quemuis craterem visuros : reliquum iter in equis conficitur.* Reptationis *eius labor haud facilè credas,quàm durus est, quamq; indigens virentis genu:quippe,quia degrauante viatore temerè ingesti lapides concedunt,& in ascensu maximè arduo, ni probè posueris pedem,dimoto vno, tota congeries deuoluitur, & in te ipsum ruit:adde,quòd etiam si in plano cecideris, lædunt scabritie sua:& manus crebro cōtactu,nisi contexeris, atteruntur.*Magna *hæc fortasse videbuntur pater audienti tibi : magna enim sunt,vt mihi quidem videri solent, verùm nusquā adeò,ac nobis inspectantibus fuerūt:nam* Aetna *quanta est, nemo quidem scit,qui non videt.* Ex *summo vertice con. em plari totam insulam licet:termini eius longè esse multò minus videntur,quàm sunt.* Brutia *ora ita tibi sub oculis iacet, vt eò posse traijcere penè quidem iactu lapidis putes. Serena tempestate* Neapolitani *etiam tractus extimantur.*Niuibus *per hyemem ferè totus mons canet : cacumen neque per æstatem viduatur.* B. P. Quid, *quòd hyemare tantùm eas &* Plinius & Strabo *meminere?* B. F. *At experientia*

ita te docet, vsusq; ipse autor, quod quidem venia illorum dixerim, longè certior. Quare illud mi pater, etiam atq; etiam vide, ne quid te moueat, si aliqua ex parte huius nostri de Aetna sermonis cum vetustis scriptoribus dissentimus: nihil enim impedit fuisse tum ea omnia, quæ ipsi olim tradiderũt, quorum permanserint plurima in nostram diem: quædam se immutauerint, aliqua etiam allata sint noua: nam, vt cætera omittam, quod cinerosa partim esse summa cacumina dixerunt, eius rei nunc vestigium nullum apparet: cinis enim qui queat conspici, toto monte nullus est: neq; id tamen omnibus annis fuit: nam multorum testimonio accepimus, qui viderunt, annis abhinc quadraginta tantos ex Aetna cineres euolasse, vt per totam eam insulæ partem, quæ ad Pelorum iacet, omnem oleam abstulerint: eos etiam in Italiã ventis ferentibus latos. Sed vt ad niues illas redeamus, addebat idem Vrbanus, Calendis Iunijs ascendente se, satis largiter abundeq; ninxisse: tum iterum, qui dies septimus fuerit post eum diem, dum ipse Randatij moraretur, eo die in vniuersam montanam plagam, niues ferè in pedis altitudinem descendisse: in quo ipso licet Pindarum suspicere, scitè cognomento vsum, qui Aetnam niuium nutricem appellarit. Quo latere subest Catana, media ferè inter ipsam & cacumen regione, purißimus & perennis fons erumpit Dorico vocabulo Crana ab incolis appellatus. Cæterùm toto monte supra radices nullæ aquæ sunt, nisi quæ vel ex niuibus emanant: cuius quidem rei etiam Theocritum testem habemus, in quo dum Galateæ Cyclops enumerat diuitias suas, hæc etiam interserit:

Est glacialis aquæ riuus mihi, quem syluosa
Nectareum in potum niuibus fluit Aetna solutis.

aut

aut si quæ intra fagorum truncos pluuijs descendentibus relinquuntur. Atqui res & locus me monuerunt, vt quod ibi vidimus pulcherrimum naturæ opus & mirati fuimus maximè, non præterirem. Altißima in specula, qua sylua deficiente liberior prospectus in insulam & Tyrrhenum mare est, herbidus campus leni decumbit cliuo: hunc pini proceræ pari distantes interuallo ducta corona circunsepiunt: in medio fagus densißima quadrifido robore se attollens, celsior quàm cæteræ, veluti regina ipsa consurgit: ea nō statim discriminatur, sed à tellure per spatium cubitale vno trunco contenta est: inde se in ramos consimiles æqualibus interuallis dispartitur: internè vsq; ad imas radices arbor deficiens vndis pluuialibus vrnam ex sese facit: illæ montano purgante aere, ac vmbris solem arcentibus, & fontanis gelidiores sunt, & putealibus puriores. Ambigeres ibi tu quidem pater, si quid eorum tibi laudandum esset, quidnā potißimum laudares, an prospectum eius loci, an locum, tum an arborem, an vndas: ita scitè in alteris decorandis, quasi quidem id agerent, vt quid magis pulchrum esset, ambigeretur, & Hamadryas, & Nais conuenerunt: in honestandis verò alteris admirabile quidem est, quantum gratiæ venustatisq; sibi inuicem afferant Iupiter Genio, & Genius Ioui: quo fit, vt in vtrisq; multum Venus etiam permista sentiatur. B. P. *O pulchras naturæ delitias, vel etiam deorum, vt Poetis placet, si qui sunt, qui eum montem colant.* B. F. *Sunt pater, vt aiunt, atq; incolunt illo ipso quidem in loco.* B. P. *Mirabar, si hæc temerè dicerentur prouenire, præsertim à Siculis, quos quidem constat propter sermonis impunitatem & licentiam etiam trilingues vocatos. Sed quis inhabitat deus?* B. F. *Fauni esse fontem illum dicunt.* B. P. *Fa-*

bellam te video inchoare: sed quoniam in Faunum incidimus, sequere: detineri enim me ab illo facilè patior, cum quo te scio libenter etiam carminibus ludere interdum solere. Istud autem qui sciunt? an ita coniectantur? B. F. *Videre se inquiunt pastores, ipsum deum paßim errantē per sylvas & pascua, tum etiam sedentem sub illis arboribus coronatum pinu, & tacentem sæpius, interdum tamen etiam fistula solantem amores. Sed continebo potius me hîc pater: leuia enim hæc sunt, & mihi loqui tecum, nisi reuerenter, non licet: quanquam si pergerem, faceres tu quidem hac in re, quod facere etiam reges in cœnis solent, qui quidem inter apros & pauones, quibus abundant quotidie, interdum tamen & allium poscunt & betas. Neq; sanè animus noster vacare semper rebus seuerioribus potest: neque si vacet, tamen ex illis tam plenam capit voluptatem, quàm si ea ipsa remitteret interdum, & mox nō longo interuallo intermissa reuocaret. Ita tu nūc grauia illa philosophiæ studia, quibus quidem certè id omne tempus soles, quod tibi per rempub. licet, impertire, melius etiam fabellis hisce leuioribus condienda remitteres. Et quidem licet maximè vel in Noniano fabulari.* B. P. *Sanè quidem licet, dum illud tamen semper teneatur, vt cerato remige Sirenas, quod aiunt. Et profectò Poeta ille sapientißimus nunquam Vlyßi concessisset, quem prudentißimū semper facit, vt Sirenarum cantus audiret, nisi liceret etiam grauibus & sapientibus viris, quorum tamen in numero me non pono, minus serijs adesse interdum rebus, & lusus captare nō adeò seueros, modò ne remiges audiāt, hoc est, ne sensus pateant voluptatibus, quibus et demulcentur ipsi semper, &, nisi ratione occlusi sint, sæpe etiam facillimè capiuntur, quod tibi esse faciundum in*

vita

uita maximè semper censeo Bembe *fili: nam nisi te ita infor maris, vt voluptatum illecebris animum imperuium geras, non possum dicere, quàm multæ tibi occurrent species earum, quæ te non adolescentem modò, vt es nunc, demulcere poßint & delinire, ac iam etiam debellare & deuincere, sed planè etiam virũ. Itaq; illis aut magnanimiter imperandum est, quod fecerũt viri omnes magni, & boni, & ij, quos propterea deos etiam appellauerũt: vel omnino turpiter deseruiendum: in quo quidem tu si me audies, nõ cõmittes, vt reiecta continentia atq; ipso amore virtutis, ex illorum sis grege, de quibus præclarè* Horatius:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati,
Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoiq;,
In cute curanda plus æquo operata iuuentus,
Quîs pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessantum ducere curam.

Sed quoniam inclinata iam est dies, procedamus in atrium: nugæ autem pastorales istæ tuæ, sub vmbris sunt potius & inter arbores, quàm intra penates, recensendæ. Quæ cùm dixisset, & iam in atrium peruenissemus, ego finem loquendi feci, ille cogitabundus in bibliothecam perrexit.

DE AETNA DIALOGI
FINIS.

PETRI BEMBI AD HERCVLEM STROTIVM DE VIRGILII CVLICE ET TERENTII FABVLIS, LIBER.

CVM superiore anno Romæ ego et noster Quirinus essemus eo tempore, cùm ille magno hominum concursu, magna admiratione ciuitatis, quatuor millibus ac quingentis illis à se in Philosophia propositis sententijs, omnium omnis disciplinæ philosophorũ impetus penè puer summa cum gloria sustinuit, erant Stroti nobiscũ sæpe cùm alij docti viri, quibus semper floruit illa vrbs, non sanè pauci, tum vel in primis Phædrus Volaterranus, homo & ingenio & doctrina propè singulari, & qui ea tempestate ferè omniũm Romanorum eloquentißimus habebatur, videbaturq; mirificè vel dicendo vel scribendo veterem illam Romanam grauitatem simplicitatemq; redolere. Fuerat is quidem multò antea Hermolai Barbari vsus familiaritate, dum ille apud Innocentiũ Pont. Max. à nostra Repub. Romam missus, Legati munere fungeretur, postcaq; ab eo in sacerdotium adscitus, legatione renunciata in Vrbe remansisset: ad quem (vt ipse aiebat) à Pomponio Læto, cuius erat ipse tunc sectator, sæpißimè deducebatur: magnam enim inter illos viros beneuolentiam conflauerat artium studiorumq; similitudo. Nam in literis quidem (vt scis) alteri eorum, Romani homines, alteri, nostri primas partes deferebant. Et Pomponio quidem vel ætas ipsa (erat enim iam senior) vel quòd ei Romæ floruisse contigerat, habet enim ille quidem magnã apud omnes, sem-

perq;

perq; habebit maiestatem ac veneratione locus, multum autoritatis afferebat. Hermolaus autē ad humaniores illas doctrinas, & cultum literarum, in quibus excellere Pomponius existimabatur, cùm Iuris ciuilis scientiā, quam quidem admodum adolescens fuerat consequutus, tum vel maximè philosophiæ studia, in qua semper multum operæ insumebat, adiunxerat: easq; omnes artes Græcarū literarum luminibus illustrabat, quarū esse peritissimus credebatur. Is itaq; Phædrus cùm esset nobiscum, quod erat ferè quotidie (nihil est enim illo comius, nihil humanius) multa tunc à se puero de Hermolao audita, multa de suo magistro Pomponio memoriter recensebat, præclara sanè ac digna tantis viris, quæq; nescias, vtrum à nobis auscultarentur, an ab illo recitarentur maiori cum voluptate. Nam pergratū nobis erat vel nostri hominis maximi ac doctissimi viri, quem tantummodo vidimus, vel alieni, quem ne vidimus quidem, præsertim Romani, & in Romana Academia longè principis, sermones disputationesq; recensentē audire: & ille, credo quia nobis sese facere rem gratissimam sentiebat, siue quia ita se magistro suo gratiam existimabat relaturum, ijs sermonibus libētissimè detinebatur: quos quidem vniuersos erit fortasse nobis aliud tēpus memoria repetendi, cæterisq; perscribendi. Tibi verò Stroti, nunc potissimū cum sermonem confecimus, quem illi de poetis aliquot nostris habuerunt. Nam quid possum ego, qui poeticis studijs vehementer delector, tibi præsertim poetæ homini mittere aptius? Patiare verò à me hoc te nomine appellari. Quanquā enim è Musarū scholis, quæ te aluerūt, nescio quo fato, quasi transfuga, te repentè traduxeris ad forū, in quo summū longeq; amplissimum in tua vrbe magistratum adeptus ita verseris, nihil vt vn-

quam omnino aliud egisse videare, quandiu tamen vel elegi vel hendecasyllabi tui extabunt, vel illa heroica venatio legetur:legetur autem,vt de Midæ regis sepulchro ait ille: dicam autem Latinè,*vt tu ea facilius poßis,qui* Græcorum *lin guam non multùm calles,intelligere:*

Dum fluet vnda,ferent altæ dum robora syluæ,
Solq́; dabit mundo surgens & Cynthia lumen,

tandiu omnes homines tè poetam appellēt,necesse est. Atq; *illi quidem si viuerēt,qui hæc ipsa,quæ ad te mittimus pertractauerunt,inter seq́; disseruerunt, essetq́; ab ijs eligendus aliquis,cui ea cognoscenda traderentur, ad te vnum illos ar bitror maximè omnium esse venturos. Similia enim similibus cōmendanda sunt. Sed est mihi quidem tecum certè etiā alia causa,qua nulla potest esse laudabilior,amoris & bene uolentiæ neceßitudo: quæ quoniā tu iam pluribus tuis cùm de me tum ad me honorificentißimè amicißimeq́; scriptis carminibus,qualis esset vt omnes homines intelligerent, effecisti,cauendum mihi est, ne si nihil omnino ipse ad te scripsero,parum dignus videar,cui tu tantum non dicam iudicij tribueris,nam id quidem tuo,hoc est,* Poetarum *iure fecisti,sed amoris.* Amo *autem te mi* Stroti,*semperq́; amabo, vel quia es amore omnium ipse dignißimus, vel quia me amas.*In *altero id doctrinæ ingenio,moribus illis tuis suauissimis debeo,in altero voluntati.* Itaque *hæc leges scio tanquam ab homine missa tibi coniunctißimo, libenter: tanquam verò à maximis atque doctißimis viris disputata,etiam cum voluptate.* Aiebat *enim ille idem* Phædrus, *nullo se vnquam spectaculo tam libenter detentum, quàm cùm illos disserentes audiebat, tam lenis, tam docta, tam elegans inerat in ore vtriusque semper oratio,quemadmodum*

accidit

accidit cùm in eum sermonem incidissent, vt de Poetis *loquerentur.*Nam *cùm ad* Hermolaum Pomponius, *vt solebat,ex* Quirinali *ad* Mineruæ *venisset,essetq; ipse vnà cum* Pomponio, *atq; illum in hortis sedentem offendisset (erat autem meridiei ferè tempus) consedisse ibi tum cum illo:visoq; hominis marmoreo trunco,qui ante illorum pedes humi temerè atq; indecorè iacebat, sine capite, sine pedibus, sine etiam manibus, pallio tantum læuo brachio inuoluto, ita cœpisse* Pomponium *dicebat. A me verò hæc nunc,tanquam illos disserentes audias, explicabuntur: sic enim malo,quàm alio modo.Est autē res sic inter illos acta.* POMPONIVS: *Ista verò* Hermolae,*quā hîc habes obtruncatam deturbatamq; omnibus modis statuā,quis scit,an alicuius* Fabiorum,Marcellorum,Sulpitiorum,Catonum,*aut etiam* Scipionū *illorum, hostium euersorumq;* Carthaginis, *fuerit effigies?* Non *enim scire te arbitror, cùm neq; vultus eius inspiciatur,neq; nomen legatur,cuius fuerit.* HERMOLAVS: *Rectè tu quidem arbitraris. Ego enim id* Pomponi *nihilo plus scio, quàm tu:nam,vt vides, nullæ omnino notæ,quibus simulachrum cognosci poßit, remanserunt. Quare de eo nunc quidem arbitratu tuo existimes licet:refellere te nemo poterit. Quòd si cuiuspiam illorum non fuit quos dicis,certè fuit illa quidem effigies magni alicuius viri.* Itaq; *ille ob suum aliquod egregium in remp.facinus se exculpi fecit,vt quoniam erat ipse moriturus,extaret quasi quoddam exemplum sui,in quod cùm homines respexissent,aut inscriptionem legissent,bene de se loquerentur, appareretq; qualis fuisset seclis innumerabilibus.*POMP. Verisimile *id quidem valde est. Quæ enim esse alia causa eius rei potest, q̄ gloriæ immortalitatisq; cupiditas?* Nunc

autem quàm illum spes fefellerit, vides: qui si se ipse contemplaretur, credo ingemisceret, rogaretq; te vt se restitueres: quod quoniam effici non potest, est hoc quidem miserum, sed tamen commune illi cum multis: ex tot enim tamq; claris viris, quorum ita crebræ imagines spectabantur, vt esse Romæ *quasi alter populus lapideus videretur, ad nostram ætatem suis locis ferè statuæ nullæ integræ permanserunt: auulsæ & amputatæ ita tamen, vt dignosci possit quorum fuerint, omnino perpaucæ. Illud verò miserius, carere nos ijs atq; alijs multò illustrioribus multoq; magnificentius vt diuturniora essent constructis monumentis antiquorum, non tam quidem annorum iniuria, quàm etiam negligentia* Romanorum *principum, qui illa, cum sustineri aut restitui possent, neglexerunt.* Itaq; *nunc, vt iam statuas & signa prætermittam, tot sepulchrorum, tot theatrorum cadauera prostrata & diruta ante oculos iacent.* HERM. *Est sanè istud quidem verum* Pomponi, *vt dicis: atque eò etiam se res deteriore habet conditione atq; fato, quòd non ea modò, quæ stare adhuc potuerant, negliguntur, sed illa ipsa etiam quæ stant, quæq; permanẽt, quoniam vetustate ipsa se confici passa non sunt, datur à nostris hominibus opera, enituntur, perficiunt aliquo deniq; modo, vt nunc quidem permanserint ne an ceciderint, parum illorum interesse videatur.* Nam Pantheum *quidem ipsum, quæ profectò ædes vna omnium maximè, quoniã rotunda est, latè circumstrato foro patere vndiq; prospiciq; debuerat, ita paulatim domibus tabernisq; ad templi parietes exædificatis obsepierũt, vt ab* Aquilone *tantũ nunc vix ægreq; conspiciatur.* In Obelisco *illo* Vaticano *autem dici vix potest, quantum à* Romanis *hominibus offensum peccatumq;*

catumq; sit: qui quasi inuiderent superesse aliquod nostris temporibus opus, quod nulla ex parte annorum temporisq; diuturnitas consumpsisset, ruinis aggestis ædiculisq; constructis iam vt lateret, propemodum effecerunt. Sed hæc tamẽ, quoniam tantummodo oculorum oblectamenta sunt, ferenda sunt æquius. Quid illa verò Pomponi, quæ non oblectamenta modò & delectamenta, sed leuatio etiã & medicina, & quasi potus aliquis cibusq; animorum sunt, scripta videlicet illa tot in omni quidem doctrinarum genere antiquorum hominum, vel Græcorum vel nostrorum, maximè autem Poetarum, quæ perierunt, quomodo sunt ferenda? an non tibi longè maior iactura hæc, quàm illa lapidum & murorum videtur? POMPON. Mibi quidem videtur: nisi fortè existimas, si Terentius & Horatius, & noster Maro, Deo aliquo iubente ab inferis exisiterent, malle me illorum frontem aspicere, quàm verba sermonesq; audire. Sed tamen Hermolae, vtinam illa tantummodo perijssent, quæ quidem iam (vt dicis) perierunt, quod est tamen ipsum per se acerbißimum. Nam propè vt signorum, ita scriptorum non parum plura amissa, quàm retenta sunt. Sed vtinam illa tantummodo perijssent, ac non ij etiam Poetæ nostri qui habentur, quiq; permanent, mutilati decurtatiq; haberentur. Quis enim iam eorum liber (de antiquis loquor) mendis peruersionibusq; non scatet? quæ plerunque quasi delumbant amputantq; non modò carminum numeros, orationisq; structuram, sed etiam ipsum sensum scribentis. Atque hoc quidem Hermolae nemo te melius intelligit, cuius in Plinianis castigandis corruptis & deprauatis locis, magnum nostris hominibus laborem eripuit labor. Quòd si tui similes multos mortales

habuissemus, næ nunc quidem valde potius hoc modo Catul liana illa in Pelei nuptijs carmina legerentur:

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quiq́; regis Golgos, quiq́; Idaliũ frõdosum. Itemq́; alibi:
Nunc ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium Ariosq́; apertos,
Quæq́; Ancona Gnidumq́; harundinosam
Colis, quæq́; Amathunta, quæq́; Golgos:

quàm quo leguntur. Venus enim in Golgis Cypri loco colebatur, quemadmodum Pausanias in Arcadicis meminit: non autem in Colchis, vt habent codices. De eo est etiam apud Theocritum in Syracusanarum dialogo versus, in quo Golgon numero singulari positum legitur:

Quæ Golgon Regina colis Venus, Idaliumq́;.

HERM. *Imò enim si tui similes, Põponi, essent ij, qui docti haberi cupiunt, ita legerent istos ipsos, quos affers versus, quemadmodum tu quidem mones. Memini autem me in Lycophronis, opinor, Cassandra legere, Reginam Golgorũ Deam, pro Venere positam, quam quidem Golgi Cypri populi colerent. Sed quid illud est, quod Aerios apertos dixisti? An non habent omnes Vrios codices, si rectè memini, nõ Aerios?* POMP. *Habent Hermolae, teq́; in eo tuus memoriæ sensus nihil fallit, sed, vt ego arbitor, deprauatè: quẽadmodum ea, de quibus nunc quidem loquimur. Qui enim populi sunt Vrij, apud quos Venus culta fuerit, equidem nescio. Si verò legas Aerios, id verbi quam vim habeat, non erit difficillimũ interpretatu. Refert enim Tacitus Historiarum libro tertio, vetustißimi in Cypro delubri Veneris Paphiæ Aeriam autorem fuisse, cuius Amathus filius Veneri Amathusiæ templum & ipse condiderit. Itaq; facile erit dice-*

dicere, à phani nobilißimi cõditore Aeria, Paphios etiã Aerios appellatos, quemadmodum ab Amatho Amathusios: siue ille Aeriæ filius, siue Herculis, vt ait Stephanus, fuerit. Quare mihi quidem sic legendum videtur. Quòd autem apertos poeta dixit, planè Paphijs cõuenit. Est enim Paphos ad mare aperto & aprico loco. HERM. *Placet ista mihi tua loci huius lectio Catulliana Pomponi. Itaq; video te Catulli manibus sanctè apparateq; parentauisse, qui hos illi locos restitueris. Sed sequere: video enim te alia etiã meditari.* POMP. *Verè dicis tu quidem: Catullo autẽ litemus etiam vberius. Nam illa quoq; ijsdem in nuptijs carmina hoc ego modo legenda esse arbitror,*

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus & sedes defendere sueta. *Itemq;:*
Vnde pater diuũm sancta cum coniuge natisq;
Aduenit cœlo, te solum Phœbe relinquens,
Vnigenamq; simul cultricem montis Itoni *Pallada,*

non eo quo leguntur. Nam apud Itonum Thessaliæ vrbem, quam quidem planè vrbem ab Itono Bœoti filio dictam ferunt, siue tu illam Itona, siue etiam Itonem dixeris, his enim omnibus dicitur modis, Pallas templis positis colebatur Itonia dicta, eaq; templa fluuius Cuarius paulò antè quàm in Peneum influeret, alluebat. Verùm ijs ex locis Bœoti domum post Troianum bellum reuertentes, Coroneam Bœotiæ oppidum cùm expugnauissent, Palladi & ipsi condiderunt in plano ante vrbem templum: vtq; inde omnia transtulisse viderentur, credo religione permoti, & ipsam vrbem Itonum, & Itoniam Deam, tum autem fluuius ibi qui erat, eum Cuarium à Thessalia sumptis denominationibus appellauerũt. Hunc Alcæus Coralium, Callima-

chus Curalium nominat, cuius hæc sunt in Balneis de Itonia Bœotorum Pallade carmina: quæ tibi eò etiam libentius referam, quòd est illa nuper noster Politianus interpretatus in Miscellaneis suis:

Vnam olim ô Pueræ Thebis Dea Pallas amabat
Nympham præ cunctis, quas habuit comites,
Matrem Tiresiæ: nunquamq́; fuere seorsum.
Sed siue ad veterum mœnia Thespiadum,
Siue Cheroneam, seu tenderet illa Haliarton,
Vecta iugis visens Bœotiæ populos;
Siue Coroneam, quà pulcher odoribus halat
Lucus, & ara ipsi Curalium ad fluuium;
Sæpe illam curru secum Dea vexit eodem.

Quanquam illud miror, hoc in loco bis Coroneam posuisse Politianum, & quidem plurali numero: neq; nomina discreuisse, quasi nescierit Cheroneam etiam Bœotiæ fuisse oppidum Haliarto viciñu. Nisi verò hæc fortasse nomina librariorum incuria confusa sunt, non illius: quod mihi quidem magis fit verisimile. Verùm ad nostra redeamus. Duæ igitur Itoniæ Pallades fuerunt: prior Thessalica, Bœotia posterior. Montis autem incolam Poeta cùm dicit, potest id quidem aptè de Bœotia intelligi, propterea quòd in colle fuisse Coroneam sitam, locorum scriptores tradiderũt. Sed est de hac etiam Papinij in Thebaide versus:

Hinc annue, sacro
Seu Pandionio nostras inuisere cædes
Monte venis, siue Aonia diuertis Itone.

Nam Bœotia, quæ nũc est, ea prius Aonia dicebatur. Itemq́;

Ducit Itonæos & Alalcomenæa Mineruæ Agmina.

Neque verò existimo Hermolae, parum differens videri tibi,

bi, Itoni ne, an (vt codices habẽt) Ithyni vel Ithomi legatur, cùm vna peruersè addita literula, difficile dictu sit, quantos sæpe sensus perturbarit: quemadmodũ in illis de Amãdi arte libris apud Ouidiũ, si ita hos versus recitaueris, vt dicas,

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.

quod quidem habẽt omnes mehercule codices, vt intelligo, non modò verum sensum, sed ne verisimilem quidem vllum vnquam elicies Poetæ. Quòd si ita dixeris, Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit, & quæ sequũtur, structura tibi omnis, & quasi verborum contignatio statim patebit: ex quo etiam ipsa historia pateat, necesse est. Erat autem ancillarum dies festus Nonæ Iuliæ, quo die Poeta donari ancillas ab amantibus dominarum præcipit: quas etiam Nonas Caprotinas appellauerunt, quoniam eo die ancillæ sub matronarum habitu Gallis hostibus deditæ ijs, qui ea tempestate Romam Atepomaro duce obsidebant, de caprifico signo dato rempublicam bene gesserunt: quam historiam ab Aristide Milesio rerum Italicarum scriptore, ait se Plutarchus accepisse illo in libro, quem is de Græcorum Romanorumq́; comparationibus inscripsit. Nam quòd illos dicit Fidenates fuisse in libris Saturnaliorum Macrobius, conuenire huic loco id non potest, vt mihi quidẽ videtur. Quid autem, nónne vnius etiam interiectio literæ facit, vt qua de causa Horatius Apollinem Agyeum dixerit, nesciatur eo versu,

Dauniæ defende decus Camœnæ Leuis Agyeu?

Agyleum enim habent codices, nõ Agyeum: quod quidem nomen quale sit, illi ipsi viderint, qui sic legunt. Sunt autem (vt nosti) apud Græcos Agyei Dorico vocabulo in coni

formam desinentes columnæ, quas ante fores ædium erigebant, Apollini sacræ, vel vt quidam dicunt, Baccho, vt verò alij, etiam vtrisq;. Sunt & Attico item ante ædium fores aræ Apollinis. quam rem Sophocles tetigit illis versibus:

Ignibus odoris aræ Agyeæ nitent
Suffitu halantes myrrhæ lachrymas barbaro.

Itaq; Apollinem cùm Thyræum, tum etiam Agyeum vocauerunt. Sed hæ tamen peruersiones Hermolae ferri quidem minus molestè poterant, modò non etiam Maronem nostrũ inuasissent, eiuscemodiq; infectionibus & tanquam maculis Cygnum illum Mincianum aspersissent nostrorum longè principem: dicerem omnium, sed nolo tua nobis Græcia succenseat, qua cum mihi perpetuũ esset bellum gerendum, si hoc dixissem. Nam qui sic legunt illos versus,

Nunc scio quid sit Amor, duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt,

haud rectè legunt. Non enim est mons Ismarus inhospitalis, vt Rhodope, sed cultus: quem vitibus conserebant, neutro sæpius dictum nomine, & plurali numero. Erat autem etiã vrbs, quæ quidem alio nomine Maronæa appellabatur: vt illud quod ait, Duris in cotibus, neq; de oppido, neque de monte vitifero poßit dici. Est igitur sic legendum:

Aut Tmarus, aut Rhodope.

Tmarus autem, qui etiam Tomarus dicitur, mons est Dodonis asperrimus atq; incultißimus, non minus quàm Rhodope Thraciæ. Tota verò etiam Epirus, in qua Dodone est, inculta & ferox semper est habita. Itaq; Poeta cùm dixisset, Duris in cotibus illum. Aut Tmarus aut Rhodope: quoniam satis iam sibi videbatur Amoris sæuitiam duorum mon-

montium asperitate probauisse, probat denuò à loci longinquitate, infertq́; Aut extremi Garamantes, & quæ sequuntur. Quanquam etiam enumeratio ipsa duorum montium diuersis in regionibus positorum, elucere mihi quidem magis videtur atq; splendescere, quàm si de positis vnà in Thracia *dixisset. Versus quoq; & cultior est, & sanè hilarior, in quo ter segregantis illa vox* AVT, *dicitur. Sed næ ego imprudens, qui hæc tecum, cuius tu generis omnia multò melius dispicis, quàm ego.* Et *fortasse tibi ocium à tua philosophia non est, quod his impendas.* HERM. *Mihi verò est: atq; haud scio an etiam sit hoc ipsum philosophari. Quid est enim magis philosophi, quàm perscrutari veritatem? Quacunq; in re autem, qua de agatur, quid sit verißimum, scire, mea quidem sententia pulcherrimum semper fuit. Itaq; ille grauißimus philosophandi autor & magister* Plato, *dum in eo libro, in quo de recta nominum ratione disputat, istud ipsum perquirit,* Homerica *illa non modò Agamemnonis, Orestis, Astyanactis, Hectoris, sed etiam* Xanthi *& Scamandri nomina ambitiose minutißimeq́; interpretatur. Quare non est cur me pœniteat, cùm de peruersis* Poetarum *sensibus locisq́; disseratur, ista etiam audire, de te præsertim, cuius ex ore nihil non melle dulcius fluere, nihil excidere non decorum potest. Sequere igitur, ac* Maro*nem nostrum, si quid ex illo aliud, quemadmodum ex hac hominis figura multa, tempus vetustasq́; consumpsit, perge restituere quantum potes. Nam de Tmaro mihi quidem perplacent quæ dixisti. Sed velim scire ex te, vnde tibi illud suboluerit. An tu fortasse antiquum aliquem legisti librum* Virgilianũ, *in quo ita sit scriptum?* POMP. *Legi sanè, ac perantiquũ quidem, apud meq́; habeo, vt si tu mihi parum*

adhibeas fidem, ille te poßit cogere, cùm inspexeris, vt mihi prorsus assentiare. Qui quidem quanquã liber ipse quoq; truncus mutilatusq́; sit, quippe cui præter iuuenilis ludi libellum, & illos Bucolicorũ *sermones decem, &* Georgicorum *primi libri partem, nihil omnino superest: habet tamẽ non paucos rectè scriptos locos quibus delectere: quos tibi, vt postulas, explicabo (mandaui enim memoriæ) nõ oratione illa quidem dulci ac decora, quam dicis, in quo summus erga me amor tuus te mehercule decipit, sed planè vera.* Non *tamen prius id faciam, quàm tu etiam te receperis explanaturũ mihi eos locos, quos (vt intelligo) habes permultos in* Terentij *tui fabulis longè, ac paßim habeantur, secus.* HERM. *Faciam vt iubes,* Pomponi: *cogis enim iam tu me, qui mihi audiendi tui conditionem istam imponis.* Itaq; *amœbæum (vt video) conficiemus. Sed quid illud libri est, quem tu iuuenilem ludum appellas? ego enim me istoc nomine* Virgilij *librum legere nunquam memini.* Nisi *tu fortè eum librum dicis, quem is de* Culice *perscripsit: constat enim ipsum admodum iuuenem illa carmina conscripsisse.* POMP. *Pars illa quidem sunt portioq́; eius libri, quem dico.* Nam *vt* Homeri *(quemadmodum accepimus) non* Batrachomyomachia *solùm opus ludicrum & iuuenile est, sed alia quoque permulta,* Phocais, Cercopes, Epicicilides, Margitis, Amphiaraus, Caminus, *pusillaq́; altera* Ilias, *quam sic incœpit:*

Dardaniam Troiamq́; cano, quam plurima circum
Perpeßi Danai duro gens aspera bello:

ita Maronis *nostri, præter* Culicem, *hi etiã sunt ludentis adolescentiæ quasi partus,* Diræ, Copa, Est nõ est, Vir bonus, Moretum, Rosæ: *quæ omnia librum hunc conficiunt iuuenilis lu-*

lis ludi, quem dico. Ea est enim eius libri inscriptio. quo magis assentior ijs, qui Priapeorum librum esse Virgilij nõ putant. Quid est enim magis ludicrum, quàm illa carmina? in eo tamen septo & quasi cauea Virgilij ludorũ illa non sunt. quanquam quidem huius etiam semper rei maximum mihi videri argumentũ solet Virgiliana verecundia. Itaq; magis audiendi sunt ij, qui omnino à compluribus vno tempore Poetis inter seq; familiaribus ioci gratia compositos fuisse illos versus existimant: quorum quidem cùm Nasoni magnam partem tribuant, quia is Virgilio familiaris nõ fuit, negant Virgilij esse vllum in eo libro versum: qua in sententia me Bernardi Bembi vestri hominis mihi amicißimi etiam autoritas confirmauit, dum is non multis ante te annis hac in vrbe pro vestra rep. esset Legatus. Nam cùm in hunc ferè sermonem incidissemus, diceretq;, nihil esse eius libri autoribus incertius, nihil obscurius, vnius epigrammatis testimonium attulit, quod quidem me iuuene non habebatur: affirmauitq; sese illud primum omniũ inuenisse vir grauißimus in Patauino quodã sacello lapide extra vrbẽ tertio, si rectè memoria teneo, in antiquo marmore incisum, obrutumq; ruderibus abiecto loco. Idq; fuisse postea temerè Priapeorũ carminibus pro Virgiliano ab impressoribus cupidis illis quidem fortasse viris ditandi, augendiq; rem literariã copia numeroq; librorum, sed planè cùm indoctis, tum etiã indili gentibus: nam peruerse transtulerũt. Quòd si ea quoq; Hermolae, quæ nostra ætate inuenta sunt, quæq; habemus ipsi ante oculos, deprauari nobis sentientibus peruertiq; videmus, nõ est iam profectò mirum, si quæ in lucem multis ante nos seculis prodiere, ea confusa sunt illusionibus intolerabilibus. HERM. Nihil omnino id quidem Pomponi mirũ.

Sed velim versus illos recenseas, quos dicis:nam & ipse Ber*nardum* Bembum *amo, & ille me.Eius autem* Petrus Bem*bus filius, mihi etiam secundum patrem plurimum tribuit.* Sed Bembus *quidem pater dum crebris ac propè continuatis legationibus fungitur, à patria abfuit permultos annos: cuius filius ex quo ingredi cœpit, ferè semper cum illo fuit.* Ego *autem non multùm sanè temporis domi vel in ocio vel in negotio consumpsi: itaq; effectum est vt beneuolentiæ nostræ fructum præsentes adhuc ferè nullum perciperemus: vnà enim non multum sæpe fuimus:absentes & illi me omni officiorum genere, & ego illos sum prosequutus. Quamobrem nihil miror te ab homine mihi coniunctißimo ea accepisse, quæ ego nunquam acceperim: neq; enim antehac quicquam horum audiui, quæ dicis.* Fac *igitur nunc de te illos versus audiam,quos memoras, si tibi videtur.* POMP. *Tu verò audi,sunt enim hi:*

> *Aerarij quondam custos,nunc cultor agelli,*
> *Hæc tibi perspectus templa* Priape *dico.*
> *Pro quibus officieis,si fas est,*Sancte *paciscor,*
> *Adsiduus custos ruris vt esse velis:*
> *Improbus vt si quis nostrum violarit agellum,*
> *Hunc tu,sed tento:scis puto,quod sequitur.*

*Quo quidem in epigrãmate,officieis, pro eo quod nos officijs dicimus,*Nigidiana *illa regula, de qua meminit* Gellius, *antiquè est in ipso marmore inscriptũ.Sed hæc aliàs.* Nunc *vt ad Poetæ locos veniam,sunt in* Rosis *hi versus:*

> *Rara pruinosis canebat gemma frutetis,*
> *Ad primi radios interitura die.*

quos cùm legerent maiores nostri,& Die *pro eo casu nominis,qui est vltimus, accepissent, omnia confuderunt, scripseruntq;*

pferuntq́;,quod quidem multis in libris legi,

Ad prima radios interitura die.

Est autẽ Die secundus casus antiquè dictus:vt idem in Georgicis,Libra die somniq́; pares vbi fecerit horas. & in Aeneide: Munera Letitiamq́; die. Quanq̃ in altero dicat Gellius scripsisse Virgilium Dies,in altero autem Dij,vt vterq́; secundus casus sit perueteri regula, quam postea vsus abrogauit.Præterea sunt in Copa hæc carmina:

Eia,agè,pampinea fessus requiesce sub vmbra,
Et grauidum roseo necte caput strophio,
Candida formosæ decerpens ora puellæ.
Ah pereant,cui sunt prisca supercilia.
Quid cineri ingrato seruas bene olentia serta?
An'ne coronato vis lapide ista tegi?
Pone merum & talos,pereat qui crastina curat:
Mors aurem vellens,viuite,ait,venio.

Quibus autem in verbis reliqui peccent libri, ne singula persequar,per te ipse licebit sumptis exemplaribus perspicias.Itaq; ad tuos te reijciam libros,eos tu videbis, cùm voles.Sed quod hîc Poeta vellere aurem dixit,postea in Bucolicorum transtulit libros,

— Cynthius aurem
Vellit & admonuit pastorem,Tityre pingues
Pascere oportet oues,deductum dicere carmen.

Sunt in Viro bono hæc:

Vir bonus & sapiens,qualem vix repperit vnum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo,
Iudex ipse sui,totum se explorat ad vnguem:
Quid proceres,vaniq́; ferat quid opinio vulgi,
Securus,mundi instar habens,teres atq; rotundus,

Externæ ne quid labis per leuia sidat.

Cui perquàm simile est illud Horatianum, *vt iam non modò sensum ordinemq; sententiæ, sed ipsa etiam* Virgilij *verba videatur* Horatius *transtulisse in sermones suos:*

Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari.

Sunt in Diris *hæc:*

Flectite currentes lymphas vaga flumina retrò,
Flectite, & aduersis rursum diffundite campis:
Incurrant amnes paßim remeantibus vndis,
Nec nostros seruire sinant erronibus agros.

Sunt præterea hæc:

Dulcius hoc memini reuocasti Battare *carmen,*
Emanent subito sicca tellure paludes,
Et metat hic iuncos, spicas vbi legimus olim.

Quo in loco quia reliqui omnes libri ita habent scriptum hunc versum, vt de reliquis taceam, Et metat hic miles spicas vbi legimus olim, vidés ne Hermolae, *quã leui sæpe de causa pulcherrimi* Poetarũ *sensus deturpentur?* HERM. *Quonã his inquis modo?* POMP. *Vt videlicet, quoniã erat in veteribus exemplaribus (quẽadmodũ mihi videre videor) ita hæc lexis* MILES *adscripta, vt esset extra versum tanq̃ interpretatio illius pronominis* HIC, *ne pro aduerbio reciperetur, non doctorũ librariorũ aliquis, quorũ mehercule magna quidem copia semper fuit, mendũ ratus versũm ipsum peruerterit eo quo tibi dixi modo: qui quidem paßim error in eos, qui habentur, postea codices emanarit. An nõ tibi ita videtur?* HERM. *Mihi quidẽ* Pomponi *videtur: ac mirum dictu est, quàm multis in locis deprehenderim ea, quæ necesse est in librorũ marginib. alicuius rei causa veluti notas*

à perle-

à perlegentib. fuisse cõscripta, intra legitimũ postea ordinẽ, & quasi certũ orationis atriũ, recepta ab his qui descripsẽrũt, deinceps nõ suo in loco diutius q̃ opus erat, permãsisse. Itaq; *perge ad reliqua.* P O M P. *Ego verò pergã, eoq; libẽtius, quo me video vnius etiam amißi versus instauratione, eius libelli mœrorẽ consolaturũ. Nam vbi illa sunt carmina:*

Dulcia amara prius fient, & mollia dura,
Candida nigra oculi cernent, & dextera læua,
Migrabunt casus aliena in corpora rerum,
Quàm tua de nostris emigret cura medullis.
Quamuis ignis eris, quamuis aqua, semper amabo:
Gaudia semper enim tua me meminisse iuuabit.

Ille versus, Quamuis ignis eris, quamuis aqua, in libris reliquis nõ habetur. Sed hæc leuia. Illa aliquãto grauiora, quæ Culicẽ *penè totum infecerunt. Nam (vt quidem se habent ij, qui leguntur) ita sunt libri pleni mendis, vt iam ne legantur quidem.* H E R M. *Animaduerti equidẽ* Pomponi, *cùm adolescens haberẽ illum librũ in manibus, permultos esse versus in quibus hærerem, tanquã in salebris: offendebar enim non tam mehercule vel difficultate sensuũ, vel historiarũ obscuritate, quarum mihi neutra eiusmodi propè esse videbatur, vt percipi non posset, si quid latêret, quàm certè illis ipsis aut peruerse scriptis, aut planè etiã deficientibus exemplarium locis.* Itaq; *mihi gratißimũ feceris, si non eo modo, quo ista nunc à te dicta sunt, etiã* Culicẽ *ipsum explicabis: tetigisti enim tantũmodo carptim membratimq; quosdã locos: quod abs te tamẽ ideo factũ existimo, quia eorũ opusculorũ minus multæ peruersiones deprehenduntur: sed si mihi ordine totam carminũ seriẽ syluamq; recensebis. Nam nec valde mul a sunt: & sumus, vt vides, ociosi: modò tu illa memoria te-*

neas. POMP. Ego verò nunc quidem teneám ne memoria eum librum, an non, haud satis scio: tenere aliàs certè me memini. Recensebo autē ordine, si potero, singula vt postulas Hermolae: video enim eo te nunc studio libenter teneri, quo ego sæpe detineor, vt Maronianū versum aliquem iacere ne sinamus: qui quidem legentem facilè sequuntur singuli, modò ne tanquam ferreis manicis, sic indoctorum hominum erratis implicentur. Itaq; cum illo sic incipiam:

Lusimus Octaui, gracili modulante Thalia,
Atq; vt araneoli, tenuem formauimus orsum:
Lusimus. hæc propter Culicis sint carmina dicta,
Omnis & historiæ per ludum consonet ordo,
Notitiæq; ducum voces. licet inuidus adsit,
Quisquis erit, culpare iocos Musamq; paratus,
Pondere vel culicis leuior famaq; feretur.
Posterius grauiore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cùm securos mihi tempora fructus,
Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Quid autem ô Hermolae, nónne tibi satis aptè videtur Virgilius his versibus & proposuisse Augusto, quid sit scripturus, et causas cur ita scribat, attulisse? Nam quòd ait, Culicis carmina, & historiæ ordinē, et notitiæ ducum voces, totum opus complexus est. Quòd aūt & Thaliā gracilem, & araneoli orsum dicit, duas afferre ille mihi videtur rationes, cur luserit: quia enim erat ipse adolescēs, suas in poeticis studijs vires graciles dicit. Quòd verò tunc primùm Augustū alloquebatur, suā hanc inceptionē quasi araneoli orsum appellat scitè mehercule, nisi me amor fallit: nam et texere poetæ dicuntur, cùm scribūt, quod araneorū est, et à materia nō discedit, qua de se scripturū pollicetur. Itaq; ait, PROPTER

HAEC

HAEC, *hoc est, & quia Thalia nostra gracilis est, & quia nunc primũ ad te scribimus, carmina Culicis & quæ sequuntur, sunt illa quidem per ludum dicta hoc tempore: nam*

Posterius grauiore sono tibi Musa loquetur Nostra, dabunt cùm securos mihi tempora fructus, Vt tibi digna tuo poliantur carmina sensu. An tibi hæc probantur, quæ dico? HERM. *Mihi quidem probantur. Quin etiam propterea illum existimo Thaliam potius, quàm aut Calliopen aut Melpomenen aut Polymniam, aut aliud omnino Musæ nomen posuisse, vt latenter suam non adultã iam confirmatámue poetices facultatem, sed planè surgentem crescentemq; innueret: surgere enim et crescere et pullulare, vt scis, eo Græci verbo dicunt: à quo est quidem Thaliæ inditum vni ex nouem Musis nomen.* POMP. *Rectè quidem existimas Hermolae: quid enim tu nõ rectè? Itaq; perge me adiuuare isto modo sæpius: sic enim melius id, quod volumus, assequemur. Ea verò quæ sequuntur, hæc sunt:*

Latonæ magniq; decus Iouis aurea proles
Phœbus erit nostri princeps & carminis autor,
Et recinente lyra fautor, siue educat illum
Alma Chimeræo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnasia rupes
Hinc atq; hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæq; sonans liquido pede labitur vnda.

Erat autẽ Xanthus (vt scis) Lyciæ ciuitas apud Chimæram conuallẽ in Xanthi fluminis eiusdem nominis ripa, Pataræ vrbi perquã vicina: qua in vrbe Apollo colebatur. Nomen verò pro nomine hoc in loco Virgilius cõsuetissima Poetarum licentia posuit. Itaq; Apollinem inuocat tribus ex celeberrimis locis, Patara, Delo, Parnaso. Te verò iterum ad

monitū volo Hermolae, vt ad tuos te referas libros, si, quot in locis nostræ hæc à cōmunibus exemplaribus recesserint, volueris inspicere:

Quare Pierij laticis decus ite sorores
Naiades, & celebrate Deam plaudente chorea.
Et tibi sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aerios nemorum tractus syluasq; virentis:
Te cultrice vagus saltus feror inter & astra.

Hic Palē qua de causa Poeta inuocet, nō est iam quærendū, agrorū videlicet et saltuū et nemorū et pecorū & pastorum Deam: est enim eadem et Vesta, quam ipsam esse terrā crediderūt. Quamobrē qui Tibullianos illos versus ita legunt,

Vos celebrem cantate Deam, pecoriq; vocate Voce Palem, eo errore lapsos puto, quòd planè nō mehercule Cupido agrorum Deus dicitur, sed Pales. qui quidem tamen versus (quemadmodum te scire arbitror) ita sunt ipsi legendi:

Vos celebrem cantate Deum pecoriq; vocate,
Voce palàm pecori, clàm sibi quisq; vocet,
Aut etiam sibi quisq; Palam: nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.

Nam quoniā dixerat Poeta Cupidinē in agris natum, inuocari etiā illum ab agricolis tanq̄ eorū Deū præcipit: de agrestibus enim loquebatur dijs. Palàm autē dicit & clàm, sumpta (vt mihi quidē videtur) ea figura dicēdi ab Homero, vbi ille sub Aiacis nomine cum Hectore decertaturi hæc dicit:

Martia quin ego dum interea circum induor arma,
Vos orate Iouem taciti, ne sentiat hostis,
Adiuuet vt nostri Saturnius orsa laboris.
Siue orate palàm potius, neq; enim horreo quenquam.

Sed

Sed nos ad Maronem nostrum reuertamur, qui quidem sic continuat Culicem suum:

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis
Octaui venerande meis adlabere cœptis,
Sancte puer: tibi nanq; canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Vrit Erichthonias oriens non ignibus arces,
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Iacta, meo quærent iam sera volumine famam.
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cùm timuit venientis vndiq; Persas,
Mollia sed tenui pede currere carmina versu
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet.

Ecce autem, dum se dicit currere carmina molli pede Virgilius, nónne tibi etiã currere ipsemet versus videtur, & quidem molliter? Nam cùm est ex dactylis totus confectus, quibus nihil potest esse in heroico celerius, tum habet permultas syllabas, in quibus nihil inest asperum, nihil durum. Itaque hac figura dicendi quia est in Aeneide vsus pluribus locis, cùm &, Procumbit humi bos, dixerit: &, Ruit oceano nox: et, Conuulsum remis nostrisq; tridentibus æquor: quos quidem planè versus ruere, procumbere, conuelli, non minus videri voluit, quàm illas ipsas res, de quibus loquebatur: negari eam nõ potest iam ab ipso culice tanto antea fuisse illum auspicatum. Sed pergamus ad reliqua:

Et tu sancte Puer venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per æuum:
Et tibi sede pia maneat locus: & tibi sospes
Debita fœlicis memoretur vita per annos

Grata bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur.
Igneus ætherias iam sol penetrarat in arces,
Candidaq; aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roseis tenebras Aurora fugarat,
Propulit è stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, & excelsi montis iuga summa petiuit,
Lurida quà patulos velabant gramina colles.
Iam syluis dumisq; vagæ, iam vallibus abdunt
Corpora, iamq; omni celeres è parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt ad caua rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula proiectis carpuntur & arbuta ramis,
Densaq; virgultis auidè labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit carpente cacumina morsu,
Vel salicis lentæ, vel quæ noua nascitur alnus:
Hæc teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Imminet in riui præstantis imaginis vndam.
O bona pastoris, si quis non pauperis vsum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis
Omnia (luxuriæ pretijs) incognita curis,
Quæ lacerant auidas inimico pectore mentes,
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera: si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit auarum,
Picturæq; decus, lapidum nec fulgor in vlla
Cognitus vtilitate manet, nec pocula gratum
Alconis referent Boetiq; toreuma, nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cùm tellus gemmantis picta per herbas

Vere

Vere notat dulci distincta coloribus arua:
Atq; illum calamo lætum recinente palustri,
Ociaq; inuidia degentem ac fraude remota,
Pollentemq; sibi viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gratæ rorantes lacte capellæ,
Et nemus & fœcunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca nouis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior æuo,
Quàm qui mente procul pura sensuq; probando,
Non auidas agnouit opes, non tristia bella,
Nec funesta timet validæ certamina classis?
Non, spolijs dum sancta deûm fulgentibus ornet
Templa, vel euectus finem transcendat habendi,
Aduersum sæuis vltrò caput hostibus offert.
Illi falce Deus colitur non arte politus:
Ille colit lucos, illi Panchaica thura
Floribus agrestes herbæ variantibus adsunt.
Illi dulcis adest requies, & pura voluptas
Libera simplicibus curis: huc imminet, omnis
Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Quolibet vt requie victu contentus abundet,
Iucundoq; locet languentia corpora somno.
O pecudes, ô Panes, & ô gratissima tempe
Fontis Hamadryadum, quarum non diuite cultu
Aemulus Ascræo pastor sibi quisq; poetæ
Securam placido traducit pectore vitam.

Hāc verò pastoralis vitæ laudationē Virgilius, quam vides, quamq; à Lucretio sumpsisse illum ferè mihi persuadeo, in Georgicis quidem postea cultius, sed eadem tamen

omnino pertractauit via: vt videri poßit, cùm in opere illo quidē omniū probatißimo emendatißimoq;, translata multa de hoc ipso reliquerit, fuiſſe in hoc etiam ſibi quæ probarentur, iniuriamq; nobis feciſſe tēpora quæ iterū ipſum Culicem quaſi contriuere. Sed hæc aliàs, nunc quæ ſequuntur:

Talibus in ſtudijs baculo dum nixus apricas
Paſtor agit curas, & dum non arte canora
Compacta ſolidum modulatur harundine carmen,
Tendit in euectos radios Hyperionis ardor,
Lucidaq; æthèrio ponit diſcrimina mundo,
Quà iacit oceanum flammas in vtrunq; rapaces.
Et iam compellente vagæ paſtore capellæ
Ima ſuſurrantis repetebant ad vada lymphæ,
Quæ ſubter viridem reſidebant cærula muſcum.
Iam medias operum partes euectus erat Sol,
Cùm denſas paſtor pecudes cogebat in vmbras,
Vt procul aſpexit luco reſidere virenti
Delia diua tuo, quo quondam victa furore
Venit Nyctileum fugiens Cadmeis Agaue
Infandas ſcelerata manus è cæde cruenta:
Quæ gelidis bacchata iugis requieuit in antro
Poſterius pœnam nati ſe morte futuram.
Hîc etiam viridi ludentes Panes in herba,
Et Satyri, Dryadesq; choros egere puellæ
Naiadum cœtu: tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis ſyluasq; canendo,
Quantum te Peneu remorantem dia chorea,
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu:
Ipſa loci natura domum reſonante ſuſurro
Quis dabat, & dulci feſſas refouebat in vmbra.

Nam

Nam primùm prona surgebant valle patentes
Aeriæ platanus: inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At quibus insigni curru proiectus equorum
Ambustos Phaeton luctu mutauerat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
Posterius cui Demophoon æterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala perfida multis.

Versus verò, qui hos in omnibus exemplaribus sequitur,

Perfide Demophoon & nunc defende puellam,

in meo vetustissimo non habetur. Itaq; quemadmodum Aquilas, cùm experiri volunt pullos suos, quicunq; solis radios acie oculorum perferunt, eos adhibere aiunt curam vt nutriant educentq; pro suis: qui autem non perferunt, illos eijcere ab earum nidis tanquam nothos ferunt: ita nos eum versum, qui quidem iam illius nostri libri veritatem splendoremq; reformidat, ex Maroniano eo nidulo tanquã suppositum (si tibi videtur) eijciamus. Neq; enim prorsus vel ad fabulæ sensum atq; ordinem, vel ad carminum structuram quicquam facit: quam etiam impedit potius frangitq; quoquo modo: quod ipsum tamen apparebit latius, cùm ad hæc respexeris, quæ sequuntur:

Quam comitabantur fatalia carmina quercus,
Quercus antè datæ Cereris quàm semina vitæ:
Illas Triptolemi mutauit sulcus aristis.
Hîc magnum Argoæ naui decus edita pinus
Proceras decorat syluas hirsuta per artus,
Appetit aerijs contingere montibus astra.

Ilicis & nigræ species, & læta cupressus,
Vmbrosæq; manent fagus, hederæq; ligantis
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus:
Ipsæq; excedunt ad summa cacumina lentæ,
Pinguntq; aureolos viridi pallore corymbos:
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.

HERM. *Sed retine te hoc loco Pomponi. Cupio autem scire ab hoc Phædro (nam à te satis multa didici) cur Virgilius veteris fati myrtum consciam dixerit. Itaq; si quid habes Phædre, explica. Te verò habere aliquid, etiamsi ingenium illud elegans, alacre, floridum, scatens vndiq; ignorarem tuum, tamen quia hunc sectaris, mihi quidem esset exploratum satis. Quamobrē loquere: audire enim te nunc volo, qui quidem siluisti tandiu.* PHAED. *Ego verò Hermolae, si id ita esset, vt videris ipse existimare: amas enim hunc meum magistrum Pomponium, sed non magis, quàm ille te: haberemq; aliquid, quod tibi afferrem hoc quo me appellas loco (quanquam vobis præsentibus nihil tam me dedecet, quàm omnino loqui) promerem quidem certè, quicquid id esset, mallemq; tuæ voluntatis, quàm meæ verecundiæ habere rationem. Nunc autem cùm nihil habeam, peto à te Pomponi, vt illi respondeas: decet enim magistrum sæpenumero discipuli causam sustinentē respondere.* POMP. *Imò enim potius & ego & tu illum rogemus Phædre, vt sibi ipse respondeat: nam quis hoc facere melius illo potest? Itaq; te cùm pro me, tum pro hoc rogo Hermolae, vt proferas, quæ habes: habere autē te certè aliquid existimo etiam præter ea, quæ de Helpenoris tumulo circunferuntur: nam de his poposcisse te nihil puto, quæ sunt etiā populo notißima.* HERM. *Rectè putas: de ijs enim nihil*

hil popofceram, quanquã non ſunt illa quidem ſpernenda. Sed quoniam ita vultis, referam non iam tibi (neq; enim tecum nunc ago Pomponi) ſed omnino iſti, Heronis, ſi rectè memini, fabellam, quæ quidem modò mihi, cùm tu illum verſum recitares, rediit in mentem. Ait enim in Georgicis ſuis, quæ quidem Græco ſermone cõſcripſit, fuiſſe olim Athenis virginem Myrſinen nomine, cùm puellas reliquas pulchritudine, tum certè robore omnes iuuenes ſuperantem. Itaq; à Pallade peramabatur: erat autem in palæſtris ſtadiiſq; ferè ſemper, coronare etiã illos ſolita, qui viciſſent. Sed cùm inuidia quidam iuuenes afficerentur, ſeſe ab illa certaminibus ſuperatos, puellam interfecerunt: Mineruæ autem deſiderium non reſtinxerũt. Manet enim illa deæ, quemadmodùm olea, familiaris in arborem mutata ſui nominis: ita enim (vt ſcis) Græci Myrtum dicunt. Tu autem Phædre ecquid hæc ad illum locum faciant, poſtea videris. Nunc verò, cùm nihil afferre vis de tuo, ſinamus pergat Pomponius ad ea quæ ſequuntur. Itaq; Pomponi ſequere: mauult enim iſte te, quàm me, vt video, audire. POMP. *Non eſt ita Hermolae: nam te quidem Phædrus non planè minus audit libenter, quàm ego. Sed dabimus vterq; operam, vt tibi mos geratur. Itaq; attende ad reliqua:*

At volucres patulis reſidentes dulcia ramis,
Carmina per varios edunt reſonantia cantus.
His ſuberat gelidis manans è fontibus vnda,
Quæ leuibus placidum riuis ſonat orta liquorem.
Et quanquam geminas auium vox obſtrepit aures,
Hac querulæ referunt voces, quis nantia limo
Corpora lympha fouet: ſonitus alit aeris Echo,
Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.

At circà paßim fessæ cubuere capellæ,
Excelsisq; super dumis, quos leniter adflans
Aura susurrantis poßit confundere venti.
Pastor vt ad fontem densa requieuit in vmbra,
Mitem concepit proiectus membra soporem,
Anxius insidijs nullis, sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandauerat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,
Ni fors incertos iußisset ducere casus.
Nam solitum voluens ad tempus tractibus ijsdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus vt in limo magno subsideret æstu,
Obuia vibranti carpens grauis aera lingua,
Squamosos latè torquebat motibus orbes.
Tollebant auræ venientis ad omnia visus.
Iam magis atq; magis corpus reuolubile voluens,
Attollit nitidis pectus fulgoribus, & se
Sublimi ceruice rapit, cui crista supernè
Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Aspectuq; micant flammantia lumina toruo.
Metabat sese circum loca, cum videt ingens
Aduersum recubare ducem gregis: acrior instat
Lumina diffundens intendere, & obuia toruo,
Sæpius arripiens infringere, quòd sua quisquam
Ad vada venisset. naturæ comparat arma:
Ardet mente: furit stridoribus: intonat ore:
Flexibus euersis torquetur corporis orbis:
Manant sanguineæ per tractus vndiq; guttæ:
Spiritibus rumpit fauces. cui cuncta paranti
Paruulus hunc prior humoris conterret alumnus,

Et

Et mortem vitare monet per acumina:nanq;
Quì diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hàc sæuioris erat naturæ,pupula telò
Icta leui:tum prosiluit furibundus,& illum
Obtritum morti misit:cui dißitus omnis
Spiritus exceßit sensus:tum torua tenentem
Lumina respexit serpentem comminus:inde
Impiger exanimis vix compos mente refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno,
Qui casus sociarit opem,numén ue deorum:
Nanq; illi dederit ne viam casûs ue Deûs ue,
Prodere sit dubium:voluit sed vincere tales,
Horrida squamosi voluentia membra draconis
Atq; reluctantis crebris fœdeq; petentis
Ictibus ossa ferit,cingunt quà tempora cristam;
Et quòd erat tardus,omni languore remoto,
Nescius,aspiciens,timor obcæcauerat artus,
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
Quem postquam vidit cæsum languescere,sedit.

Sed ego hoc loco errata Hermolae explicare tibi singula nō insisto aliorum librorum : facies id quidem (vt sæpe iam dixi)per te ipse,cùm voles:atq; vt facias, vehementer te rogo: non enim commutata verba tantum modo,inter seq; non cohærentia,sed etiam præteritum inuenies integrum versum, cumq;,quem quidem præteriri minimè oportuit, minimeq; opus fuit.Interea quæ supersunt conficiamus.

Iam quatit,& bijuges oriens Erebo cit equos nox;
Et piger aurata procedit vesper ab Oeta,
Cùm grege compulso pastor duplicantibus vmbris
Vadit,& infessos requiem dare comparat artus.

Cuius vt intrauit leuior per corpora somnus,
Languidaq; effuso requierunt membra sopore,
Effigies ad eum culicis, deuenit & illi
Tristis ab euentu cecinit conuicia mortis.
Inquit, quid meritus, ad quæ delatus acerbas
Cogor adire vices? tua dum mi charior ipsa
Vita fuit, vita, rapior per inania ventis:
Tu lentus refoues iucunda membra quiete
Ereptus tetris è cladibus. at mea manes
Viscera lethæas cogunt transnare per vndas:
Præda Charontis agor. Viden', vt flagrantia tædis
Lumina collucent infestis omnia templis?
Obuia Tisiphone serpentibus vndiq; compta,
Et flammas & sæua quatit mihi verbera pœnæ
Cerberus, & diris flagrant latratibus ora,
Anguibus hinc atq; hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineiq; micant ardorem luminis orbes.
Heu quid ab officio digressa est gratia, cùm te
Restitui superis leti iam limine ab ipso?
Præmia sunt pietatis vbi? pietatis honores
In vanas abire vices, & rure recessit
Iustitiæ prior illa fides: instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens.
Ad pariles agor euentus: fit pœna merenti:
Pœna fit exitium: modò sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror auia carpens,
Auia Cimmerios inter distantia lucos.

Lucos autem Cimmerios, sumpta ab Homero fabula, dixit: qui cùm sciret Cimmerios Septentrionis populos subterraneis domicilijs habitantes ita viuere, vt more patrio aspi-

cere

cere nemo Solem poſſet, eos apud inferos finxit eſſe. Itaque vt alia eius poetæ multa, ſic eſt hoc Maro noſter mutuatus. Sed ad reliqua:

Quem circa triſtes denſantur in omnia pœnæ:
Nam vinctus ſedet immanis ſerpentibus Othos,
Deuinctum mœſtus procul aſpiciens Ephialten,
Conati quondam cùm ſint incendere mundum:
Et Tithyos Latona tuæ memor anxius iræ,
(Implacabilis ira nimis) iacet alitis eſca.
Terreor à tantis inſiſtere, terreor vmbris,
Ad Stygias reuocatus aquas: vix vltimus amni
Reſtat, nectareas Diuûm qui prodidit eſcas,
Gutturis arenti reuolutus in omnia ſenſu.
Quid, ſaxum procul aduerſo qui monte reuoluit,
Contempſiſſe dolor quem numina vincit acerbus,
Ocia quærentem fruſtra? Vos ite puellæ,
Ite, quibus tædas accendit triſtis Erynnis,
Sicut hymen præfata dedit connubia mortis,
Atq; alias alio denſat ſuper agmine turmas,
Impietate fera vecordem Colchida matrem,
Anxia ſolicitis meditantem vulnera natis.
Iam Pandionias miſeranda prole puellas,
Quarum vox Ityn & Ityn, quòd Biſtonius rex
Orbus epops mœret volucres euectus in auras.
At diſcordantes Cadmeo ſanguine fratres,
Iam truculenta ferunt infeſtaq; vulnera corpus,
Alter in alterius, iamq; auerſatus vterq;,
Impia germani manat quòd ſanguine dextra.
Eheu mutandus nunquam labor: auferor vltra
In diuerſa magis: diſtantia numina cerno,

Elysiam tranandus agor delatus ad vndam.
Obuia Persephone comites Heroidas vrget
Aduersas perferre faces. Alcestis ab omni
Inuiolata vacat cura, quòd saeua mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.

Sed est Hermolae planè mirum, in his versibus quàm peruerse multa legantur. Nam praeter eos, vbi de Belidibus Poeta, deq; Ity mentionem facit, hi ipsi de Alcestide ita sunt immutati, spectanturq; alia facie reliquis in libris, ac visuntur in nostro, vt verear, si librum illum tibi legendum agnoscendumq; nō praebuero, ne existimes haec me inuenisse de meo. quanquam quidem non multò sanè minus peccatum erratumq; esse in ijs etiam deprehendes, quae sequuntur:

Ecce Ithaci coniunx semper decus Icariotis,
Foemineum incorrupta decus manet: & procul illam
Turba ferox iuuenum telis confixa procorum.
Quin misera Eurydice tanto moerore recessit,
Poenaq; respectus, & nunc manet Orpheus in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon vnquam
Credidit, aut vlli Ditis placabile numen,
Nec timuit Phlegetonta furentem ardentibus vndis,
Nec moesta obtentu diro & ferrugine regna,
Defossasq; domos, ac Tartara nocte cruenta
Obsita, nec faciles Ditis sine iudice sedes:
Iudice, qui vitae post mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Iam rapidi steterāt amnes, & turba ferarū al'.manes
Blanda voce sequax, regionem insederat Orphei:
Iamq; imam viridi radicem mouerat altè
Quercus humo, steterantq; amnes, syluaeq; sonorae

Spon-

Sponte sua cantus rapiebant cortice amara:
Labentes bijuges etiam per sydera Luna
Preßit equos: & tu currenteis menstrua Virgo
Auditura lyram tenuisti nocte relicta.
Hæc eadem potuit Ditis te vincere coniunx,
Eurydicenq; vltrò ducendam reddere. non fas,
Non erat in vitam Diuæ exorabile numen.
Illa quidem nimium manes experta seueros
Præceptum signabat iter, nec rettulit intus
Lumina, nec Diuæ corrupit munera lingua.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis Orpheu,
Oscula chara petens rupisti iussa Deorum.
Dignus amor venia, paruum si Tartara nossent
Peccatum ignouisse.

Nunc autem ò Hermolae (*iuuat enim sic me appellare te sæpius*) *an non tibi etiam, quemadmodum mihi, hanc quoque de Orpheo mentionem, fabulæq; narrationẽ satis multis carminibus explicatam, quam recensui, ferè vniuersam transtulisse* Virgilius *in illos ipsos Georgicorum nunquam quidem satis laudatos libros videtur, quanquam ordine alio verborũ ac via?* Nam quod hic ait, *Audax ille quidem, qui mitem Cerberon vnquam Credidit, aut vlli Ditis placabile numen, Nec timuit Phlegetonta furentem ardentibus vndis, Nec mœsta obtentu diro & ferrugine regna, Defossasq; domos, ac Tartara nocte cruenta Obsita:* ibi (*si rectè memini*) *postea dixit, Tenareas etiam fauces alta ostia Ditis, Et caligantem nigra formidine lucum Ingressus manesq; adijt, regemq; tremendum, Nesciaq; humanis precibus mansuescere corda.* Quodq; item hic: *Iam rapidi steterant manes, & turba ferarum: & reliqua.* Ibi item,

Quin ipsæ stupuêre domus atque intima læti Tartara. & quæ sequuntur. Tum quod hîc ita: Illa quidem nimium manes experta seueros, Præceptum signabat iter, nec rettulit intus Lumina, nec Diuæ corrupit munera lingua. Ibi etiam ita: Iamq; pedem referens casus euaserat omnis, Redditaq; Eurydice superas veniebat ad auras Pone sequēs, nanq; hāc dederat Proserpina legem. Quodq; hîc, Oscula chara petens rupisti iussa deorum. ibi, Restitit, Eurydicenq; suam iam luce sub ipsa, Immemor heu victusq; animi respexit: ibi omnis Effusus labor, atq; immitis rupta tyranni Fœdera. Demum quod hîc, Dignus Amor venia, paruū si Tartara nossent Peccatū ignouisse. ibi sic, Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes. Vt iam si cōputes conferasq; sententias, ferè quidem nihil horum non probauisse illum fatea re, cùm tam multa de hoc Culicis pastorali penu, in perurbanas illas perelegantesq; Georgicorū epulas conficiendas deprompserit. An nō tibi ita videtur? HERM. Mihi quidem videtur. Sed sequere. POMP. Ego verò sequor.

— Sed & vos sede piorum
Vos manet heroum contrà manus. hic & vterq;
Aeacides: Peleus nanq; & Telamonia virtus,
Per secura patris lætantur numina, quorum
Connubijs Venus & virtus iniunxit honorem.
Hunc rapuit serua, ast illum Nereis amauit.
Aßidet hàc iuuenis, sociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcussus, referens à nauibus ignes
Argolicis Phrygios, torua feritate repulsos.
O quis non referat talis diuortia belli,
Quæ Troiæ vidêre viri, videreq; Graij,
Teucria cùm magno manaret sanguine tellus,

Et Si-

Et Simois Xanthiq; liquor, Sygeaq; præter
Littora, cùm Troes sæui vos Hectoris ira
Vidêre in classes inimica mente Pelasgas
Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.
Ipsa iugis nanq; Ida potens feritatis, & ipsa
Aequa faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis vt in cineres Rhœtei littoris ora,
Clasibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contrà Telamonius heros,
Obiectoq; dabat clypeo certamina: & illinc
Hector erat Troiæ summum decus, acer vterq;
Fulminibus cœlo veluti fragor editus alto,
Ignibus hic telisq; super, si clasibus Argos
Eripiat reditus: ille vt Vulcania ferro
Vulnera protectus depellere nauibus instet.
Hoc erat Aeacides alter lætatus honore,
Dardaniæq; alter, fuso, quòd sanguine campis
Hectoreo victor lustrauit corpore Troiam.
Rursus acerba fremunt. Paris hunc quòd lætat, & huius
Alma dolis Ithaci virtus quòd concidit icta.
Huic gerit auersos proles Laertia vultus,
Et iam Strimonij Rhesi victorq; Dolonis,
Pallade iam lætatur ouans, rursusq; tremiscit
Iam Ciconas, iamiamq; horret Læstrygonas atros.
Illum Scylla rapax canibus succincta molosis,
Aetnæusq; Cyclops, illum metuenda Charybdis,
Pallentesq; lacus, & squalida Tartara terrent.
Hîc & Tantalei generis decus amplus Atrides
Asidet, Argiuûm lumen, quo flamma regente
Doris Erichthonias prostrauit funditus arces.

Reddidit heu grauius pœnas tibi Troia ruenti,
Hellespontiacis obiturus reddidit vndis.
Illa vices hominum testàta est copia quondam,
Ne quisquam propriæ fortunæ munere diues
Iret ineuectus cœlum super.omne propinquo
Frangitur inuidiæ telo decus.Ibat in altum
Vis Argoa petens patriam,ditatáq; præda
Arcis Erichthoniæ:comes huic erat aura secunda
Per placidum cursu pelagus:Nereis ad vndas
Signa dabat,pars inflexis super acta carinis:
Cum, seu cœlesti fato, seu syderis ortu,
Vndiq; mutatur cœli nitor:omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt anxia:iam maris vnda
Syderibus certat consurgere,iamq; supernè
Corruere & Sol ijs,& sydera cuncta minantur.
Ac venit in terras cœli fragor: hîc modò lætum
Copia, nunc miseris circundatur anxia fatis.

Lætum verò dixit, pro lętorũ, antiquo illo more quem tetigit in Oratore suo Cicero:nam qui prius erant læti,curesuq; prospero vehebantur,tunc anxij tristesq; circundaban tur miseris fatis.Itaq; sequitur:

Immoriturq; super fluctus & saxa Capharei,
Euboicas & per cautes, Heræáq; latè
Littora;cùm Phrygiæ paßim vaga præda perempta
Fluctuat omnis in æquoreo iam naufraga tractu.
Hîc alij sidunt pariles virtutis honore
Heroes,medijsq; siti sunt sedibus omnes,
Omnis Roma decus magni quos suscipit orbis.
Hîc Fabij,Decijq;,hîc est & Horatia virtus,
Hîc & fama vetus nunquam moritura Camilli,

Curtius

Curtius & medijs quem quondam sedibus vrbis
Deuotum bellis consumpsit gurgitis haustus:
Mutius & prudens ardorem corpore passus,
Legitimè cessit cui fracta potentia regis.
Hic Curius claræ socius virtutis, & ille
Flaminius, deuota dedit qui corpora flammæ.
Iure igitur talis sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæq; duces, deuota triumphis
Mœnia, quos rapidos Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos à lumine Phœbi,
Et vastum Phlegtonta pati, quo maxima Minos
Conscelerata pia discernit vincula sede.
Ergo iam causam mortis me dicere vinctæ
Verberibus sæuo cogunt ab iudice pœnæ,
Cùm mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis,
Nec tolerabilibus curis hæc immemor audis.
Quæ tamen vt vanis dimittens omnia ventis,
Digredior nunquam rediturus: tu cole fontes,
Et virides nemorum syluas, & pascua lætus,
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit, & extrema tristis cum voce recessit.
Hunc vbi sollicitum dimisit inertia vitæ,
Interius grauiter mentem æger, nec tulit vltra
Sensibus infusum culicis de morte dolorem.
Quantumcunq; sibi vires tribuêre seniles,
Quis tamen infestum pugnans deuicerat hostem,
Riuum propter aquæ viridi sub fronde latentem,
Conformare locum capit impiger: hunc & in orbem
Destinat, ac ferri capulum repetiuit in vsum,

Gramineam vt viridi foderet de cespite terram.
Iam memor incœptum peragens sibi cura laborem
Congestum cumulauit opus, atq; aggere multo
Telluris tumulus formatum creuit in orbem:
Quem circum lapidem leui de marmore formans
Conserit aßiduæ curæ memor. hic & acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ omne genus: hic est & Spartica myrtus,
Atq; Hyacinthus: & hic Cilici crocus editus aruo,
Laurus item Phœbi surgens decus: hic rhododaphne,
Liliáq; & roris non auia cura marini,
Herbáq; thuris opes priscis imitata Sabina,
Chrysanthusq;, hederæq; nitor pallente corymbo,
Et Bochus Libyæ regis memor: hic amaranthus
Buphthalmusq; virens, & semper florida Picris.
Non illinc Narcißus abest, cui gloria formæ,
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus,
Et quoscunq; nouant vernantia tempora flores.
His tumulus super inseritur: tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod litera voce:
Parue Culex pecudum custos, tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Sed est à me tibi gestus Hermolae mos, vt vides, explicatiq; filo atq; ordine Culicis iam quidem omnes, vt volebas, versus, nisi quid me meus memoriæ sensus fefellit, quod esset tamen ipsum non mirandum: aliarum enim rerum cùm scriptionibus tum certè lectionibus occupati, vel priuatis vel publicis, diu nihil horum cõmentamur. Sed siue me aliquid fugit, siue non fugit, resumendi tibi erunt tui libri, quemadmodum dixi, relegendiq; antè, quàm ea quæ ipsi recensuimus

mus atq; in libris reliquis non habentur, è memoria elaban tur tua. Nam et sunt illa quidē valde multa, ac nescio an plu ra etiam quàm ipsi versus, & similitudine plurimū fallunt. Quàm enim multos fefellisse illud putas, quod dixi, Et semper florida Picris? Pinus enim iā vbiq;, non Picris legitur. Fallit autē illud, semper florida. Nam quidem cùm pro eo, quod est semper virens, recipiatur, quoniam Pinus semper viret ipsa, nihil vlterius ambigunt, quiescuntq; iam omnes, sensus scriptionisq; delusi vicinitate. Qua in re facillimè qui dem poteram ipse quoq; cum cæteris decipi. Non enim modò nullo in libro est à me vnquam lectum Picris, sed ne in meo illo ipso perueteri quidem, ea pagellæ parte cōsumpta delapsáq; vetustate. Verùm cùm Pinus, vel quia maior ea ar bor est, quàm ille ipse poscat, in quo seritur, locus: vel quia omnino nunquā floret, mihi quidē non probaretur, venissetq; in mentē Picridem herbā esse, quæ semper floreat: ita emendari aptißimè versum, veteremq; verum sensum resti tui existimaui, si Picris scriberetur. Putabam enim euenisse aliquando, vt cùm id indocti homines legissent, neq; quid esset Picris compertum ipsi habuissent (non enim multum nota herba est) Pinus scripsissent, rati ita scribi oportere: quod quidem postea emanarit latius. Sed quoniam Hermolae tecum loquor, cui quidem sunt vni omnium maximè (vt iam scriptores reliquos taceam) Plinius, Theophrastus, Dioscoridesq; familiares, quorū alterum castigasti, alteros etiā effecisti Latinos, non committam, vt mihi ipse assentiar pro bēmue aliquid, nisi planè tu idem probes. HERM. Ista verò Pomponi neq; vt sese probem exigunt: per se enim ipsa probantur satis: neq; si mihi nō probarentur, haberem ipse quo refellerem modò: ita sunt fulta munitaq; non tam qui-

dem veri similitudine, quàm (vt mihi videntur) ipso verò. Quare tua ista siue Pieris, siue Amarago (sic enim illam appellat Theodorus*) posthac quidē inter illos Culicis frutices herbulasq; semper manebit: itaq; refloreat sinamus cū his, nullibi enim profectò vnquam florebit aptius, quàm eo in loco. Sed quid illud herbæ est Pomponi, quod dixisti,* Et Bochus *Libyæ regis memor? Ego enim eorū quæ terra gignit, isto nomine antea nunquā quicquā legi; neq; porrò vllā historiā, qua quidem huius à* Bocho *rege traditi nominis ratio causaq; recenseatur: quod mihi quidem videtur innuere* Virgilius *illo versu. Tu si legisti aliquid in hanc sententiam, id, quid sit, valde aueo scire.* POMP. Atqui ego Hermolae *de te ista ipsa quærere volebam modò. Quamuis enim tu iuuenis admodum sis, ego autem profectò iam senex, non est tamen cur me pœniteat doceri abs te, si quid ignorem: ignoro autem, vt vides, semper multa.* Nam *qui plura legerit, quàm tu, aut etiam scripserit, adhuc quidem nostra ætate neminem video. Sed quoniam ea in re ipse me consulis, qua de ego te consultum volebam, feram iam id moderatius. Tantum dico, cùm tam multi omnis generis tum Græci tum Latini scriptores deperierint, vt ipse dicebas modò, si vnius aut alterius fabulæ argumentum notitiaq; desideratur, non esse mirandum, præsertim cùm Poetæ nostro placuisse videamus, hoc de genere omnino, cuius fuisse illum peritißimū constat, interdum etiam reconditioribus nominibus, quasi flosculis, respergere suos libros. Nam (vt reliqua prætereantur) planè Amello quid sit, quem ipse in Georgicorum libris florem dixit esse ab agricolis ita vocatum, alibi non temerè inuenies. Buphthalmū autem, quod eodem in Culice posuit, est illud quidem non notißimū certè nomē,*

sed

sed tamen est eius herbæ, quam Aizoum Græci vocant pars nobilior, ita dicta, propter foliorum indeficientem viriditatem: itaque addidit, semper virens: nam illud aduerbium temporis SEMPER, *ad vtranq; herbã, & Buphthalmũ & Picridem retulit. Sed de his hactenus, si tibi videtur. Est autem iam tempus, vt tu mihi item afferas aliquid è Terentij nostri fabulis, quemadmodum recepisti te facturum, quò hic etiam Phædrus, qui ea lectione plurimum delectatur, habetq; eum librum ferè semper in manibus, sese augeat probis & incorruptis locis. Nam te librum habuisse Terentianum peruetustum maioribus scriptum literis, ijs quas verè antiquas dicimus, sæpe audiui.* HERM. *Est istud quidem verum, quod dicis: nam & habui eum librum, & legi, & notaui multa, quæ delectare Phædrum poterunt: si quidem est, vt dicis, in legendo illo plurimus. Quanquam quid prohibet nos etiã Pomponi eius Poetæ vel candore elegãtiaq; sermonis, vel pudore grauitateq; delectari? quibus Cicero ipse tam est delectatus, vt nõ pauca inde sumpserit, transtuleritq; in sua scripta nõ minus libenter, quàm etiã ambitiose, vt mihi quidem videtur. Sed geram tibi morem, referamq; non planè omnia quæ antiquo in libro probè scripta animaduerti esse, sunt enim propè innumerabilia: sed ea, quæ meminero. Itaque attende, num hoc aliquid sit, quod primum mihi in mentem venit. Nam quæ leguntur argumenta fabularum in Terentianis libris, ea Terentij non sunt:*

Sororem falso creditam meretriculæ
Genere Andriæ, Glycerium vitiat Pamphilus. Itemq;
Sororem falso dictitatam Thaidis,
Id ipsum ignorans miles abduxit Thraso. & reliqua

quæ habentur fabularum reliquarum argumenta, ea dico Terentij non esse. POMP. *Túne hoc dicis* Hermolae, *Terentium Poetã argumẽta illa nõ scripsisse?* HERM. *Verò.* POMP. *Neq; illum ea composuisse?* HERM. *Id ipsum.* POMP. *Cuius autem sunt? nam te puto id scire, qui scias Terentij non esse.* HERM. *Sunt illa quidem C. Sulpitij* Apollinaris, *eius quẽ sæpe citat* Gellius, *docti & eruditi viri, quiq; Pertinacẽ Imperatorẽ Latinas literas docuit. Nam in eo vetusto libro, quẽ dixi, is est eorum argumentorũ titulus:* C. SVLPITII APOLLINARIS PERIOCHA, *vnus idemq; omnium.* POMP. *O præclarum librũ: siquidem eius edicto Sulpitius tanto pòst tempore in possessionem suorum carminum restituitur. Sed ista Sulpitij siue argumenta siue periochæ, vt est in libro illo* Hermolae, *ab ijs quæ vulgo habentur, ecquid discrepant? vt si ea nobis recensueris, aliquid lucri vterq; nostrûm faciat.* HERM. *Discrepant sanè illa: sed quantum, iam de Politiano intelliges. Is enim sibi ea descripsit modò, cùm ei librum ostendissem: fidemq; mihi dedit, se impressoribus mandaturum, vt ea in vulgus darent. Itaq; te ad Politiani libros reijcio. Sed mirum est, quàm aliter multa scripta eo in libro sint, ac sunt in alijs: vt appareat singulas omnino paginas etiamnũ probam illam antiquitatem redolere. Nam et in* Heautontimorumeno *est:*

Quid seni erit nostro miserius? non sene. Et *paulò pòst:*

Eius anuis causa opinor, quæ erat mortua. *non anus: quod etiam notat Gellius: & quomodo, si rectè memini,* Varro *in libro de Agricultura primo dixit, vt Mineruæ caprini generis nihil immolarent propter oleam, quòd eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem: eius enim saliuam esse*

fru-

fructuis venenū:pro eo quod est,fructus, quem quidem casum aliter in Adelphis *protulit,antiquè tamen.*

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab ijs fero.

Et in Hecyra:

Ne nomē quæsti mihi obstet:nā mores facile tueor. Itēq;:

Quid fuit tumulti? dic mihi.an dolor repentè vasit?

Et in Phormione:

Vbi in mentem eius aduenti venit.

Est & in Eunucho QVI, *dandi casu positum,pro* CVI.

Nam in me plane Di *potestatem suam*

Omnem ostendere, qui tam subitò tot congruerint commoda. Et in Phormione:

O fortunatißime Antipho. *Ant.* Ego'ne? *Phæ. Qui quod amas,domist.*

quod tamen rectè dictum videtur: vt à QVIS *nominandi casu,dandi casus in hanc potius formam exeat* QVI, *quàm in illam,* CVI. *Quod quidem miror latuisse* Quintilianum: *Is enim in eo* Virgilij *versu,*

Qui non risere parentes,

Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est,

QVI *nominandi casum,dixit esse pluralis numeri.Itaq; rectū sensum etiam peruertit Poetæ. nam quod ait* Virgilius,

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:

non id vult, vt puer arrideat matri; sed vt cognoscat matrē ab eius risu:magis enim mulieres omnes suis arrident filijs, quàm aliarum,quippe quæ magis etiam illis intuendis gaudeant,necesse est: vel quoniā extra laborem ferendi ventrē, pariendiq; dolores & pericula iam sunt, vel quod pueros ex sese natos vident, quod est omnium rerum iucundißimū: Itaq; repetit, Incipe parue puer. *Nam cui puerò parentes*

non riserint, quoniam id accidere nisi propter eximiam aliquam deformitatem non potest, hic iam ex ijs esse qui Dijs chari sunt non videtur, neque dignus qui vitæ cùm muneribus maximis, tum hilaritatibus egregiè perfruatur. An non tibi ita Pomponi *videtur?* POMP. *Mihi quidem videtur: eóque magis, quòd in meo illo* Virgiliano *peruetusto libro, quem dixi, ita scriptum est, Cui non risere parentes. vt iam ne liceat quidem aliter credere.* Error *autem omnis in eo est, quòd risum ad puerum referunt: nam si ad matrem retulissent, nihil ambigeretur.* Puto *autem te memoria tenere ea, quæ* Politianus *quoq; hoc ipso de* Virgilij *loco scripserit.* HERM. *Quid ni teneã* Pomponi? *quem quidem locum ex facili atq; aperto, etiam durum & à* Virgiliana *loquendi simplicitate alieniorem facit. Sed de eo ipse viderit.* Antiquitatis *autem amatorem fuisse* Terentium, *etiam illa indicio sunt in* Hecyra:

Fors *fuat pol. ab eo deductum verbo perantiquo, quod est* FVO, *valetq; idem, quod* Sum: *quo etiam est* Virgilius *vsus,* Tros Rutulúsue *fuat. pro sit.* Et *illa in* Phormione, Præbit, *pro eo quod est,* Præbet.

Ea *qui præbit, non tu hunc habeas planè præsentem* Deum? Et Ductis, *pro* Ductes.

Vt *me phaleratis ducas dictis, & meam ductis gratis?*
Et Tacis, *pro* Taces: & Enicas, *pro* Enecas.

E *ho tu consobrinum tuum non noras?* DEM. Enicas:
Dic *nomen.* PHOR. *Nomen? maxumè.* DEM. *Quid nunc tacis?* Et *postra:*

Sati ne etiam, si te delibutũ gaudio reddo? ANT. Enicas.
Quin tu has pollicitationes aufers? Et *item postra:*
Abi, tange: si non totus friget, me enica.

Et

Et *Restitis*, pro *Restitas*.

Id quidē tibi iam fiet, nisi restitis verbero. Et in Adelphis:
Vestitu nimio indulgis, pro *indulges*. Et
Membra metu debilia sunt: animus timore obstipuit.
pro, *obstupuit*: quemadmodum dicunt quidam scripsisse Virgilium, *Obstipui, steteruntq; comæ*. Et:
Obstipuit simul ipse. Tum in Heautontimorumeno:
Quisnā hic adolescēs est, qui intuitur nos? pro, *Intuetur*.
Et, *Luciscit: hoc iam cur cesso pultare ostium?*
pro *Lucescit*. Et in Adelphis:
Peri hercle: hac illi spē hoc inciperūt. pro *Inceperūt*. & alia item eiusmodi multis in locis. quibus quidem verbis illud contraria oratione dictum ab eo est in eisdem Adelphis:
Dedit præterea in sumptum dimedium minæ. pro *Dimidium*. Et in Eunucho:
Interea aurum sibi clàm mulier demet. pro *Demit*.
Et in Phormione, *Neglegitur*, pro *negligitur*.
Quia egens relictast misera, ignoratur parens,
Neglegitur ipsa. Vide auaritia quid facit. Et paulò infrà:
Sæpe interea mihi senex
Narrabat se hunc neglegere cognatum suum.
& alibi etiā. Nam quod dixi *relictast*, ita sæpißime scriptū eo in libro inuenies, pro *Relicta est*. & *futurumst*, pro *futurum est*. Quòd verò in Phormione, vbi Sophrona & Chremes colloquuntur, hæ duæ visuntur literæ sic positæ, S T.
Di obsecro vos, est'ne hic Stilpho? Chr. non. Soph. negas?
Chr. Concede hinc à foribus paululum istorsum sodes Sophrona,
Ne me istoc posthac nomine appellaßis. Soph. Quid? non obsecro is,

Quem semper te esse dictitasti? Chr. St. Soph. Quid has metuis fores?

Silentij est illa quidem nota, St. vt eo quasi nutu & signo potius quàm voce, ostendamus velle nos sileri ab ijs, quibus cum sumus: quemadmodum volebat Chremes silere Sophronam, ne ab vxore ipsius exaudiretur. quam notam cùm non perciperent ij qui legebant, E literam addiderunt, Est'q; fecerunt: quo sanè verbo mirificum Poetæ sensum perturbauerunt. Quod autem in eadem legi fabula,

Interea dum sedemus illi, interuenit
Adulescens quidam lachrymans.

Illi est, pro illic, vetusto sanè more: vt etiam in Hecyra,

Itaq; ineptus hodie dum illi sedeo, vt quisq; venerat
Accedebam. Quo verbo etiã Virgilius est vsus: Patet isti ianua letho.

Tum illud etiam, quod in eadem Hecyra est:

Horunc ea ad hos de lege redibat hæreditas

pro eo quod est, Horum. Est antiquè dictum, addita C litera, ne collisio fieret.

Quid illud in Phormione autẽ Pomponi, q̃ venustè dictum?

Heus quanta quanta hæc mea paupertas est, tamen
Adhuc curaui vnũ hoc quidem, vt mihi esset fides. nõ

vt est in reliquis, Quantamcunq;, quod quidem etiam in Adelphis legitur:

Tu quantus quantus, nil nisi sapientia es.

Aut quid etiam illud in eodem Phormione?

Nam quæ hæc anus est, exanimata à fratre quæ egressa est meo?

nõ autem, Quænam, vt habent omnes. A quo mihi quidem loco sumpsisse Virgilius videtur eam loquendi figurã, qua

est in

est in Georgicis vsus tam aptè tamq; venustè, vt nihil suprà,

Nam quis te iuuenum confidentißime, nostras

Iußit adire domos? Quanquam vetustè etiam illa per *literæ detractionem sunt dicta in Andria:*

Næ istam tuam multimodis inueniri gaudeo.

Et *in* Eunucho:

Quid is obsecro ad nos quamobrem adductust?

Amabant enim veteres multùm, vt scis, S literæ abiectionē. quanq̃ quidē alias etiā literas abijciebāt, vt in ipsa Eunucho:

Anni? Chre. Anni? Sedecim. Et *item:*

At ille alter venit annos natus sedecim. Et *in* Hecyra:

Nam abducta à nobis prægnas fuerat filia.

Nec fuisse prægnatem ante hunc vnquam sciui diem.

Et *in* Adelphis:

Sed vereor ne indiliges nimium sies.

In quo illud mihi mirum admodum videri solet, quòd quam literam abijciebant multis in verbis, vt vides ex his Pomponi, *veteres homines ad gratiam, eandem in multis addebant: vt in* Andria,

Ex ipsa miliens audiui. Et *in* Phormione:

Atenim tædet etiam audire eadem miliens. Et *in* Heautontimorumeno:

Vt nihil credas intelligere, nisi idem dictumst centiens.

Quo etiam more in antiquißimo Virgilij *libro legisse me, memoria teneo illum versum:*

Et nouiens Styx interfusa coercet.

Quanquam in eodem libro etiam illud legi:

Nec face tantum

Cisseis prægnas ignis enixa iugales.

Sed est etiam in Eunucho:

More hominum euenit, vt quid sim nanctus mali
Prius resciisceres, quàm ego illud, quod mihi euenit boni.

Sed & finctum pro ficto, & thensaurum, pro thesauro, & formonsiorem, pro formosiore, alijs idem in locis Poeta *dixit: tum illud etiam in* Eunucho, *ossum, pro eo quod est, os. In quo cognosci potest, quàm rectius in vetusto illo, quem totiens iam dico, libro scriptum id sit:*

Viden' Ossum *& cibus quid faciat alienus?*

quàm in cæteris, qui habent Ocium, *non* Ossum. *Sed iam vereor ne vobis planè videar minuta nimium & pusilla consectari.* POMP. *Nobis verò* Hermolae *nihil pusillum potest esse, quod eiusmodi sit, in quo videas* Poetam *tanti nominis etiā diligentiā adhibuisse, vt illo modo potius, quàm alio conscriberet.* Quin *etiam, credas mihi velim, maiorem in modum nos minuta ista delectant, quæ attulisti: valde enim faciunt ad* Terentianam *industriam probitatemq; cognoscendam.* Itaque *sequere.* HERM. *Est igitur, quoniā ita vis, in* Eunucho, *vbi* Thais *ancillas suas properè alloquitur, mandans ea quæ curari vult, sic:*

Quid, quid aliud volui dicere? ehem,
Curate istam diligenter virginem.

quasi Poeta *suspensam* Thaidem *ostenderet secū ipsam quærere, quidnā illud esset, quod mandare ancillis in animo habuerat suo, neq; reminiscebatur.* Itaq; *ait,* Quid, *quid aliud?* Quo *item sensu* Cicero *est vsus in suis illis ad* Atticum *verè familiaribus epistolis.* Quid *præterea? quid? etiam:* Gabinius *ad* IIII. *Calendas* Octobris *noctu in vrbem introijt.* Et *alibi:* Noui *quidnam scribam? quid? etiam:* Messala *consul* Anthronianam *domum emit.* Et *item:* Aliud *quid? etiam:*

Quan-

Quando te proficisci istinc putes, fac vt sciam. Quibus in locis, Etiam, *non addentis est, sed annuentis affirmantisq;, se scilicet illud habere, quod scribat. vt loco eius verbi, quod* Terentius *dixit* Ehem, *quod quidem erat poeticũ sanè verbum, ipse* Etiã *diceret, castius mediusfidius & moderatius.* Apud Ciceronem *autem non vno in loco, sed pluribus,* Etiam, *affirmantis esse notam, cui contrarium infertur,* Non, *non te arbitror fugere. Sed vis ne tibi Pomponi recenseri à me eos* Poetæ *versus qui mihi in mentem venient, in quibus insit aliquid, quod te delectare poßit: sinamq; te illud aliquid quærere ex tuo Terentij libro, cùm voles, domi tuæ?* POMP. *Ego verò maximè.* Vult *autem etiam* Phædrus *hic ita te facere: qui quoniã est, vt vides, admodum adolescens, retinebit illa melius, quæ dicentur abs te, quàm ego, qui senex.* Vacillare *autem sæpe memoriola senes homines, non te fugit.* Itaque *vtar ipso, si erit opus. quare sequere.* HERMOLAVS: Ego *verò sequor. Sunt igitur in eodem* Eunucho *prima hæc:*

Si quisquam est, qui placere studeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere,
In his Poeta hic nomen profitetur suum.
Tum si quis est, qui dictum in se inclementius
Existimauit esse, sic existimet:
Responsum non dictum esse, quia læsit prior.
Qui bene vertendo & easdem scribendo malè
Ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Sunt & hæc:

Opus faciam vt defatiger vsq;, ingratis vt dormiam.
Par. Vigilabis lassus: hoc plus facies? Phæ. Abi sis, nihil dicis Parmeno. Et *hæc:*

Illum liquet mihi deierare his mensibus al'. nihil
Sex septem prorsus non vidisse proximis. Et hæc:
Ipsast, ilicet: desine: iam conclamatum est.
quemadmodum & alibi. Nam in Adelphis etiam,
Hem tibi:
Resciuit omnem rem: id nunc clamat: ilicet:
Paratæ lites. Et in Phormione:
Hoc nihil est ô Phædria: ilicet: quid hic conterimus operam frustra?
Sed sunt in Eunucho & hæc:
Age, eamus intrò nunc iam, orna me, abduc, duc, quantum potest. Et *subinfrà:*
Quæ nos nostramq; adulescentiã habent *Despectam.*
Tum & hæc:
Labore alieno magno partam gloriam
Verbis sæpe in se transfert, qui habet salem,
Quod in te est. Thr. *Habes.* Gn. *Rex te ergo in oculis.*
Thr. scilicet. Gn. *gestare.* Thr. *Verò: credere omnem exercitum, Consilia.* Et hæc:
Aut dicat quod vult, vt molesta ne siet. al'. aut
Non hercle veniam tertiò. Heus heus, ecquis hic est?
Ego sum Chremes. Et hæc:
Idq; adeò visam: visam, si domist. Quisnam hinc à Thaide exit?
Is est? an non est? ipsus est. Quid hoc hominis? Qui hic ornatus est? Et hæc:
Nunc quis hic est? nemo est. Nunc quis hinc me sequitur? nemo homost.
Iam ne erumpere hoc mihi licet gaudium? proh Iuppiter
Nunc est profectò interfici, cùm perpeti me possum.

Ne

Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.
Sed neminem curiosum interuenire nunc mihi,
Qui me sequatur quoquo eam, rogitando obtundat, enicet. Et hæc:
Certè extrema linea
Amare, haud nihil est, Et hæc:
Quid nunc agimus? Gn. Quid? redeamus. Iam hæc tibi aderit supplicans Vltro. Et hæc:
Nam iandiu aliquam causam quærebat senex,
Quamobrem insigne aliquid faceret ijs: nunc repperit. Et hæc:
Si quid conlibitum, noui te. hoc si feceris,
Quod vis donum, præmium à me optato: id optatum feres. Et hæc:
Accipit homo nemo melius neq; prolixius.
Demum & in extremo hæc:
Nihil præter promissum est: ite hàc.

Sed quid est Pomponi, *quod te cogitare attentè admodũ video? an hæc quæ dixi, memoriæ cõmendas tuæ?* POMP. *Minimè verò* Hermolae: *nam mihi satis est* Phædrum *ista de te audiuisse. Sed id dispicio potius, mecumq; ipse computo, quàm diuersa sint multa eorum, quæ à te recitata sunt, ab his, quæ vulgò habentur: redeunt enim mihi in mentem ferè singula: tum quàm paruæ illusiones momenta sæpe non parua afferant* Poetæ *sensibus. vt illud est, quod dixisti:* Nam iandiu aliquã causam quærebat senex, Quam obrem insigne aliquid faceret ijs: nunc repperit. *Illud enim, ijs, quod in tuo est, vt sit dandi casus pluralis numeri, memini me legere sic, vt esset nominandi, seniq; tribueretur: itaq; vna addita literula, Terentianam sermonis elegantiam*

candoremq́;,qui deperierat,planè restituit. Sed nolo te interpellare:& quoniam Eunuchum,vt video,iam explicasti, ex Andria si quid habes,affer. Habere te autem æquè multa puto.HERM.Habeo,& afferam,sed non multa: nam ex illo libro maxima eius fabulæ pars desideratur, fugientibus vetustate literis,vt cognosci nequeant.Sed percepta mihi tamen sunt,atq; agnita,quod meminerim, hæc perpauca:

Daue perij.DA.Quin tu hoc audi.PAM.Interij.DA. Quid timeas scio.

CAR. Mea quidem hercle certè in dubio vita st. DA. Et quid tu scio.

PAM.Nuptiæ mihi.DA.Et si,scio. PAM. Hodie. DA.Obtundis,tametsi intelligo.

Tum hæc:

Ego istuc moueo aut curo? num tu tuum malum æquo animo feras?

Ex Heautontimorumeno autem illa primùm mihi sese offerunt Menedemi senis cum fratre verba:

Putauit me ætate & sapientia
Plus scire & prouidere,quàm seipsum sibi.

Tum & illa:

Ancillas,seruos,nisi eos qui opere rustico
Faciundo facilè victum exercerent suum,
Omnes produxi,ac vendidi. Inscripsi illicò
Aedis:mercedem quasi talenta ad quindecim Coegi.

Et infrà:

Nec mihi fas esse vlla me voluptate his frui.

Eius aût in pagellæ margine,vbi hi erant versus, legi etiam illius verbi Exercerent,interpretationem minutulis adscriptam literis,ita: Exercerent, resarcirent: hoc est, in sumptu

ptu exercerentur suo. Virgil. Ferrum exercebant:pro, In ferri fabrica exercebantur. An non hæc eruditi hominis declaratio illius verbi tibi Pomponi videtur? POMP. *Mihi sanè videtur. Nam quid potuit afferri aptius? Te verò Hermolae valde amo, quem ne ista quidem præterierint. Sed perge ad reliqua.* HERM. *Pergam igitur ad illa, quæ sunt in eadem fabula:*

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius viuere?

Et quòd illum insimulant durum, id non est:

Nam parentum iniuriæ vniusmodi sunt fermè.

Scortari crebrò nolunt: nolunt crebrò conuiuarier.

Quos extra versus eodem in margine pusillisq; literulis est & hoc. Virgilius:

Hunccine te Euryale aspicio?

quo lecto animaduerti non tam bellè dici, Hunc ego te Euryale aspicio, quod est in libris omnibus, quam Hunccine, quod in illo. POMP. *Rectè id quidem animaduersum abs te est Hermolae. Illa enim interrogantis vox* NE, *dolori & querelis aptissima, quam repetit eodem versu Virgilius:*

Tú ne illa senectæ

Sera meæ requies,

si desit prioribus ijs in verbis, quæ quidem verba eadem vi, eodem oris spiritu mœrorẽq; proferuntur, desit etiam egregia sensus & figuræ concinnitas, necesse est. Sed velim scire ex te, postraquàm hunc in locum sermo me perduxit tuus, vt de Euryali matris lamentatione loqueremur, existimes ne rectè illa dici, quæ de eo, qui paulò inferius est, versu attulit Seruius, Nec te tua funera mater

Produxi:

vt Funera sit pro funerea positū, ad mulieremq́; referatur? HERM. *An tu me tam ignarum* Pomponi Virgiliani mo*ris, candoris atq; iudicij existimas, vt quod alibi nusquam legitur, credam à* Poeta *grauißimo nouandisq́; verbis omnium castißimo, hoc in loco fuisse dictum? mihi quidem non sit verisimile. Illi si erat, afferre eum oportebat exemplum aliquod, quo niteretur, asperitatemq́; leniret verbi. Sed de illo hactenus. Mihi sic legendum videtur, si tibi vni probabitur:* Nec te tua *funere mater* Produxi.

Quo in sensu atq; verbo nihil durum aut violētum, aut insolens, sed summa etiā cùm sermonis tum consuetudinis obseruatio, summa lenitas atq; facilitas inest. Indoctos autem librarios, vt sunt pleriq;, vicinitate deceptos puto possessiui nominis, Tua funera primùm scripsisse, cùm Funere *scriptū legissent in eo, quem describebant ipsi libro, mendumq́; esse existimauissent.* POMP. *Mihi quidem ista* Hermolae *non probantur solùm, sed magnas tibi etiam gratias ago, quòd* Virgilio *restitueris hoc quoq; in loco & candorem & dignitatem suam, addo etiam & diligentiam: meq́; nihil omnino frustra abs te petere, valde gaudeo. Sed refer te ad* Terentium *tuum.* HERM. *Sunt verò in eodem* Heautontimorumeno, *quæ tibi explicem, & illa:*

Scio quid feceris:

Sustulisti. SOS. *sic est factum.* CHR. *domin'?* SYR. *ergo herus damno auctus est.* Et *illa:*

Quid malum? me ætatem censes velle id adsimularier?

Et *illa:*

Huius mihi res semper comminiscere,

Vbi me excarnifices. SYR. *Is hinc, quo dignus es.*

Quo in loco videre est veteres homines Indicandi *verborū*

pro

pro Imperandi vsos modo. Is hinc, pro I *hinc. vt etiam alibi non semel, Animo bono es, pro Esto. qua dicendi figura vtitur sæpe Cicero. Sed sunt & hæc eadem in fabula:*

Quò mittis istam quæso? iube maneat. BAC. *ij.* SYR. *quin est paratum argentum.*

Et paulò pòst:

Cape hoc argentum, ac defer. SYR. *ij. Quid stas lapis. quin accipis?*

Vt videre liceat antiquorũ in scribendo morem, qui ij, pro i dixerint, eo quo nos vtimur. Sunt & hæc:

Pergin' mulier odiosa esse? nullámne ego rem vnquam in vita mea

Volui, quin tu in ea mihi fueris aduorsatrix Sostrata?

Et paulò infrà:

Subditum se suspicatur. CHR. *Subditũ? ain' tu?* SOS. *Certè sic erit mi vir.* CHR.

Confitere tu? SOS. *Au obsecro, istuc inimicis siet.*

Hæc autem, quæ tibi recensui Pomponi, quantũ ab ijs differant quæ leguntur, tute facilè perspicies cùm tuum sumpseris librum: quanquam, vt video, iam perspicis. Sed volo te scire, plura esse quæ me fugerint (neq; enim reminisci possum omnia) quàm quæ recordor, quæq; affero. Veruntamẽ hæc ipsa satis multa esse poterunt, vt videas, huic omnino Poetæ, qui quidem in hominũ manibus valde frequens est, quantum caliginis offuderit dies. Sed ad eluendas aliarum fabularum maculas, vt possumus, deprauationesq; transeamus. Itaq; memini me in Adelphis legere hæc:

Natura tu illi pater es, consilijs ego.

DEM. *Tun' consilijs quicquam?* Et *hæc:*

Tu quòd te posterius purges hanc iniuriam mihi nolle

Factam esse, huius non faciam: crede hoc, ego meum ius persequar. Et illa:

Egon' debacchatus sum autem? an tu in me?

ESCH. *Mitte isthæc, atq; ad rem redi.* Et illa:

Fratrem homini nemini esse primarum artium magis principem.

SYR. *O Ctesipho.* CTE. *O Syre, Eschinus vbi est?* SYR. *Ellum te expectat domi.* CTE. *Hem.*

SYR. *Quid est?* CTE. *Quid sit? illius opera Syre nunc viuo, festiuum caput.*

Qui omnia sibi pòst putarit esse præ meo cõmodo. Et illa:

Obsecro mea nutrix quid nunc fiet? CANT. *Quid fiat, rogas?*

Rectè ædepol spero, modò dolores mea tu occipiunt primulum.

Iam num times, quasi nunquam adfueris, nunquam tute pepereris? Et illa:

Fortiter. SYR. *Perquàm: quia miseram mulierem, & me seruolum,*

Qui referire non audebã, vicit: hui perfortiter. Et illa:

Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant,

Sibi fieri iniuriam, vltrò si quam fecere ipsi, expostules,

Et vltrò accusant: id quia nõ est à me factũ, agis gratias.

Sed legi etiam in Phormione, si rectè memini, hæc inuersa in alijs, vt mihi videntur libris:

Quæ si astu nõ prouidẽtur, me aut herũ pessundabunt.

Nam nõ potest celari nostra diutius audacia. Tũ et hæc:

Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio. Et hæc.

Familia-

Familiarem oportet esse hunc, qui minitatur malum. Sed is ne est
Quem quæro, an non? Ipsus est, congredere actutum.
ANT. *Quid.* GE. *O omnium quantũ est, qui viuũt, homo hominum honoratißime.*
Demum hoc:
Vel oculum exculpe: est vbi vos vlciscar probè.

Restat Hecyra, cuius item, vt Phormionis, non omnino multa mihi in mentẽ veniũt è re nata nunc quidem, quæ aliter se habeant illo in libro: sed veniunt tamẽ, atq;, vt opinor, hæc:
Quid ais? cum virgine vnà adulescens cubuerit
Plus potus, sese illa abstinere vt potuerit? Et *hæc:*
Aedepol ne nos sumus iniquè æquè omnino omnes inuisæ viris. Item *hæc:*
Nam nos omnes, quib. est alicũde aliquis obiectus labos,
Omne quod est interea tempus, priusquã id rescitumst, lucrost. Atq; *hæc:*
Sanè hercle homo voluptati obsequens
Fuit, dum vixit: & qui sic sunt, haud multùm hæredem adiuuant:
Sibi verò hanc laudem relinquũt, vixit, dum vixit, bene.
Postremò hæc:
Vosmet videte iam Laches & tu Pamphile,
Remissan' opus sit vobis, an reducta domum.
Neutra in re vobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero?

Quo in loco animaduerti, hunc dicendi siue morem, siue figuram, Quid faciemus puero? qua etiam alijs in fabulis sæpe est vsus, Quid hic faciet sua? Quid te futurum censes? vsurpasse Ciceronem sanè percupidè. Quid me fiet?

Quid pecunia fiet? Quid hoc homine facias? Quid factum est Stratone et Nicostrato? Quemadmodum alia permulta: vt facilè eum appareat ad Terentij sermonem, suum libenter sermonem accõmodauisse. Quod si hic etiam faciet Phaedrus, vt quemadmodum ab Apelle ij, qui post illum pingendi artem assequi cupierũt, multas vmbrarũ eius et luminum positiones, multos membrorum motus in suas ex eius imaginibus tabulas simulachraq; transferebant, sic ipse huius Poetae plurimos dicendi modos sermonisq; figuras & lumina, suis in scriptis expresserit, non vereor quin multò sit facilius in magnũ illum virum euasurus, quem adhuc quidem nostra aetas desiderat, multaeq; supra eam frustra videre cõcupiuerunt. Quanquam quidem non puto ipsum meis monitis & praeceptis egere, qui te magistrum habeat, cuius de pleno fonte cum haec, tum longè meliora haurire quotidie possit. Sed quoniã iam aduesperascit, vel hora ipsa, vel tua aetas me admoneat, ne te hic diutius detineam. Quae cùm essent dicta, fine loquendi facto, illi domũ abierunt, Hermolaus in cubiculum se recepit.

ANNOTATIONVM PETRI BEMBI IN CVLICEM VIRGILII ET *Terentij fabulas, finis.*

IN BEMBVM.

Tu quoq; Virgilio certabas BEMBE *Latino,*
Magnanimûm Heroum carmine facta canens.
Audijt, & Musae captos dulcedine Thuscos,
Ad citharam uersus condere iussit amor.

PETRI BEMBI
CARMINA.

PASTORVM CHORVS.

PASTORES *tua turba te rogamus,*
Seu tu nomine Pan arundinator,
Seu Faunus dubij potens futuri,
Barbatus capripesq;,cornigerq;,
Seu malis pater Incubus vocari:
Nos & res tueare Diue nostras.
En iam ver redit,& dies rebellem
Paulatim sibi vendicat teporem:
Iam collis viret,& sinu soluto
Florentes tibi porrigit genistas.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Nunc annus puer,& tenellus orbis:
Nunc sol purior, & colora tellus:
Nunc ludit Venus alma:nunc sorores
Festas Gratia poscit ad choreas.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Nouum montiuagæ thymum capellæ
Tondent,& Cytisi comam arbutiq;:
Pascunt purpureos oues per agros,
Et pugnam cupidi cient mariti.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Nunc ô nunc opus est Pater,volenti

Aspires genio, & gregem reuisas,
Dum liber stabulis: tibi dicatum
Ne qua sors populum grauis fatiget.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Tu fures auidum genus coerce:
Tu morbos abige atra sæuientes:
Tu bellum iubeas bonus, famemq;
Ignotis procul exulare terris.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Defendat saturas nemus capellas:
Fida non egeant oues canum vi:
Audaces lupus inter erret agnos:
Cumq; hœdis Libyci accumbent leones.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Absit fraus scelerum comes, suoq;
Se liuor miser imbuat veneno:
Et lis cedere discat, & solutam
Deuinctus metuat furor quietem.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Sit pax candida, sit beata, plena
Pomis copia frugibusq; cornu:
Qualis cùm positum recenter orbem
Saturnus Ioue sanctior regebat.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Audis nos Pater? an nouam per agros

Suspiras Venerem, & preces recusas?
Ah cur nos fugis? hi tui poetæ:
Hæc olim tibi ducitur chorea.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Scimus quid sit amor, quid obstinata
Defigit tacitum iecur sagitta:
Adsis tu tamen, ipse dum laboro
Cœpti carminis explicare pensum.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Et ver puluereum, humidam & vehat Sol
Aestatem pecori laborioso:
Neu laxent pluuiæ, vel impotenti
Sydus vbera comprimat calore.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Tum fons vitreus, & perennis vnda
Festinans placido sonet susurro,
Quò sitim veniat, meridiemq;
Vmbrosa pecus eleuare ripa.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Gregi hæc poscimus: at gregis magistros
Præsens perpetua leues iuuenta,
Quam lusus comitetur, & voluptas,
Et nudos Venus osculans amores.
Pastores tua turba te rogamus,
Nos & res tueare Diue nostras.
Sic te nec fatuæ petant puellæ:

Hoc dolet, hoc æqua non ego mente fero.
Adsueti longa cùm sint in crimina culpa,
Concubitus fugiunt qualibet arte meos.
Siue Lycam puerum cœpi mollire precando,
Seu tacitus, quà se fert Telesilla, sequor.
Ille preces non audit amantis, at illa sequentem
Præuolat, & tardum ludit, vt aura, senem.
Non tu parua meo præbes alimenta furori
Amnis mœche, & vos insidiosa vada:
Nam neq; nos olidi vincunt pruritibus hirqui,
Nec sum Lampsacio castior ipse Deo.
Quòd si me Cybele curat iustißima mater,
Quam penes est bruti fasq; nefasq; soli,
Inuisi latices fundo pereatis ab imo,
Vosq; petant sicci, traijciantq; pedes.

FAVNVS AD NYMPHAS.

DICITE *cur nostros Nymphæ fugiatis amores:*
Quid Faunus, quo sic despiciatur, habet?
Cornua si mihi sunt, sunt & sua cornua Baccho:
Inq; sinus vocat hunc Cressa puella suos.
Ignea si frons est, an non frons ignea Phœbo est?
Hoc tamen est Clymene facta parente parens.
Barba riget suffusa genis: dedit improba sæpe
Oscula barbato Deianira viro.
Intonso densoq; tegor præcordia villo:
Nil ideo Marti est Ilia quæsta suo.
Capripedem arguitis: quid claudo turpius? at tu
Nupsisti claudo Cypria pulchra Deo.
Deniq; si qua meæ pars est non bella figuræ,

Exemplum à cœlo, quod capiatis, habet.
Sed vos nimirum mortalia facta sequutæ,
Omnis quando auro conciliatur amor,
Pastorum & pecoris tenui custode repulso,
Quæritis à magnis munera magna Deis.

IOLAS AD FAVNVM.

MOLLIBVS *Alcippe vernantia serta genistis,*
Collis ab vsq; iugo fert tibi Faune sui.
Vt vidi, huc amens summo de monte cucurri:
Aspice, perculso quàm tibi corde loquor.
Nunc adeò, si sæpe tuos cantauimus ignes,
Affer opem flammæ tu quoq; Diue meæ.
Formosi cùm te floris velabit honore,
Hæc illi dicas, vt tua verba, precor:
Alcippe miserum fastu quæ perdis Iolam,
Teq; simul tacito fallis inepta dolo,
Munera, quæ portas, bene si tibi nota fuissent,
Damni te poterant admonuisse tui.
Nec reflorescunt, quæ iam cecidere, genistæ:
Nec redeunt, qui iam præteriere dies.
Quòd si nulla mei tangit te cura Poetæ,
Ah saltem formæ parce puella tuæ.

THESTYLIS AD FAVNVM.

THESTYLIS *Alconis lectum pressura mariti,*
Numinis & cultus semper amica tui,
Ipsum Diue suæ tibi virginitatis honorem
Soluit, adhuc nulli vincula tacta viro:
Vtq; ea zona tuam pinum complexa tenebit,
Sic se animo, sic se vinciat ille, rogat.

DAPHNIS

DAPHNIS AD FAVNVM.

HAC tibi Faune, tua quæ pendet fistula pinu,
De victo grates Thyrside Daphnis agit.
Quòd si etiam illius dederis superare magistrum,
Cædetur festis alba capella tuis.

GALATEA.

PANA Deum Siculi per iniquas littoris vndas,
Eludit tarda dum Galatea fuga,
Seq; adeò spe prouectus, studioq; sequendi
Plus medium infido tingueret ille mari,
Quò fugis ô Galatea? mane, mane ô Galatea:
Non ego sum, dixit, non ego Nympha Cyclops,
Qui flauum auulsis iaculatus rupibus Acin,
Sæuitiæ liquit tristia signa suæ.
Pastorum pecorisq; Deus, cui garrula cera
Prima dedit varios fistula iuncta modos,
Quem gelidi frondosa colunt pineta Lycei,
Lætaq; Mænalio Parrhasis ora iugo,
Vnam de cunctis te diligo Neptuninis:
O Galatea mane, ô iam Galatea mane,
Ille loquebatur: fundo decliue maligno
Littus erat: gressum non tenuere pedes.
Sed pelagi dum cæca vrget malè cautus, & instat,
Quà refugit pendens, subtrahiturq; solum,
Labitur, & summas dorso conuerrit arenas:
Labentem intortis obruit vnda fretis:
Vtq; Deam, Galatea iterans Galatea vocabat,
Implerunt tenues ora vocantis aquæ.
Tum primùm latices epotauisse marinos

Pana ferunt, ponti nec latuisse Deum:
Sed quia Nereidas ibat vexare puellas,
Offensum fluctus non tenuisse suos.
Ergo illum nandi insuetum glauca excipit alto
Vnda sinu: exultant irrequieta vada.
Marmora ter superare manu conatus amara,
Ter circunfusis est reuolutus aquis.
Nympha Dei lapsum cupidis spectarat ocellis,
Gratior & pulchro risus in ore fuit.
Spectarant, sparsi vt steterant per littora, Fauni,
Pan comites Fauni, grataq; turba tua,
Et mixtus Faunis, cordi cui semper amores
Nympharum, & querulo tibia rauca sono,
Incubus, & Satyri, & conifera Syluanus
Arboris agresti cinctus honore caput.
Qui simulatq; ipsum gentis videre parentem
Pana sub impuris mergier æquoribus:
Nympha redi, Galatea redi, neu desere amantem,
Ingeminant omnes: candida Nympha redi.
Ah tantum ne admisse tuis sit dedecus vndis,
Quod taceant nulli post Galatea dies.
Ingeminant Diui: clamoribus icta resultat,
Arida pumiceum quà lauit Aetna pedem.
Illa metum fallax simulare, & tendere in altum,
Et vanas surda reijcere aure preces:
Quo magis ij tristes mœsti versare querelas,
Et pelagi expertes dicere amore Deos.
Pectora pars pulsare manu, pars currere in vndas,
Cedit, & argutos tardat arena pedes.
Omnia quæ obliquo lente nans respicit ore,

Vnaq;

Vnaq; tot gaudet fallere Nympha Deos.
Vtq; satis lusit: Certè sat lusimus, inquit,
Successuq; mei non caruere doli.
Atq; ita iactatis relegit freta versa lacertis,
Pronaq; non longum vincere tendit iter.
Summa secant pulsæ fluctu saliente papillæ:
Spumea sub niueo murmurat vnda pede.
Tum summo apprehensum cornu sustollit: at illi
Clauserat insolitus lumina victa sopor.
Vt rediјt cum luce animus: Quo percitus œstro
Coniugium affectas, dixit, inepte, meum?
Perq; ausus vada salsa sequi regna inuia vobis,
Inuitam pergis sollicitare Deam?
Numen aquæ gaudet tumidarum numine aquarum,
Conueniunt votis vota propinqua meis.
Tu pete montiuagas, quarum es de gente, capellas
Parte tui, & nostros linque proterue toros.

PRIAPVS.

ANTE *alias omnes, meus hic quas educat hortus,*
Vna puellares allicit herba manus:
Quam rapiunt, non vt capiti dent ferre corollas,
Et niteat multo flore reuincta coma:
Læta nec vt festi velentur limina templi,
Cum facit ad patrios plebs venerata Deos:
Nec phiala vt molles capiat conclusa maniplos,
Guttaq; supposito fallet odora foco.
Atq; ea non Beta est, non Braßica, non Amaranthus,
Non quæ flauenti lumine Caltha micat:
Lubrica non Lapathus, non est cereale Papauer:

Adiuuat aut medicas quæ Panacea manus:
Nec Baccho Cynara, & mensis accepta secundis,
Artificum nec qui surgis Acanthe labor:
Nec quæ cum rapidi vertit se lumine Phœbi,
Nec quæ de pueri nomine nomen habet.
Longè alia est, longeq; alios aptatur in vsus.
Nam primùm bifido nititur illa pede.
Enodem tenta in caulem, resupinaq; tota,
Et patulum minio sparsa rubente caput.
Est eadem, gelidis albet cùm terra pruinis:
Est, cùm sydereo finditur vsta Cane.
Nil refugit, nulloq; potest non tempore pangi,
Nullis non aptè conseriturq; locis.
Certa nec vlla soli ratio est, cultusq; serendæ:
Fœcundum, subigas tu modò, semen habet.
Semina seu mandes sulcis, seu fossa feraces
Accipiat plantas, vtraq; tuta via est.
At cùm iam prima cœpit pubescere sylua,
Exultatq; opibus, luxuriatq; suis,
Tum verò lachrymæ summo de vertice manant,
Mella quibus cedant Sicelis Hybla tua.
Quin etiam digitis contrectariq; supernè
Gaudet, & attactu crescit ab ipsa tuo.
Nec minus hanc, quæ cuncta mihi licet vsq; tueri,
Nam me posse loqui fœmina nulla putat,
Quamlibet ingenuæ gaudent tetigisse puellæ,
Et mediam tenera continuisse manu.
Sæpè iuuat summæ prono dare basia vultu,
Lentam sollicita sæpe fouere mora.
Dumq; fouent, tenues planta risere tumente
Per

Per tunicas agilem surgere,perq; manus.
Tum mirata nouam faciem non rustica virgo,
Prægrandesq; toros,insolitumq; decus,
Te veneror gramen magni mihi numinis instar,
Teq; meum columen,te mea sceptra puto,
Dixit: nec cunctata diu vestemq; reducit,
Et bibulam inducto sedula fonte rigat.
Illa madet fusa circum sua vimina vena,
Quasq; haurit,largo fœnore reddit aquas,
Cultricumq; sinus lætis prouentibus implet,
Perfugium in multis vna reperta malis.
Nam quæ longinquas sponso volitante per vndas,
Carpitur indigno sola relicta situ,
Et macet in viduo pertabescitq; cubili,
Fibra se multum graminis huius alit.
Molle iecur tacita quæ deperit icta sagitta,
Plurimam in epoto semine sentit opem.
Cui facies pallet,caulem si prandet opimum,
Prandenti gratus serpit in ora rubor.
Et quæ turgidulos flendo corrumpit ocellos,
Vt temerè in lachrymas hoc genus ire vides,
Rore insparsa leui, summa qui prosilit herba,
Lætitias animo, luminibusq; facit.
Et quam nigra malis terrent insomnia visis,
Admorso placidus germine somnus habet.
Dudum habilis tum si qua viro est,materq; vocari
Expetit,ignauos conqueriturq; dies,
Olim ne sterilem postrema redarguat ætas,
Auxilium radix tempore sumpta venit.
Deniq; si qua suo mulier malè culta marito est,

Hanc vorat, atq; aßis non sua damna facit.
Quamq; magis digitos implet capientis, & ore
Manditur oppleto, tam magis illa placet.
In molli latet vmbra aliјs, mibi semper aperta est:
Tam bona non debet graminis herba tegi.
Nomine si cupias cognoscere, Menta pusilla est.
Rides? Sic illam Roma diserta vocat.
Sed quæ, docti homines cùm dicunt, Menta pusilla est,
Hæc mihi non docto maxima vel nimia.
Parcite Romulidæ, verbo sum lapsus in vno:
An cuiquam nimium tale quid esse potest?

LEVCIPPI ET ALCONIS TVMVLVS.

FER casiam & flores, & odori balsama trunci,
Quanta super tumulos integat vmbra duos.
O Pan Pan, periere tui Leucippus & Alcon:
Fer casiam, & plena balsama carpe manu.
Carpe manu flores, ipsaq; volente Thalia
Nympharum sectis sparge sepulchra comis.
Illi proh, tantùm quos tu laudare solebas,
Musa quibus cordi, semper amorq; fuit.
Proh facinus periere: nec est reuocabile damnum:
Aspice, composito fletur vterq; rogo.
O Pan Pan, seu te gelidi montana Lycei,
Seu tenet vmbrosa Mænalis ora nape,
Huc ades, & tepidam lachrymis resperge fauillam:
Dedecet hic lachrymis continuisse pater.
Ipsa Venus fleuit: teneri fleuistis Amores:
Fleuerunt Dryades, Nereidesq; Deæ.

Phœbus

Phœbus adest, repetensq; suos mala fata poetas,
Vexat flebilibus saxa nemusq; modis.
Atq; ait hæc: Periere mei Leucippus & Alcon:
Estq; adeò, qui me numen habere putet?
En facinus, rapuere meos mala fata poetas:
Quaq; sequar raptos, non datur vlla via:
Quos alui, quorum ipse pio cantabar ab ore,
Et dederam Laurum crinibus ire meam.
Sume fidem: cornu celeres intende sagittas:
Nimirum vt fugiant te bona prima tua.
Rumpe fidem: cornu celeres infringe sagittas:
Nominis illa tui gloria Phœbe iacet.
Nymphæ terrarum præsentia numina, Nymphæ,
Quæ colitis Thusci littora curua maris,
Phœbus ego: Phœbi testes estote doloris:
Quanquam etiam vester debuit esse dolor.
At vos vlla mei tangit si cura doloris,
Quanquam etiam vester debuit esse dolor,
Pastores tumulo Phœbi decorate poetas,
Et memorem in tumuli cædite fronte notam:
Hic geminæ Phœbi curæ, Leucippus & Alcon,
Pastores ouium, pastorum & vterq; magistri.

PETRI BEMBI AMORES.

AD MELINVM.

QVID *dominam assiduis vexas, Meline, querelis?*
Frangitur iniusto læsa timore fides.
Simplicitas magis ipsa iuuat, cùm lege soluti
Iungitur in tacito fœmina virq; toro.

Mitem animum dedit infirmis natura puellis,
Fecit & ad blandas mollia corda preces.
Culpam in amore suæ qui nullam agnoscit amicæ,
Nouit qua melius arte perennet amor.
Mulciber æternos Venerem tenuisset in annos,
Vsa minus duro si foret illa viro.
Ah pereat, quicunq; suæ peccata puellæ
Obijcit, & flentem sustinuisse potest.
Ipse ego si videam, nollem vidisse fateri,
Gaudia ne flendo dißipet illa mea.
Tu quoq; quod nolles fieri, desiste vereri:
Non erit: innocuos ipse tuetur amor.

AD TELESILLAM.

NE *valeam Telesilla, tuo ni semper in ore,*
Sæuus amor facibus, cum pharetraq; sedet.
Nam quoties mala verba moues, toties mihi pectus
Vapulat heu pueri de pharetra & facibus.
Sed peream Telesilla, tuo ni semper in ore,
Blanda Venus violis, cum casiaq; sedet.
Oscula nam quoties mihi das auferre petita,
Das toties Veneris & casiam & violas.
Quid Siculis ingrata fauis absynthia misces?
Siue mihi tantùm sis bona, siue mala,
Altero vti superem lætus, dum te mea vita
Placata potior, altero vti moriar.

AD LVCRETIAM
Borgiam.

TEMPORE, *quo primam miscens fluuialibus vndis*
Iapetionides ritè animauit humum.

Sci-

Scilicet hac teneras onerauit lege puellas
Natura, in nostris parca tenaxq; bonis:
Vt speciem & claræ ferret quæ munera formæ:
Ingenij nullas quæreret illa vias:
Quæq; animi decus indueret, cultumq; per artes
Pectus Apollineas, ingeniumq; ferax,
Illa sibi nullum formæ speraret honorem:
Atq; omnes pacto iußit adesse Deos.
Plurima cumq; nouo creuisset fœmina mundo,
Euentus certam sustinuere fidem.
Nanq; vt habent mala rura valentes sæpe colonos,
Pigraq;, qui bonus est, ocia sentit ager:
Sic non formosæ cultu nituere puellæ,
Et quæ pulchra, eadem desidiosa fuit.
Prima meum atq; æui sydus spectabile nostri,
Tantum animo, quantum Borgia fronte micas:
Et tibi cum facie non certet Agenore nata,
Non Helene Idæo rapta Lacæna Pari:
Te tamen in studia, & doctas traducis in artes,
Nec sinis ingenium splendida forma premat.
Siue refers lingua modulatum carmen Hetrusca,
Crederis Hetrusco nata puella solo.
Seu calamo condis numeros & carmina sumpto,
Illa nouem possunt scripta decere Deas.
Naulia seu, citharámue manu percurrere eburna,
Et varia Ogygios arte ciere modos:
Seu reuocare Padi vicinas cantibus vndas,
Mulcentem dulci flumina capta sono:
Seu te nexilibus iuuat indulgere choreis,
Et facili ad numerum subsiluisse pede:

Quàm timeo, ne quis spectans hæc fortè Deorum,
Te prædam media raptor ab arce petat,
Sublimemq; ferat leuibus super æthera pennis,
Detq; noui cœlo syderis esse Deam.
Quicquid agis, quicquid loqueris, delectat: et omnes
Præcedunt Charites, subsequiturq; decor.
Ipse decor sequitur: sed, si modò vera fatemur,
Heu mihi, quàm multis est decor ille malo.
Nam minus Aetneas vexant incendia rupes,
Quàm quibus est facies Borgia nota tua:
Nec facies modò, sed docti quoq; pectoris artes,
Ah pereat, si quem forma sine arte mouet.
Atq; ego, qui miseros olim securus amantes
Ridebam, & sæui regna superba Dei,
Spectabamq; mari laceras de littore puppes,
Nunc agor in cæcas naufragus ipse vias.

AMICA AD GALLVM

GALLE meum sydus, mea lux, mea summa voluptas,
Quò leuis ille tuus tam citò fugit amor,
Lusibus vt metam cupias imponere nostris,
Teq; meo properes eripuisse sinu?
Siccine tot nostri de te meruere labores,
Et mea non vllo crimine læsa fides?
Hæccine tu nobis olim promissa dedisti,
Iuratus Paphiæ numina magna Deæ,
Cùm te nunquam alia captiturum Galle puella,
Sed fore dicebas tempus in omne meum?
Heu malè consultas veri quæcunq; putamus
Vllius in verbis pondus inesse viri:

Et miseras, quæ more meo vitamq; necemq;,
Atq; omnes ponunt spes in amante suas.
Nutat vt in summis vento leue culmen aristis,
Fluxa labat vestro sic in amore fides:
Vtq; vndam premit vnda sequens, pellitq; priorem,
Sic vos vsq; nouus versat & vrget amor.
Atq; ita tu bone Galle nouo malè captus amore,
Qua me destituas, pergis inire viam.
Interea ficto velas tua crimina vultu,
Accumulasq; malis perfida facta dolis:
Quæq; potes melius campo committere aperto,
Bella per insidias dißimulata moues.
Nam mihi nulla facis querula conuicia lingua:
Nec rapit ira meas vngue notare genas,
Ac neq; turbatos abstergere flentis ocellos,
Figereq; abstersis oscula luminibus:
Nec piget illapsos fronti componere crines,
Et dare compositæ florea serta comæ:
Atq; illos laudas, atq; hanc, & colla manusq;,
Exiguosq; pedes, virgineumq; latus:
Vtq; prius, videorq; tibi te digna, proborq;,
Meq; tuos oculos, corq;, animamq; vocas.
Sed te iam totam culpari Galle per vrbem
Fingis, & à populo non bona verba pati,
Plus æquo facilem quia des te semper amanti,
Meq; animo nimium perpetiente feras,
Quælibet & præstò venias in iussa, nec vnquam
Abscedas lateri longius vngue meo:
Quoq; tui plures attaui gessere triumphos,
Et proprio quo plus ipse decore micas,

Hoc inquis magis indignum & deforme videri,
Te Veneris laqueis implicuisse caput,
Atq; dies totos dominæ parêre puellæ,
Quæ tua fœmineo sub pede colla premat:
Hæc mala ne serpant, curam te velle parumper
Nominis & famæ dicis habere tuæ.
Ista tui noua cura venit tibi nominis vnde,
Me nisi quòd miseram linquere Galle paras?
Nanq; in amore mouent propriæ quem incommoda vitæ,
Damna potest famæ quiq; timere suæ:
Atq; nouas leges mœrenti dictat amicæ,
Subtrahit hic laxo iam sua colla iugo.
Quosq; canit titulos, speciosaq; nomina rerum,
Dissidij causas quærit habere sui.
Aeneas donec miseram dilexit Elisam,
Fatorum & nati mentio nulla fuit.
Sed siue ille nouam muris præcingeret vrbem,
Hærebat Phrygio pulchra Libyssa viro:
Seu vexare feras cursu iaculisq; pararet,
Vecta comes celeri Sidonis ibat equo:
Seu daret è solio populis sua iura vocatis,
Iura simul populis quæ daret, vxor erat.
Verùm vbi cessit amor, tum spe surgentis Iuli
Ducitur, & fatis lintea danda putat.
Tum videt intrantem muros, & multa monentem
De Maia genitum, de genitumq; Ioue:
Hostia tum Lyciæ Tyberina capessere sortes,
Grynæaq; iubet cultus in æde Deus:
Et patris Anchisæ in somnis super vrget imago,
Debita Troianis Itala regna sequi.

Galle

Galle adeò non ora gerit mendacia, cuius
Legitimi pectus æstuat igne Dei.
Albis nigra bonus confundere nescit amator,
Vertereq; ambigua fasq; nefasq; via.
Tam purum nihil est, veri quàm sensus amoris,
Indigeatq; vlla quod minus artis ope.
Ille nihil didicit fictis componere verbis,
Qui, quod amat, certa nouit amare fide.
Nec quærit furtis, bene sed placuisse merendo,
Et tantùm pollens simplicitate sua est.
Adde quòd est amor ipse puer, nec conuenit illo
Versutum pectus militis esse duce.
Vtq; Deus nullo velat sibi corpus amictu,
Sic nudis animis vult sua bella geri:
Quemq; videt non insidijs, non artibus vti,
Hic bonus est inquit miles, eritq; mihi.
At contrà incerti, & malefidum vulgus amantes,
Illita felle malæ pectora fraudis habent.
Nam semper magnis se dicunt ignibus vri,
Ardet vt in summo Sicelis Aetna iugo.
Sed modò se patriæ, modò se causantur amicis,
Nunc dare principibus, imperijsq; diem.
Nunc famæ spectare viam, nitiq; per ora
Ire virûm, atq; astris inseruisse caput,
Dum fallant astu miseras perdantq; puellas,
Quos inter magnum tu quoq; nomen habes.
Atq; vtinam vanis in te mea vita querelis
Inuecta, & falsa dicerer vsa nota:
Constantiq; fide tu nos, vt fingis, amares,
Aduersi ferrent nec mea vela Noti.

Siue tamen nostri perstas in amore fideq;,
Arcesis propera cur mea fata via?
Seu tuus ille prior menti deferbuit ardor,
Ah cur me miseram linquere Galle paras,
Quæ te vno semper colui malè sana tenore,
Quæ sum per longas vsq; sequuta vias?
Ipsa quidem non defugio tua iussa, nec vlla
Parte tuus nobis dißimulatur honos.
Sed caue ne titulos dum vis augere, perempta
Infirmet laudes vna puella tuas.

AD LYGDAMVM.

HEV diuersa tuis quàm sunt mea, Lygdame, fata:
Vt nos non vno versat in orbe Deus.
Tu, quod amas, crebrò inuisis, longumq; tuendo
Aegrum animum, atq; auidos pascis amore oculos:
Et lateri admissus iucundos aure susurros,
Pendulus & fragrantem excipis ore animam:
S mma vel auratæ suspendis basia mitræ,
Dum loqueris vacuam blandus ad auriculam:
Leuibus aut raptum digitis, teretiue lacerto,
Molle decus domina non renuente geris:
Et trahis à prima serus conuiuia nocte,
Dum sol frænatos ad iuga poscat equos.
At mihi longinquæ gentesq; vrbesq; petuntur,
Vt toto à domina separer orbe mea:
Et modò nimbosas mannis transmittimur alpes,
Saxaq; vix ipsis exuperanda feris:
Nec cæci nemorum tractus suspectaq; lustra,
Nec tardant nostras flumina adaucta vias.

Interdum audaci vastum trabe currimus æquor,
Velaq; nostra ijdem venti animamq; ferunt:
Qua tamen in terra est mea lux, conuertor ad illam,
Et frustra Eurydices *nomen in ore meo est:*
Atq; ita coniunctorum animis & amore duorum,
Alteri adest semper quod cupit, alteri abest.

DE AMICA A VIRO SERVATA DILIGENTISSIME.

NON *tua nequicquam medijs sitientis in vndis,*
Tantale flumineus respuit ora liquor:
Nec frustra esurientem eludunt arbore ab alta,
Semper verticibus pendula poma tuis.
Nempe hæc damnatos exercet fabula amantes:
Huic nos pœnarum debita turba sumus.
En ego, cui domina est, quæ me mihi charior ipso est,
Pro qua non metuam, viuat vt illa, mori:
Quæ me præ dulci germana & fratribus aureis,
Præq; suo sese dicit amare viro,
Cùm teneant nos ijdem ambo intra tecta penates,
Vna eadem, atq; vno penè etiam in thalamo,
Sæpe vt nuda sinus, & qualis surgit ab ipso
Mane toro, veniat conspicienda mihi;
Non tamen huic possumúe meos narrare labores,
Atq; aliquam aduersis poscere rebus opem:
Nonúe sedere vnà, non dextræ iungere dextram,
Non dare lacteolis basiolum digitis:
Omnia quæ possunt alij, qui tam nec amantur,
Nec quorum tantus concutit ossa Deus.

Atq; hæc non patior, quia magnos impia diuos
Læserit acta graui lingua furore mea:
Aut violarim audax proauorum sancta sepulchra,
Et fraterna pijs eruerim ossa locis:
Aut reserans Italas Gallis venientibus vrbes,
Intulerim Veneta barbara signa manu.
Sed neq; sopiti Alecto intentauit in ora,
Luridam ab inferno stans Phlegethonte facem:
Fœmina deuotum nec me vlla potentibus herbis
Prodidit, & magici docta ministra doli.
Infecitq; dapes & diris pocula succis,
Quales Circæos imbuerant cyathos
Tunc, cùm hominum è facie remex patientis Vlyssei
Induit in varias pectora versa feras.
Quippe horum nihil est, tantùm tuus ille maritus
Eurydice, annosis durior ilicibus,
Obseruat te meq; simul, prohibetq; vel vno
Cedere te lateri longius vngue suo.
Ille tuæ raptum fronti decus, & mea nuper
Misit in Adriacas dona scelestus aquas:
Quamq; mihi telam pingebas nexibus aureis,
Igni non ipso mitior igne dedit.
Ille tibi, si quando aliquò diuersus abire
Cogitur, & regis castra viasq; sequi,
Imponit legem exosus, ne quod mihi verbum
Dicas, néue in me lumina conijcias,
Néue aliquem auscultes, de me quicunq; loquatur,
Néue legas digitis scripta notata meis.
Vtq; pater bimæ, gestit quæ incedere, natæ,
Sic custode tuum munit vtrunq; latus,

Interea

Interea querulo plenas sermone tabellas
Dat tibi, iuratos commemoratq; Deos,
Et Venerem matrem, & cui vincla iugalia curæ,
Saturni magnam progeniem atq; nurum:
Et modò quæ in nostro capiantur, scribit, amore
Comperta esse tibi singula consilia.
Nunc si comperiet quicquam, mala multa minatur,
Teq; absens etiam ferreus excruciat,
Ne valeas vnquam insanos finire dolores,
Nullaq; sit miseræ non grauis hora tibi.
Proh superi, Eurydice, túne hæc tam tristia, tamq;
Perdita facta animo perpetiente feres?
Túne vllis sine delicijs poteris mea vita,
Cum tibi tam ingrato consenuisse viro?
Adde quòd exuperat cornicum secla vetusta,
Natus & is multò est, quàm pater antè tuus:
Quasq; vides, ipso non sunt in vertice, canos
Occulit adscitis caluitiumq; comis:
Immundamq; animam, & latè graueolentia odoro
Flore Arabum & multis artibus ora fouet.
Parcite custodes, non est mea digna puella,
Quæ senis inpuri perferat imperium:
Et me si videat quis vestrûm accedere ad illam,
Auertat se, aliam dissimuletq; viam:
Aut niueam dum tango manum, dum mollia carpo
Oscula, vos somno lumina victa date.
Si piget hoc, dura tum me vincite catena,
Et contusa graui compede crura sonent,
Mille vel inclusum dubijs perplexibus error,
Detineat tecti Creta superba tui,

Innixi aut ferro muri atq; adamantina turris,
Cocyti aut triplici sepiat vnda lacu,
Dum seruet nostram custodia nulla puellam.
Ah pereãt, quos hæc tam mala cura mouet.
Tum primùm Eurydices cupiam perijsse maritum,
Illa sit vt duro libera seruitio:
Quemq́; velit, cuicunq; velit, spectetq́;, loquaturq́;,
Acclinetq́; humero languida molle caput.
Cur tamen ipse miser pereas? sine me tua tantùm
Vxor amet: tunc te mî superesse velim:
Tunc te laudabo, tunc te mea Musa per æuum
Præsentûm & venturûm omnium in ora feret:
Tunc quos nũc habeo, & quos sum olim habiturus amicos,
Omnibus ipse mihi charior vnus eris.
Diliget illa etiam plus te, mitescere si te
Senserit: immites ipse repellit amor.
Peccabitq́; minus, modò si peccare libebit,
De te cùm sibi nil, vnde queratur, erit.
Obsequio teneræ vincuntur corda puellæ:
Obsequium magni numinis instar habet.
Obsequium blando paulatim assuescere amanti,
Et Veneris multas ferre iugum docuit,
Quarum antè immodicos spirabant lumina fastus.
Contrà iusta malis instruit ira dolis.
Hos natura parens illis, vt cornua tauris,
Alitibusq́; vngues rostraq́; longa dedit.
His se defendunt armis, læsæq́; repugnant
Scilicet, hæc noceant ne tibi tela, caue.
Nec melius cauisse potes, quàm si bene factis
Ingenium dominæ promereare tuæ.

Hæ tibi ſint artes, ſic illam vincere tenta.
Vinces, aut victus damna minora feres.
Nec tu fœmineas irrites coniugis iras:
Fœmineus refugit crimina nulla dolor.
Nil metuunt violare, nihil peruertere parcunt:
E cœlo dederint præcipites ſuperos,
Cùm ſpe deiectæq́; ſua, duriq́; peroſæ
Facta viri madidis ingemuere genis.
Traiecit rigido natorum pectora ferro,
Iſthmiaci Colchis victa dolore tori.
Appoſuit natum patrijs in prandia menſis,
Impia Biſtonium Daulias vlta ſcelus.
Quot mare habet Libycum fluctus, quot littus arenas,
Tot mouet in læſo fœmina cordę dolos.
Sed quid ego hæc repeto? me tantùm vtarę magiſtro,
Sæuierit damno fœmina nulla tuo.
Tunc, quæ te miſerum mala nunc verſantq́; trahuntq́;
Effluxiſſe tuo protinus ex animo
Dices, vt fracta fontis liquor effluit vrna,
Geſtatus flauo virginis in capite,
Si fortè in triuijs pueri dum prælia ludunt,
Impulſus duri teſtam aperit ſilicis,
Atq; hæc dat gemitum, & largo ſimul expluit imbri,
Horridulos illi perluit vnda ſinus.
Pax aderit, pacisq́; Deus cum matrę Cupido,
Nudaq́; amabilibus Gratia mixta iocis.
Terq́; ſolum pellens tenero pede luſus, vt olim
Aurea cùm faciles ſecla tulere viros.
Nullæ vexabant curæ mortalia corda,
Libertas illo tempore magna fuit.

Dura nec inſcriptis aſtabant legibus æra,
Culpa ſceluſq; aberant ſollicituſq; timor.
Nec vicina ſuis natam vetuere parentes,
Non obſeruatos ferre per arua pedes.
Nec ſocias lecti mos cuſtodire puellas,
Liminaq; obducta claudere firma ſera.
Simplicitas magis ipſa iuuabat, tum bona paßim
Gaudia cum nullis iuncta habuere malis.
Hæc & plura tibi contingent commoda, quæ non
Regum ſpes alto nixa pedem ſolio,
Aerataq; acies, conſtipatiq; manipli,
Omnis & acta tuo terra ſub arbitrio,
Omne mare exuperent, ipſo te iudice felix,
Ditior & votis eſſe ferere tuis:
Des modò te nobis curare volentibus ægrum,
Vulnera tractari ſuſtineaſq; tua.
Promere opem egregios Podalirion & Chirona
Vincam ego tam doctas non habuiſſe manus.
Ipſe tibi adſiſtat medicæ Deus arbiter artis,
Illa non poteris conualuiſſe via.
At ſi, quæ moneo, ſurda contempſeris aure,
Verbaq; do rapidis nunc mea turbinibus,
Irrita pòſt paulò ſpreti præcepta Poetæ
Flebis, teq; mihi non habuiſſe fidem.

Magni

Magni viri iussu versiculi conscripti: cùm reliqui etiam, qui Romæ erant Poetæ, eiusdem viri iussu conscripsissent.

DE GALESO ET MAXIMO.

INCREPAT *admißi tenerum dum fortè Galesum,*
Et queritur fluxa Maximus esse fide;
Dumq; malos pueri mores incusat, & ipsi
Dura laceßitus verba ministrat amor:
Non ille vrgenti sese purgare magistro,
Non multa offensum conciliare prece,
Inficias non ire, & testes poscere diuos,
Largo purpureas imbre rigante genas:
Non etiam irasci contrà, iustiq; doloris
Accensam in læso promere corde facem:
Nil horum aggreditur: sed tantùm ingrata loquentis
Implicitus collo dulce pependit onus,
Nec mora, cunctanti roseis tot pressa labellis
Oscula cœlitibus inuidiosa dedit,
Arida quot leuibus flauescit meßis aristis,
Excita quot vernis floribus halat humus.
Maxime quid dubitas? si te piget, ipse tuo me
Pone loco: hæc dubitem non ego ferre mala.
Sed neq; iam dubitas, nec te piget: imq; volentem
Basia mellitus contulit illa puer.
Macte tuo damno, & pueri bone Maxime culpa,
Macte tua culpa nequitiaq; puer,
Nam veneror, quorum placidi non pectora mores
Composuere minus, quàm face torret amor.
Crediderim in sancto dentur si iurgia cœlo,

Inter se faciles non secus esse Deos.
Ex omni vobis mollißima vellere fila
Neuit docta colo ducere fata soror.
Quis sortem magis optandam sibi poscat amoris,
Maximè siue tua, siue Galese tua?
Téne tui faciunt pueri peccata beatum?
Túne tuo peccans gratior es Domino?
Sic ô sæpe meus peccet, sic lædat amorem,
Sic mihi se læso præstet amore puer.

AD SEMPRONIVM, A QVO FVE- *rat reprehensus, quòd materna lingua scripserit.*

Non quòd me geminas tenere linguas,
Et Graiam simul, & simul Latinam,
Semproni, reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt loquuti,
Vt tanquam saturum hinnuloq; aproq;,
Vilem iuuerit esse me fasellum:
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri.
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo versor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi, quem proboq; amoq;,
Quantum pignora vix amant parentes,
Vt cùm noueris id, cauere poßis.
Nam pol qua proauusq; auusq; lingua
Sunt olim meus & tuus loquuti,
Nostræ quaq; loquuntur & sorores,
Et matertera nunc, & ipsa mater,

Nos

Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiæ damus, & damus Latinæ
Studi tempora duplicemq́; curam,
Quàm Graia simul & simul Latina.
Hac vti vt valeas, tibi videndum est:
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palustri.

BENACVS.

TE Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioq́; tuas attingere laudes,
Sit modò non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat: nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus voluisse intexere chartis.
Nuncius vt vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atq; Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terræ
Ausoniæ Verona sacris, templisq́; regendis
Demissum cœlo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipsa petebat:
Fortè pater gelido in luco, syluaq́; virenti,
Fontibus & riuis cubito subnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemq́; parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis,
Collectos comptæ crines tempusq́; decorum,
Incinctæq́; auro surasq́; sinusq́; fluentes

Vestibulo in thalami natæ niueosq; lacertos
Nudabant operi, quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyre digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeq; Saloq;
Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata Deus postquam auribus hausit,
Promissosq; olim fatis sibi lætus honores
Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
Demulcensq; manu iussit vicina vocari
Flumina: dein sese placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaq; in sede recepit.
Postera iam cœlo stellas noctemq; fugarat,
Lustrabatq; dies multo terrasq; fretumq;
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis,
Piscosusq; altas inuoluens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasq; interlitus auro.
Nec rapidus fluuioq; Athesis spectandus amœno
Defuit, aut Pataui circumq; intraq; pererrans
Mœnia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboq; sacrauit.
Populiferûe Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latißimus alueo,
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seq; mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atq; alios velatus harundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo

Obuius,

Obuius,atq; in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis,& Iaspide glauca,
Continuò Nymphæ mensas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niueis mantilibus aptè
Consternunt,dapibusq; onerant,Dictæaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu,calicesq; madentes
Præcingunt myrto,atq; implexis flore coronis,
Purpureoq; rosæ,Medorumq; arboris albo:
Medorum quondam, sed quæ nunc plurima lætas
Benaci vestit ripas,non illa caduca
Fronde virens,suauiq; auras permulcet odore.
Pòst vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndifragi domitorq; lacus,præsentia circum
Numina respiciens,his vocibus ora resoluit:
Quod votis toties nequicquam optauimus vnum
Vobiscum Diui, fausto modò sydere luces,
Vertentes luces fatorum orbisq; ministræ,
Aduexere: vehit pleno bona copia cornu,
Largaq; pomifera prætendit munera dextra.
Quare vos primo longæui à semine mundi,
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Voluite maiores vaga flumina,voluite Lymphas.
Flos etenim iuuenem,longa formidine secla
Perdita qui soluat,quiq; agglomerata malorum
Agmina tot belliq; faces,quas vidimus ipsi,
Bactra vltra,Thylemq; vltra,Scythiamq; releget,
Quiq; vrbes,quiq; arua colat,Ioue missus ab ipso est.
Voluite maiores vaga flumina,voluite Lymphas.

Hic primùm miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosq́; suis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augensq́; priorem:
Oppidaq́; ingenti multùm quassata ruina,
Prostratisq́; solo latè mœrentia tectis,
Restituet, pulchroq́; dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Magno nanq; pij iuuenis deuinctus amore
Hetruscus pater, excelsas qui Tybridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,
Illius eximias virtutes, claraq́; docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosq́; inuicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Quid memorem vt tener & primæ sub flore iuuentæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quàm fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu casus victos superauerit omnes. al'uictor
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cùm frangeret armos,
Præcipitansq́; viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces tractusq́; volantem
Aerios, summo miseratæ è vertice Nymphæ
Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.

Sæpe

Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Astitit vnigena proles Iouis, vt bona mater:
Vt mater bona, quæ charo timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas arteis iam nunc tibi, dixit, habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorum, nemorumq; ferax, pecudumq;, virûmq;,
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersosq; iugo ad ventos interq; cadentem
Surgentemq; diem longo protenta Pyrene,
Altis quæ geminas despectat frontibus vndas.
Tum dictis factisq; potens illa inclyta bello,
Lataq; & in latas Hispania dißita terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant,
Acceptos conuersa sonos cùm vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Testis & Adriacus, paruo qui flumine Rhenus
Lambit humum: testis Thuscis haud maximus vndis,
Maior prole virûm, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cœlum diuisq; recentibus augens,
Pulchros qui colles, pulchramq; intersecat vrbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studijs iamdudum & amore quiescit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Tu verò tu Roma tui genus ecquod alumni,

Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per secula nomen,
Tolle decus, daq; alta virûm volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Aetnæ,
Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,
Tantum clara virûm Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cœlestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu præsentia secla
Firmabis, veterumq; abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,
Et tibi sylua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas,
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahant vel harundine longa,
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,
Et plectrũ, & citharam, scriptasq; ab Apolline chartas,
Aeternùm quas ediscant, celebrentq; minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Vt Phœbo, vtq; Ioui confectis Græcia lustris
Sacra olim & pleno posuit certamina campo,
Sacra tibi, ludosq; tibi sic Itala tellus
Instituit, sic illa tuo de nomine dicet.
Voluite maiores vaga flumina, voluite Lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,
Luteolum calthæ florem, casiamq; virentem,

Liliáq;,violasq;,& purpureos hyacinthos.
Haud porxisse prius poterant:bella horrida bella
Pertulimus,dulces & deformauimus agros.
Voluite maiores vaga flumina,voluite Lymphas.
Vt cùm letiferos accendit Syrius ignes,
Riuus aquas,hortus flores,pratum inuidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustæ:
Arua colit nemo siccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cuncta iacent nimio cœli contusa calore:
Trista sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina,voluite Lymphas.
At postquàm lætos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas,hortus flores,pratum explicat herbas:
Ipsa viret tellus:ripæ collesq; nitescunt:
Dant segetem sulci:nemus altas sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
Vertit humum,& putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cœli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina,voluite Lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuq; pater Tyberine,tuum qui flumen Olympo
Deuehis,hunc olim vobis multosq; per annos
Sit satis ô tenuisse:meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis,ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

PRO GORITIO VOTVM AD Deos, quibus ædiculam exædificauerat.

SANCTA, *quibus propriam posuit Goritius aram*
Numina, perpetuosq́; aræ sacrauit honores,
Humani columen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuinæ genitrix augusta puellæ,
Felix sorte tua, felix nata atq; nepote,
Aethereiq́; puer magnum patris incrementum,
Arte boni quos egregia cœloq́; Sauini
Spectari, Pario & spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatum,
Et castæ mouere preces cœlestia corda,
Reddite quæ posco, mea nec sint irrita vota:
Vt quos longa dies miseris mortalibus olim
Aduectat varios senio veniente labores,
Aegrum animum, & segnes effœto in corpore sensus,
Inq́; solum pronos vultus, nixisq́; bacillum
Poplitibus, tardosq́; gradus, tremebundaq́; membra,
Tum crebras lachrymis causas, & dura suorum
Funera, & euersos mutata sorte penates,
Quæq́; alia ex alijs paßim mala consternatas
Implerunt terras cupidi post furta Promethei:
Horum ille immunis totos centum expleat annos,
Auspicijs superi vestris, & numine vestro
Integer, vt nunc est, nec longæ damna senectæ
Sentiat: & charus patriæ, iucundus amicis,
Diues opum, Roma incolumi Latioq́; fruatur.

HYMNVS

HYMNVS AD DIVVM Stephanum.

NAM *quæ te culpæ & sceleris tam dira cupido*
Infelix Solyme, & seclis damnanda futuris
Corripuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Vt iuuenem patris ætherei præcepta canentem
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatum
Præstanti eloquio, teq; ad meliora vocantem,
Compita per mediasq; vias è mœnibus vrbis
Illusum expuleris: tum cæca perdita mente
Concursu pressum ingenti, saxisq; petitum,
Nudatos artus, ceu quondam grandine densa
Iupiter ingeminans terram quatit æthere ab alto,
Crudelis leto dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido sustollens lumina vultu,
Lustrabatq; oculis cœlum, intrepidusq; pericli
Laudabat superos, & spe sua damna leuabat:
Cui se, quantus erat, manifesta in luce videndum
Ipse pater Diuûm dederat cum compare nato
Sublimis, medioq; illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cùm iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem & caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immani moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placabat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parère magistris,
Macte animo puer egregio & præstantibus ausis,
Macte nece, & veris magnum decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasq; cruentas,

Et longùm memoranda nepotibus aspera fata
Magnanimi post Herois, quem candida partu
Cœlicolûm regi tecto sub paupere Nympha,
Non vllam Venerem, nullos experta hymenæos,
Ediderat patrij flauas Iordanis ad vndas,
Testis ades facti: sacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conspergis Idumes:
Et pulchræ insolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxisse corona:
Vnde tibi grati nomen dixerè minores.
Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
Ritè damus, & thura tuis imponimus aris.
Quòd si vlla ô votisq; hominum precibusq; mouentur
Numina, nec cunctis adeò stat perdere Diuis
Ausoniam, populosq; Italos, nomenq; Latinum,
Atq; malis propè iam confectæ mœnia Romæ,
Sancte veni, cœtusq; tuos, tuaq; aurea templa,
Læti quæ festa velamus fronde per vrbes,
Dexter adi, placidusq; animis illabere nostris:
Ac primùm miseris bellorum & cædis amorem
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
Tigrimq; Tanaimq; vltra, & post ferre quietem
Sollicitos populi fasces, adiectaq; regnis
Regna super, validoq; vndantia milite castra,
Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
Dein pestes scelerum tantorum, atq; agmine longo
Multa odij concreta modis mala semina diris,
Infectasq; diu labes, & crimina purga
Heu solito grauiora, irasq; auerte Deorum.

ARMIL-

ARMILLA AVREA LVCRETIAE Borgiæ Ferrariæ ducis, in serpentis effigiem formata.

DYPSAS *eram: sum facta, Tago dum perluor, aurum*
Tortile Nympharum manibus decus: at memor olim
Eridani, auditaq; tua Lucretia forma,
Eliadum ne te caperent electra tuarum,
Gestandum charæ fluuius transmisit alumnæ.

DE IVLIO PVERO QVI SEIpsum pinxerat in tabula.

VT *sol, cùm placidis semet depingit in vndis,*
A te sic ipso picte puelle micas.

PEGASVS EQVVS PATERnum insigne.

GRAECIA *cùm celeres mihi Dædala fingeret alas,*
Esse homines vobis dixit in astra viam.

CVM CEREIS ALBIS DONO missis Bernardo Monacho.

VIVAT *in Euganea reliquum tibi lumen oliua,*
Cera sed in sacris luceat alba tuis.

CAMINO INSCRIPTVM.

HANC *nisi Phœbeo rapuisset ab orbe Prometheus,*
Ars homini flammæ nulla nec vsus erat.

COSMVS ANYSIVS AD PEtrum Bembum.

MI BEMBE, *quando tam sumus pauci,*
Canant Camœnæ, gratulemur inuicem
Nobis, & incitemus animos nobiles
Virtutis excellentis alta ad culmina,
Ne prorsus Helicon destitutus artibus
Pulchris, iniquo numine, amittat decus
Nomenq;: nostrum ô seculum insulsißimum
Quod centum Homeros aut Marones æstimet
Vilis teruntij, per interest parum
Oppedere aut cantare surdis auribus,
Portenta quæ auertantur infelicibus
Lignis, & vndis abluantur Tartari.

TVMVLI, ET RELIQVA.

POLITIANI TVMVLVS.

DVCERET *extincto cùm mors Laurente triumphum,*
Lætaq; pullatis inueheretur equis,
Respicit insano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente virum.
Mirata est, tenuitq; iugum: furit ipse, pioq;
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miscebat precibus lachrymas, lachrymisq; dolorem,
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphi Tartareæ cùm patuere viæ,
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertq; suas, dixit, in mea iura manus.

Protinus & flentem percußit dura Poetam,
Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ Politiane Lyræ.

GALLI EPITAPHIVM.

O FATIS *nimium duris exercita Roma,*
Ten' decuit toties vltima damna pati?
Ille tuus sanguis Gallus, tua magna voluptas,
Gallus Auentini gloria prima soli:
Gallus Musarum & Phœbi gratißimus hospes,
Donauit cithara quem pater ipse sua:
Et cinxere Deæ lauro, & dixere Poetam
Melpomeneq; suum, Calliopeq; suum:
Cui lex, & bene suadus honos, rectiq; cupido,
Et probitas cordi simplicitasq; fuit.
Candida cui ridebat hianti copia cornu,
Et faciles Nymphæ, semicaperq; Deus.
Mater & in canos spicis euincta capillos
Implebat lætis meßibus arua Ceres:
Cui Nar sulfureus, nigra cui Farfarus vnda,
Et qui Roma tuas Fucinus auxit aquas,
Atq; Almo, atq; Anio, Tybrisq;, paterq; Numicus
Flumina iusserunt largius ire sua:
Delitiæ mea Roma tuæ, lususq;, leporq;,
Et spes, & senij remus & aura tui,
Gallus, per quem oblita tuorum es antè malorum,
Occidit: heu sine amore, & sine lege Deos.

IVLII SECVNDI PONTIFI-
catus maximus.

ILLA *pijs populis mundoq́; accepta recenti,*
Sub Ioue *cùm nondum ferreus orbis erat,*
Nec proſciſſa graues vertebant arua iuuenci,
Vinea nec lachrymas falce reſecta dabat:
Mella ſed aeriæ ſubdabant roſcida ſyluæ,
Et lac pro gelida flumen habebat aqua.
Nunc ô nunc redit ad primos bona quercus honores,
Quos habuit, mundi cùm tener orbis erat,
Quercus glande ſua quæ quondam Heroas *alebat,*
Cura Deûm Quercus *ſancta, piumq́; nemus,*
Dignaq́; Cecropiæ *pinguis cui ſylua* Mineruæ
Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipſa ſuo laurus Phœbeia *luco,*
Inflexæq́; pedem Bacchica *ſerta hederæ,*
Vel myrti Veneris, *vel* Syluani *cypariſsi,*
Vel quæ capripedi pinus amata Deo *eſt.*
Nanq; boni mores noſtro rediere ſub æuo,
Vt primùm poſito conſtitit illa ſitu:
Simplicitasq́; inculta comam, rectiq́; cupido,
Et lex, & probitas, & ſine labe fides.
Nec redit ad primos tantum bona quercus honores,
Quos habuit mundi cùm tener orbis erat:
Sed prouecta ſolo nitidis caput inſerit aſtris,
Quantum homines aluit, tantum alitura Deos.

CAROLI BEMBI FRA-
tris Epitaphium.

QVALIS *honos cœli, puro cùm ſurgit Olympo*
Lucifer,

Lucifer, & fessis clarum caput exerit astris:
Tale decus te Bembe tuis mala fata tulerunt:

HERCVLIS STROZZAE
Epitaphium.

TE *ripa natum* Eridani *Permessus alebat,*
Fecerat & vatem Marsq; Venusq; suum.
Iniecere manus iuueni, & fatalia duris
Stamina pollicibus persecuêre Deæ.
Vxor honorata manes dum conderet vrna,
Talia cum multis dicta dedit lachrymis:
Non potui tecum dulcem consumere vitam:
At iam adero amplexans te cinerem ipsa cinis.

MARCI ANTONII GAbrielis Veneti Epitaphium.

DEMESSAM *patriæ segetem crescentibus herbis*
Morte tua venerande puer, specimenq; relinquis
Præreptum genti morum & virtutis auitæ.
Te Pataui colles, vitrea te Silis in vnda,
Te Veneti fleuere lacus, terq; Hadria vastum
Impleuit gemitu mœrens & questibus æquor.

PHILIPPI BEROALDI Minoris Epitaphium.

FELSINA *te genuit, colles rapuere Quirini,*
Longum audita quibus Musa diserta tua est.
Illa dedit rerum domino placuisse Leoni,
Thebanos Latio dum canis ore modos.
Vnanimes raptum ante diem fleuere sodales:
Nec Decimo sanctæ non maduere genæ,

Quæ pietas Beroalde fuit tua, credere verum est
Carmina nunc cœli te canere ad citharam.

SCYTHAE POETAE FELtrini Epitaphium.

SCYTHAE *oculos clausit Phœbus, fleuere sorores:*
Fleuerunt Charites, funera duxit Amor.

CERTALDI PHILOSOPHI Epitaphium.

ET *terram, & cœlum ingenio Certaldus obibam,*
Quæq; fuere alijs clausa, reclusa mihi.

LONGOLII EPITAPHIVM.

TE *iuuenem rapuere Deæ, fatalia nentes*
Stamina, cùm scirent moriturum tempore nullo
Longoli, tibi si canos seniumq; dedissent.

LEONICI EPITAPHIVM.

NATVRAE *si quid rerum te forte latebat,*
Id legis in magno nunc Leonice Deo.

TELESILLAE EPITAPHIVM.

QVID *mors tam pulchram rapuisti dura puellam?*
Nunquid me miserum te quoq; tangit amor?

CATELLI EPITAPHIVM.

NIL *tibi non dominus tribuit Bembine catelle,*
A quo nomen habes, & tumulum, & lachrymas.

FICTVM PRO ANTIQVO.

AELIA *natorum manesq; sequuta mariti,*
Vsa sua iacet hic Septimiana manu.
Vir Turrinus erat, cum quo tria lustra peregit,

Iurgiaq;

Iurgiaq; in sancto nulla fuere toro.
Binaq; de primo suscepit pignora partu,
Dein natam matris spemq; metumq; suæ.
Crudeles diui, proles adoleuerat, at mors
Iniecit tetricas peruiolenta manus.
Post quæ mœrentem, ne quid superesset amanti,
Abstulit orbatæ proxima luna virum:
Quem simulac flamma vidit lambente cremari,
Ergo ibis, tecum nec tua, dixit, erit?
Eripies mihi tu nunquam hoc fortuna: licebit
Hoc saltem inuita te potuisse mihi.
Dixerat, & stricto fixit sua pectora ferro:
Sic moriens charo nunc quoq; iuncta viro est.

IACOBI SYNCERI SANNAzari Epitaphium.

DA sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus vt tumulo.

LVCILII BEMBI FILII Epitaphium.

O MVLTVM *dilecte puer, quæ dura parenti*
Fortuna inuidit te superesse tuo?
Quam producebam lætus te sospite vitam,
Erepto peior morte relicta mihi est.

IN PETRI BEMBI CARDINALIS MORTEM AC LAVDEM,

ECLOGAE TRES INCERTI AVTORIS.

ARGVMENTVM.

HAEC ECLOGA *illustrißimi & reuerendißimi Cardinalis* BEMBI *obitus, sub Meliboei persona defletur ab eximio viro Carolo Gualterutio, qui illum vnicè dilexit & obseruauit: & Lycidæ nomine intelligitur. Hunc prudentißimè simul & religiosè consolatur vir integerrimus* ALOISIVS *Priolus, quem per Amyntam intelligi Poeta voluit.*

MELIBOEVS.

Amyntas & Lycidas.

AMY. EN *vitrei Lycida fontes, vmbræq; salubres,*
En virides pinus, violisq; nitentia prata.
En quos sæpe tuo lusu celebrare recessus,
Quæ mulcere nouo suetus nemora auia cantu.
Hic te certantem Satyrorum effrena iuuentus,
Te Dryades Nymphæ, te Naiades admiratæ:
Panq; ipse, argutis resonant cui Mænala syluis.
Vt siluit tua Musa, horrent deformia prata.
Quiq; prius vmbras lucus præbebat opacas,
Idem formosis viduatus frondibus aret.
Fontis & exhausit liquidas sol igneus vndas.
Eloquar an sileam, quæ tanti causa doloris?
Aut mea quid cesset taciturnis fistula syluis?
LYC. *Ille heu, ille vnus quondam mihi charus Amynta,*

Qui

Qui dum Aurora rotas Eois tolleret vndis,
Mecum vnà in vacuos saltus armenta solebat
Ducere: nunc eheu fato est ereptus acerbo.
Ille per Vrobios montes, vallesq; reductas,
Ille per Hetruscas rupes, atq; auia saxa,
Ille per Euganeas cantu celeberrimus oras.
Illum etiam Latij montes, & frigidus Almo
Obstupuit, mediamq; secat qui Lydius vrbem
Tybris, & auratæ prætentat cornua frontis.
Tantus honos doctæ vocis, tam sancta verendi
Maiestas oris, tot honesti pectoris artes.
Hinc dare suetus erat armenti iura magistris,
Ruricolumq; vnus mœstas sedare querelas.
Hic, quum sol primo lustraret lumine terras,
Et medio persæpe die, quum Syrius arua
Vreret, & valido gemeret grauis area pulsu,
Vel fesso Hesperium curru properaret in æquor,
Mollibus in ripis, muscosi fontis ad vndam,
Et viridis vacua salicis proiectus in vmbra,
Pastores blanda mulcere solebat auena,
Et rixa abductos ad pacis dona vocare.
Huius ad inferias, & funus mœsta senile,
Alma Venus luxit, parui luxistis Amores.
Ipse faces, arcusq; suos, ac tela Cupido,
Et pharetram amißis abiecit flebilis alis.
Te mœrens fleuit pastor, te durus arator,
Te mœstæ extinctum Dryades, tristesq; Napeæ,
Te fragiles coryli, atq; ipsæ fleuere myricæ,
Non aliter quàm si iuuenem te fata tulissent.
Sed felix Meliboee vale, multosq; per annos
Ossa beata precor tuta requiescite in vrna.

AMY. *Magna quidem fateor Lycida est tibi causa dol:di,*
Si quantum Euganeis, quantum Laurentibus aruis,
Præsidium abstulerint superi, atq; immitia fata,
Tecum agites. Contrà memori si mente volutes,
Quàm blando semper diuumq; hominumq; fauore,
Omnia maturæ complerit munia vitæ,
Quæ tandem inuidia est, vmbras, & inania vota
Si fugiens alios demum secesßit in orbes?
Si tenet Elysios campos, sedesq; beatas?
Atq; inter syluas & amœna vireta vagatur?
Hic, vbi cœlestes concentus aera mulcent,
Et mille arguto decurrunt murmure riui,
Fertq; rosas inculta seges, fert vndiq; flores.
Non illic litui, non Martia claßica, possunt
Aeternam placidæ mentis turbare quietem:
Hinc & luxuries, & habendi insana cupido,
Et metus omnis abest: at adest syncera voluptas,
At secura quies, at fraudum nescia corda.
Felix ô Melibœe nouum decus addite diuis,
Sub pedibus nubes, atq; ignea sydera lætus
Miraris, spectans maria alta tumescere ventis,
Pendeat vtq; ingens æquo discrimine mundus.
Tum nos, & tua rura simul pater optime cernis,
Ex alto nostros cœlo miserate labores,
Ante Dei solium magni non vana precaris.
Ergo tuos demens Lycida iam desine questus,
Nec mœstis comple frustra clamoribus auras:
Sed tumulus vernis niteat, violisq;, rosisq;,
Et fluat in cineres nardus, nec desit amomum,
Aßyrio stillet venerabilis vrna liquore,

Aeter-

Aeternumq; madens, Panchæis mercibus halet.
Nos, quoniam tacitis properat nox atra quadrigis,
Et sol Hesperio iam mergit æquore currus,
Securum pastas pecudes in ouile vocemus.

MENALCAS.

ARGVMENTVM.

HIERONYMVM Quirinū Ismerij F. apprimè nobilem, BEMBVS Cardinalis ita dilexit, vt eum moriens, & in secundis hæredibus scripserit, & testamenti sui executorem esse voluerit. Hic funeri interfuisse fingitur, & quas in consessu grauißimorum hominum lachrymas continuerat, eas peractis exequijs secedens, fundere sub Thyrsidis persona inducitur: vbi & quàm vanæ sint hominum spes, ostenditur: & BEMBVS sub Menalcæ persona, copiosè atq; ornatè laudatur: simul & de statua, quam idem Quirinus illi Patauij erigendam curauit, & de monumentis, quæ extructurus est, mentio habetur.

MENALCAS.

EXTINCTVM Thyrsis Hetrusci ad Tybridis vndam,
Insignem quondam numeris & voce Menalcam
Spectarat: gemitumq; premens, mœrebat inani
Luctu, non ausus tristeis effundere quæstus,
Dum lux, & sacræ prohibet reuerentia pompæ.
Mox vbi paulatim densis adoperta tenebris
Accesit, mouitq; atros nox humida currus,
Tristibus inferijs, & iustis ritè peractis;
Iam pubes dilapsa vago pede discesserunt:
Ille vnus nemorum procul in secreta recedens,
Astitit ad sacri fontis caput, vdaq; tollens

Lumina, & intendens geminas ad sydera palmas
En, ait, hic nostros memorare impune dolores
Iam licet, & longos lachrymarum effundere riuos.
Tú ne igitur terris, tu nuper adempte Menalca,
Mî sine sole diem, sine luna, & lumine noctes
Liquisti, & densis cuncta heu loca plena tenebris?
Nec mihi iam blandos vultus, nec docta licebit
Tempora mirari sacris redimita corymbis?
Nec te audire olim sola sub rupe canentem
Carmina, queis tu etiam tigres, sæuasq; leænas,
Suetus eras mulcere noua dulcedine vocis.
Non ego te posthac per florea rura vagantem
Aspiciam, vel cùm nigris sol surgit ab Indis,
Hesperias vel cùm pronis descendere in vndas
Horret equis, vel cùm properans nox humida cœlo
Præcipitat, mollesq; inuitant sydera somnos.
Nam quæ te sæuo clauserunt funera somno?
Tristia nam quæ te fata absumpsere Menalca?
Cur non crudeles diuos, crudelia mœstus
Astra vocem, assiduos fundens è pectore questus:
Et complere parem tristi nemora auia fletu?
Ah dolor, ah moriens rupisti gaudia nostra:
Iam mihi sola super miserandæ tædia vitæ:
Iam requies ablata omnis: tua funera tristeis,
Heu nobis, vrbiq; simul liquere dolores.
Præsidiumq;, decusq; tuis, tu magne Menalca
Solus eras, solus vita mihi charior ipsa.
Tu sacros fundens latices, tu plena quotannis
Pocula bina Pali statuens, armenta, gregesq;
Lustrabas charus diuis: pecuaria per te

Creuere,

Creuere, & nullo senserunt tempore morbos.
Tu Musis flores, & serta virentia Phœbo
Largitus, sic & Musis, & Apolline semper
Plenus eras: vt qui certasset carmine tecum,
Idem ille ex omni certamine victus abiret.
Ergo te montes, & flumina nota, magistrum
Pastorum optabant, Latios quicunque per agros,
Aeriasq; alpes, pascunt & Celtica rura,
Quiq; Istrumq;, Albimq; bibunt, Rhenumq; bicornem.
Serta Pales, atq; alma Themis tibi terna parabant.
Ipse pedum iam num tibi Pan Tegæus eburnum
Fecerunt, & medium fuluo distinxerat auro.
O me felicem, si te ad fastigia summi
Pastoris vidisse mihi mea fata dedissent,
Cùm tu iam felix, & iam Dijs proximus ipsis
Astares, totusq; tuo gauderet honore
Orbis, & augustis supplex daret oscula plantis.
Et tu pacifera frontem redimitus oliua,
Diffundens almæ pacis pia munera terris,
Solis ab occasu, spectares solis ad ortum
Sub pedibus iam cuncta tuis vertiq; regiq;,
Aureaq; antiquæ renouares secula vitæ.
Vt dura aerio manarent robora melle,
Nectareq; & niueo spumarent flumina lacte,
Et ferret tellus fruges sine vomeris vsu.
Sed spes, & mea vota, leues quando irrita venti
Spargunt, & cœli per inania nubila iactant:
Tu saltem decus obscuræ Latonia noctis,
Et vos quæ tacito labentia sydera cursu,
Aeternum signis per secula voluitis annum,

Aridaq; aerijs renouatis roribus arua,
Dum querimur, casus oro miserescite nostri,
Lucidaq; obscuris obducite nubibus ora.
Me miserum, posthac solus per lustra vagabor,
Et notas vrbes, populos, lucemq; perosus,
Semper mœsta tua relegam tibi carmina morte,
Et flebo casumq; tuum, & tua fata Menalca.
Quem grauis vndisono suspirans Adria tractu,
Quem mecum obducta turbatus fronte Metaurus,
Quem Tybris pater, atq; Arnus, quem lucidus amnis
Mincius, & fracta Meduacus arundine fleuit.
Fleuit & effracta lugubris Serius vrna,
Cuius mille greges, armentaq; pinguia pastor
Mollibus è stabulis ad pascua læta vocabat,
Quæ senior docto liquit pascenda Myconi.
Fleuerunt niuei circum caua flumina cygni:
Creuerunt lachrymis vndæ, creuere fluenta,
Nec iam mœrentes solitus capit alueus amnes.
Quin arbusta prius cœlo tendentia ramos,
Nunc grauidum mœsto caput acclinata dolore
Squallent, ceu tristi de cœlo fulgure tacta.
Ipsæ non syluæ frondes, non pascua colles,
Non campi segetes tulerunt, non pampinus vuas,
Et flos destituit languentes aridus herbas:
Destituere sui morientia prata colores:
Quæq; prius dulci complebant omnia cantu,
Demissis mœstæ pennis siluere volucres.
Verumetiam fama est, fractis fornacibus Aetnam
Flammarum vomuisse globos, atrasq; fauillas:
Aetnam, quam fertur puer accoluisse Menalcas,

Dum

Dum cupidus Graiæ discit noua sibila cannæ,
Atq; Aetnea suo permulcet carmine saxa.
Adde, quòd in syluis miris simulachra figuris
Visa indefectis implerunt saxa querelis.
Sed quid ego hæc frustra? aut quæ me dementia cepit?
Quin potius, mea quando nihil suspiria prosunt,
Nec luctu aut lachrymis reuocantur fata profusis:
Quod possum, ne sola tuos testetur honores
Roma potens, laudum ponam monumenta tuarum,
Quà grauis Antenor miseræ post funera Troiæ,
Mansuras Teucris sedes, vrbemq; locauit,
Et Venetûm genti fausta dedit alite nomen.
Hîc ego bina tibi niueo fulgentia saxo
Constituam gratus solenni altaria ritu: &
Annua præbebo festis spectacula ludis.
Hîc manus artificum te pulchro docta colore
Exprimet, ac Pario viuum de marmore ducet,
Et notos fuluo vultus imitabitur ære.
Hîc, quicunq; tuas aut versu, aut voce soluta,
Dixerit egregiè laudes, sua præmia victor
Accipiet, lætusq; virûm volitare per ora
Gaudebit: gaude æternùm victure Menalca.
Hîc, hominum ex animis nullo deleberis æuo.
At quà se magni pandit tibi regia cœli,
Pastores inter diuos lætabere: & illinc
Despiciens casus olim miserabere nostros,
Auertesq; metus omnes in vota vocatus.

IOLAS.

HVIVS EGLOGAE IDEM QVOD superiorum est argumentum, nisi quòd illic pastores, hic piscatores introducuntur.

MOPSVS ET DORYLAS.

IAM *rapidi medium cœli sol igneus orbem*
Transierat, pronoq; vrebat lumine pontum:
Mopsus arenoso cùm cedens littore mœstus
Piscator, nullamq; trahens ad littora prædam,
Despondere animum cœpit, cymbamq; reliquit:
Humidaq; expandens per duras retia cautes,
Dum siccat cistasq; leues, nodosaq; lina
Sol ardens, vacuum iratus diuertit in antrum,
Ingratos cupiens requie lenire labores.
Quò postquàm ventum, rupes resonare querelas
Miratus, videt incuruo de littore tristis
Fundentem quæstus Dorylam, quo doctior alter
Non fuit, occulto deprendere gurgite pisces,
Et fundam iacere, & ponto trahere humida lina.
MOP. *Accedensq; inquit: Doryla, quem tristis ademptum*
Sic gemis, vt flenti resonent tibi littora & antra?
DOR. *Ne luctus, ne rumpe meos respondit, & eheu,*
Tu quoq; communem mecum turbatus amicum
Flere para, & nostri miserum morientis Iolæ
Interitum: vitreis quem defleuere sub vndis
Nereides; fleuit vicina per æquora Delphin,
Assuetos de more choros duxisse per vndas
Non visus, tristiq; horret ceu tabe peresus.

En paßim Halcyones mœstæ, per saxa, per antra,
Tristia flebilibus complent maria alta querelis.
Quare agedum mœstos mecum Mopse incipe cantus:
Incipe, quandoquidem lenes caua littora fluctus
Pulsant, & sæui posuerunt murmura venti.

MOP. Quis mihi te rapuit, quis te dulcißime Iola?
Nostræ olim requies, olim spes vnica vitæ:
Nunc lachrymæ, æternusq; mihi dolor & lamenta,
Nec te præsidium, ac nostræ spes magna iuuentæ
Aspicere, & sacræ licuit ferre oscula dextræ
Vltima, & occlusisse oculos in morte natantes.
Nec tibi ego inferias duxi, nec iusta peregi.
Quid primùm querar? aut quò tristia pectora vertam?
Proh dolor, ah comitem tibi mē ne immitis Iola
Spreuisti moriens? ambos eadem hora tulisset,
Et dolor infernas idem misisset ad vndas.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.

Quid iuuat vmbrosis vitam producere in antris
Aequoris vndisoni, quæ rauca subederit vnda,
Si mihi deliciæ sint & solatia adempta?
Littoribus quin & scopulis, & luce relicta
Malle meam æquoreis vitam deperdere in vndis
Certum est, vt monstris fiam noua præda marinis.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas.

Tu vitrei Proteu pastor gregis, incola ponti,
Et tu qui magno moderaris sæua tridenti
Aequora, nunc questus, oro, ingeminate recentes.
Ille etenim ante alios vestri reuerentior omnes
Qui fuit, & largos aris indicere honores
Suetus erat, nunc exigua est tumulatus arena.

Nereides nostras, oro, ingeminate querelas,
Tu verò ante tuas ades ô Galatea sorores,
Et mecum defle casum infelicis Iolæ.
Occidit heu procul à patria, notisq́; propinquis,
Ille tibi ante omnes olim dilectus Iolas,
Qui nondum primæ vestitus flore iuuentæ,
Sicanias rupes, præruptaq́; saxa Pelori
Te mirante nouo cantu complebat. at illi
Mamertina modis resonabant littora miris.
Non vt amans olim Siculas Polyphemus ad vndas
Dum caneret blanda scopuli pendentis in vmbra,
Candidior folio niuei Galatea ligustri:
Sed causas rerum, & magni primordia mundi,
Igneus vt vario sol lustret lumine terras,
Vt mane Eois primùm se tollat ab vndis,
Rursus & Hesperio nitidum caput æquore mergat.
Cornibus in plenum vt redeat noua luna coactis,
Vtq́; regat Graias Helice formosa carinas.
Cur ter in abruptum fluctus malè sana Charybdis
Sorbeat, effractas reuomens ad littora puppes,
Naufragaq́; angusto dispergens corpora ponto.
Cur ingens miris exæstuet ignibus Aetna,
Et procul ostentet Lipare fumantia saxa.
Vt Deus æterno vigeat viuacior æuo.
Vtq́; domum hanc mundi, qua struxit, temperet arte.
Omnia quæ senior puero monstrauit Amyntas,
Et dixit, magnus fies olim ista canendo.
Nereides nostras, oro ingeminate querelas.
At vos ô mecùm scopuli, mecumq́; recurua
Littora, quæ Adriacas obiectis cautibus vndas

Frangitis,

Frangitis,incursus quoties grauis excitat Auster,
Littora Tyrrheni fluctu pulsata profundi,
Occiduas Zephyrus tunc cùm iactauit arenas,
Plangite dilecti casumq́; & funus Iolæ.
Tu mecum Benace *senex hunc plange marinis*
Fluctibus, & mœstas resonet tibi Sirmio *voces.*
Sistite Nereides,*nostros iam sistite questus.*

D O R. *Dulce tui resonant numeri,tua carmina dulce,*
Nec niuei voces cygni sentire canoras
Malim,cùm liquidi circum stagna ampla Caystri,
Flebilibus numeris notas moriturus ad vndas
Conqueritur,retinetq́; nouo vaga flumina cantu:
Non quas Alcyones *mœstæ fudêre querelas,*
Cùm tutos placido condunt super æquore nidos.
Verùm agedum Hesperias quando procul aspicit vndas
Sol, & adhuc sero non surgit vesper olympo,
Mopse *tuos itera cantus,* Mopse *incipe rursus:*
Et scopuli questus iterent, & saxa querelas:
Vt vernas inter frondes cùm Daulias *olim*
Deflet mater Itym,*resonant arbusta,nemusq́;,*
Suauior & semper repetito carmine vox est:
Sic tibi,seu tremula moderabere arundine linum,
Siue per immensum deduces retia pontum,
Sit mare compositum: vitrea sit piscis in vnda
Plurimus, & curuos imprudens appetat hamos:
Sic tibi sufficiat squalentes Adria *conchas:*
Sic iuuet has,æquor qui cuspide temperat,artes.

M O P. *Ne nostros* Doryla *cogas renouare dolores:*
Néue iterum tristes effundere pectore voces:
Dum refero,crescit dolor, & noua cura recursat,

Nec potis est superas tristis vox ire sub auras.
Quin potius nostros quoniam lenire dolores
Carmina nulla queunt, pariter surgamus: & antè
Quàm vesper seros ostendat noctifer ignes,
Nassasq; & tectos escis fallacibus hamos
Tendamus pariter, toto dum lumina cœlo
Paulatim effundit stellis circundata Phœbe.
Forsitan ingrati dispendia longa diei
Sarciet optatæ referens nox commoda prædæ.

IN PETRI BEMBI MORTEM DIVERSORVM EPITAPHIA.

DEO IMM. S.

ET VIRTVTI, AC MEMORIAE
Petri Bembi Patritij Veneti S. R. E.

Card. cuius ingenij, literarum, eloquentiæ, gloriæ in suo seculo Princeps, *& antiquorum laudibus par:* Gratia *autem in amplißimo ordine, in moribus probitas, humanitas, liberalitas, supra communem modum semper existimata sunt. Quod de eius vita hominum iudicium, beata mors, sanctißimè ab eo & pacatißimè obita, diuino quoq; confirmauit testimonio.*

Vixit *Ann.* LXXVII.

O TV-

O TVSCAE, ô Latiæ Musæ decus optime vates,
Et Venetæ scriptor nobilis Historiæ.
Flens tibi purpureos flores, spargitq; recentem
Adriacum pelagus, Tybris & Arnus, aquam.
Et Nymphæ inscribunt tumulo, hoc miserabile carmen:
Mors rapuit Bembum delitias hominum.

EXTINCTO Bembo Permeßi exaruit vnda,
Et creuere amnes Italiæ lachrymis.

MORTE tua est auctus lachrymis & Tybris, & Arnus,
Bembe, at Castalijs aruit vnda vadis.

BEMBVS mente Deûm tumulatum in æde Mineruæ
Doctiloquæ, natus Pieridum in gremio.

ARVIT extincto laurus Parnaßia Bembo,
Castalia & subitò mœsta negauit aquas.
Ex Helicone simul vox hæc audita, sorores
Vno, heu, cum Bembo conticuêre nouem.

DELITIAE Bembus Musarum ad sydera cantus
Traxit Apollineos, Ausoniamq; lyram.
Carmine sat gemino mortales imbuit aures,
Nunc immortales conciliare iuuat.

ADRIACI Regina maris decus addita ponto,
Cuius maiestas Itala regnat aquis,
Ne raptum doleas Bembum, sed in astra receptum,
Ac similem gaude te genuisse Deis.

Threicium ad ſuperos vatem rediiſſe putarunt
Rex illum Eridanus, *Tybris, & Arnus hians,*
Et curſus tenuere ſuos, dum mira canentem
Suſpiciunt & amant, & monumenta legunt.
Addidit inde ſacro columen pia Roma *Senatu,*
Fabula, quæ tantis plauſibus acta fuit?

BEMBE *ſenex charus Muſis, & charus Amori,*
Gloria Romani *carminis, atq; Itali,*
Extinctus ſenio tamen es, lachrymabile funus,
Nam tua mors cunctis viſa nimis propera eſt.
Te Veneti fleuere lacus, vnde accipis ortum,
Et Tybris *buſto proximus & cineri.*

ERIPITVR *Bembus rebus mortalibus, ille*
Bembus amor Charitum, Venetæ flos nobilis vrbis,
Purpurei ſacro decoratus honore Galeri,
Spes hominum ingenti qui diuitis vbere vicit.
Illum Roma *ſuis Varronibus orba, ſuisq;*
Aequauit Criſpis: mors deniq; lumina, laudem,
Hæc ſumma extinxit lachrymis Farneſius illum,
Atq; hoc extremo dignatur honore ſepulchri.

MAEONIVM *vatem Perſeo condidit auro*
Rex Macedûm, & regnis altius egit opus
Illius: at tu heros virtutum, ac nominis hæres,
Quo Bembum condes nobiliore loco?
O ſi pro meritis poſſes qui mœſta ſepulto,
Ferre paras, viuo munera læta dares.

MORS *vulgi indocti depascat nomina, nomen*
Postra non ætas obruet vlla tuum.
Dum Musæ in terris Latiæ, Tuscæq; colentur,
Cresces Bembe virens laudibus vsq; nouis.

DIGNVM *Calliope Bembo cane carmen, at ipse*
Do tumulo flores, do cineri lachrymas.
Bembus amor Phœbi, Phœbo quoq; digna loquutus,
Hîc situs est, fœlix vixit, & occubuit.

INDIGETIS *genio Bembi cùm turba pararet,*
Vatum flebilibus soluere iusta modis,
Pro numeris, dixit, date sacra silentia Phœbus,
Nec culpa hæc vestri deterat ingenij.

AVRATA, *Pariáq; alij conduntur in vrna,*
Sunt hominum Bembo pectora sarcophagus.

HIC *iacet Aonidum succensus amore Dearum,*
Bembus Cardinei gloria celsa chori.
Hîc tantùm Musis fastus afflauit Hetruscis,
Mantua quæ tacuit, Smyrnáq; docta silet.

BEMBE *iaces, tecumq; iacent Tritonia, Musæ,*
Relligio, Charites, Phœbus, Atlantiades.
Sed viuunt potius tecum: nam tempora fœtus
Ingenij poterunt nulla abolere tui.

LAETVS *abit Bembus, cui longum contulit æuum*
Vita, sed æternos mors dabit æqua dies.

Res

Res noua, res mira est, post mortem, vt mortuus annos
Plures, quàm vitæ tempora viuus, agat.
Bembum, nil mirum est, abeuntem viuere plus quàm
Viuum: nam virtus inclyta nulla perit.

ADRIA Thespiadum Bembo cultore Dearum
Sydera supremi clara petente poli,
Parce tuas lacerare genas, lacerare capillos,
Vult cantu Bembi turba superna frui.

ADRIA Pieridum Bembus tutela sororum,
Iuit in Elysij regna beata soli.
Ad te bina fluunt ploranti flumina cursu,
Et dant pro lachrymis Tybris & Arnus, aquas.

AONIDES, Charites, triplicis quòd idiomata linguæ
Compta, Petro Bembo depereunte, cadunt.
Flete deæ, Charites, Latius, Pelopeus, Hetruscus,
Itala nam Syren, Attica, Tusca perit.

EMERGVNT flauis Tyberinæ Naiades vndis,
Et madidum extollit Nais Hetrusca caput.
Serta ferunt Bembo Latiæ, Tuscæq; Camœnæ
Cultori, & rorant hæ tumulum lachrymis.

QVO fluitis profugæ? nostras cur linquitis vndas
Naiades ô charæ, Tybris & Arnus ait?
Naiades exclamant, per flumina clara natantes
Imus in Adriaci stagna profunda maris.
Sunt ibi Nereides, Bembi dulcißima Syren,

Quæ Latium & Tuſcum ſparſit ab ore melos.

ADRIA, *Caſtalides, Aenotria, Tuſcia, Bembus,*
Nobilis, vnanimes, florida, culta, probus,
Vndiq;, coniunctim, ſubitò, velociter, eheu,
Oblue, complete, prome, profunde, obijt,
Littora, Parnaſſum, lamenta, fluenta, ſenectam,
Humida, laurigerum, grandia, larga, grauem,
Fluctibus, elogio, ſingultu, lumine, leto,
Luctiſonis, mœſto, triſte, gemente, hilari.

ARDALIDES, *Vates, Hetruria, Græcia, Roma,*
Findite, complete, ſparge, profunde, ſeca,
Aera, Permeſſum, lachrymas, ſuſpiria, crines,
Singultu, queſtu, lumine, corde, manu.

ANTE *alios, quos terra dedit, quos Itala virtus,*
Aeterno eſt Bembus dignus honore coli.
Nam ſeu candorem, & ſanctæ penetralia mentis,
Seu ſpectes linguæ flumina, primus erat.
Quid magis optandum, quàm terris linquere nomen
Poſt obitum, & vitam viuere cum ſuperis?

CVM *Charitum optarent crudeles funera Parcæ,*
Et Stygis ambigerent, quæ prior iret aquas,
Pro tribus Elyſias deſcendis Bembe ſub vmbras,
Conſequiturq; dies magna ruina rogos.
Nam tecum Hetruſcæ decor & præſtantia linguæ,
Et tecum Latiæ gratia priſca iacet.

QVID verò iniustis vrgemus fata querelis?
Pergimus & manes sollicitare pios?
Non perijt Bembus, neq; enim potis ille perire,
Qui memoranda facit, qui benefacta canit.
Sed segetem immensæ laudis, quam messuit olim,
Nunc sibi perpetuo sufficit ille penu.

CONCIDIT vt Bembus studiorum maximus heros,
Hetruscæ fidicen, Romuleæq; lyræ.
Barbara præclaras iterum vis obruit artes,
Mersaq; naufragio est vtraq; lingua nouo.
Cunctarum & clades virtutum indigna secuta,
Visa orbem antiquo est inuoluisse chao.

HIC Bembi tumulus: nam cætera dicere tantum,
Tot bene scripta viri, tot bene facta valent.

ADRIA Bembe tibi patria est, tibi Roma sepulchrum:
Imperat hæc terris, imperat illa mari.
Egregiè es Tusca lingua, Latiaq; locutus,
Non hac non illa dulcius vlla sonat.
Sunt testes Musæ Tuscæ, Musæq; Latinæ,
Magnanimûm Venetûm testis & historia.
Nobiliore loco haud poteras nasci, nec obire,
Nec magis ornatè, nec mage dulce loqui.

SQVALLEBAT spinis Tusca & Latia horrida lingua,
Bembe tua ridet nunc bene culta manu.
An potius plorat? flores en mœsta sepulchro
Dat tibi, quos debet, cum gemitu & lachrymis.

EC-

ECQVID *vt extinctum* Bembum *mœsta Adria defles?*
Romaq; non illum mortem obijsse putes.
Viuit adhuc, multum est mecum, mihi narrat amores
Sæpe suos, Venetûm *narrat & historias.*

PARS *Bembi hic tegitur mortalis, & altera cœlum*
Poßidet, at totum nomen circumuolat orbem.
SI *quando Aonides afflarunt nostra sorores*
Pectora, Pierios *& docuere modos,*
Nunc cuperem afflari, & Phœbæo *accendier igni,*
Ad virtutis opus qui stimulare solet,
Defuncto vt meriti Bembo *exhiberentur honores,*
Si tamen huic tribui poßit honor meritus.
Sed nec lucis eget externæ munere Phœbus,
Nec laude externa vir eget egregius.
Ipse sibi propria nomen virtute parauit
Aeternum in terris, cœli & in arce domum.
DVM *celebri pompa peraguntur funera* Bembi,
Aurea crinitus condidit ora Deus.
Mœstitiam caput obscuro velatus amictu
Significans, mœstos moris vt est facere,
Et veluti lachrymis pluuia testatur, alumni
Quàm sibi delicti mors sit amara sui,
Qui doctrinarum, vitæ & splendore coruscans,
Fulgidus in terris sol velut alter erat.

VT *sol exoriens abscondit lumina noctis,*
Luce sua cunctas opprimit atq; faces,
Induxit tenebras tua sic oratio cunctis
De Bembo *elogijs, quæ patria hæc cecinit.*

Sic felix Bembus fœlicis cultus ab ore est,
Vt gemma artificis quæ bene culta manu est.

HETRVSCAE, *Latiæq; decus & gloria linguæ*
Hîc iacet, hoc saxum non coluisse nefas.
Bembus nomen erat, meruit virtute tiaram
Cardineam, fœlix incolit hic superos.

HAS *Latia violas, tibi Graia hæc lilia Musa*
Ad tumulum spargit, & cineri lachrymas.
Hetrusca hoc scribit tumulo lachrymabile carmen:
Te decus Ausonium depereunte perit.

HIC *situs est Bembus, satis hoc, nam cætera clarent,*
Quo se cunq; decus protulit eloquij.

IN FVNERE PETRI BEMBI CARDINALIS, AVGVSTINI BEATIANI LACHRYMAE.

PERTVLIT *ad nostras infœlix nuncius aures,*
Transijt vnde animi tristis ad ima dolor,
Fusce, graui Bembum morbo, vitæq; periclo
Fessa laborantem membra tenere toro.
Si diuina petens mortalibus occubet vmbris,
Illustretq; astro sydera celsa nouo,

Omnia fœdari,insuetoq; horrentia luctu,
Et tetra videas secula nocte premi:
Parnaßi & lauros arescere,luce Poesim
Priuari,& flentem frangere fila lyræ.
Non quia gestaret Tyrio circundata fuco
Tempora,qui Reges vnicus æquat honor:
Sed quia concordi affectu splendebat in vno
Relligio,& summa cum probitate fides:
Sed quia Phœbeo promebat tincta lepôre
Carmina,Cecropio dulcia melle magis.
Quæ prælata alijs adeò laudare solebas,
Cuius iudicium Phœbus & ipse timet.
Quilibet aßiduis mox fletibus inquinet auras,
Et fletus resonet mixta querelá sono.
Aſt ego ſi pereat,lachrymis absumar,eritq;
De cœlo visus sol cecidisse mihi.

EIVSDEM ELEGIA.

Spes abiens nostras tecum fers Bembe,beatæ
Arboris vt vehemens decutit Eurus opes.
Non tamen in lachrymas abeo,nec tristis ab ore,
Mœrentem vt mos est,inde querela venit,
Id quod noster amor,pietas & debita poscit,
Nulla quod & ratio corripuisse queat.
Inuideámne tibi portus intrasse petitos,
In quibus haud potis est vlla procella dare?
An,tua quòd virtus in cœli parte recepta est,
Cuius & ætherea sis quòd in arce,querar?
Te quoq; cœlestes inter dubitabit haberi
Quis,nisi quem alterius viuida fama premit?

Quanta est, te solita est decorare modestia, qualem
Credam habuisse aliquem, forsan habere negem.
Vidimus esse tuis nil fictum in moribus, os nil
Dixit, idem in puro ni tibi corde foret.
Tu, quamuis leuia, haud poteras mendacia ferre,
In summo hæc reputans criminis esse gradu.
Quis maiore fide charos dilexit amicos?
Cuius in hos larga est dextera visa magis?
Testis ego, haud quicquam poscenti multa dedisti,
Si petijssem, etiam plura daturus eras.
Par tibi quis pietate fuit? quis purius vnquam
Sacra Deûm coluit tradita, mente, manu?
Quæsisse ipse tibi obijciat laudes nec honores,
Quæ dare, vbi virtus defuit, æra solent.
Nil externa mouet generosum gloria pectus,
Quæ propria est animi, sola petenda viro est.
Spernere te oblatum memini voluisse galerum,
Quo Regis natus munere lætus eat.
Atq; id iurè quidem, illa satis nam gloria visa est
Magna, tibi Aoniæ quam peperere Deæ.
Quis tua Mæoniden æquare poemata nescit,
Et simul Hetruscis altius ire modis?
Sol indefesso dum lustret lumine terras,
Illustri notus carmine Bembus erit.
Quæ scripsisti etiam patriæ tellure, mariq;
Gesta, tibi æternùm viuere lecta dabunt.
Qui fueris, facilè à fletu est comprendere, qui te
Defuncto Adriacas crescere cogit aquas.
Qui fueris promptum cuiuis est nosse, tuo cùm
Sic doleant obitu mœnia celsa Remi.

Hinc

Hinc socio amiſſo deflet Sadoletus, & altè
In medio fixum pectore vulnus alit.
Vulnus alit flendo aßiduè, cui ſplendida clarum
Purpura cardineo ſignat honore caput.
Hic Sadoletus, hic eſt meritò quem Phœbus amico
Lumine reſpexit, Pieridumq́; chorus.
Luget & ille, Deûm certißima cura, Senatus,
Eſt cui ferre datum relligio nis onus.
Luget Pontificum & Farneſi gloria Paulus,
Quem laudare ſatis Muſa nec ipſa poteſt.
Quo Petri annitente ſalus eſt reddita cymbæ,
Quæ in medijs fuerat mox peritura vadis.
Quàm iactura grauis ſit talem amittere, deflet,
Et non poſſe tibi flet reperire parem.
Bembe nouum ſalue, & valeas decus addite Diuis,
Vnde tuum funus ſit mihi flere pudor.
Sit mihi flere pudor cœleſtia regna tenentem,
Interea tumulum litera ſculpta notet:
Marmore in hoc Bembus tegitur, cui laurea frontem
Cinxit, & ornauit ſacra tiara caput.
Cœleſtem quodcunq; animum geſtare decebat,
Natura huic, vlli non dare ſueta, dedit.
Moribus his, tali haud videat virtute nitentem,
Phœbus ab Aeoo dum vehat orbe diem.
Exemplum hinc, probitas quò ſeſe extendere poßit,
Quóue quis ore canat, ſecla futura petant.

AD LEONARDVM FVSCVM.

SI pietas te Fuſce mouet, ſi gloria Bembi,
Carmine, quo deceat, funera flere para.

Scis etenim perijsse virum, post fata perenni
Nomine qui Phœbus viuere posse dedit.
Quamq; animo foret ille vllo sine crimine nosti,
Ante Iouem quales fama fuisse refert.
Nec fictis opus est hunc tollere laudibus, est'ne hic
Qui, quiduis dicas, dicere iurè neget?
Quin caue (vis fandi quanquam est tibi maxima) dicas
Ne minus, illum homines quàm meruisse putent.

LEONARDI FVSCI FOROIVLiensis, in Cardinalis Bembi obitu Elegia.

DVM *vacat, hic patriæ secessus inter opacos,*
Quæq; aura, & multo deuia colle placent,
Mecum vnà indulgens vesano Musa dolori,
Dic agè lugubri carmina mœsta sono.
Flendi obitus nobis, & tristia funera Bembi,
Funera quæ lachrymis haud decorare nefas.
Quæ doctæ, quæ vos tum causa morata sorores,
Nec passa Adriacæ est Thetyos ire freta,
Amissum ingemeret Bembum cùm Nereis illic,
Ac longè in medijs conquereretur aquis,
Cœruleum os, glaucosq; sinus, fletu humida largo,
Canaq; roranti pectora tunsa manu?
Vos decuit magnæ in partem properare querelæ,
Certatim & luctus ingeminare graues:
Nulli hic quàm vobis mage flebilis occidit, artes
Quarum adeò, & sanctos auxit honore choros.
Sæpe oras olim assuetus lustrare repostas
Phocidos, atq; vmbris auia grata suis:

Sæpe

Sæpe iuga, irriguiq; Helyconis fontibus antra,
Antra nisi à casto non adeunda pede,
Illum vbi victuro ditastis carmine, vestras
Largius vni omnes & tribuistis opes,
Vt foret extenso quo se Adria tolleret æuo,
Iactaretq; suas vate superbus aquas.
Vate, comas cui non solùm, & pia tempora compsit,
Quæ Cynthi intonso est arbore amata deo:
Verùm & Tarpeo data pilea rubra tonante,
Quiq; nitet roseo murice tinctus apex.
At non infelix istis tibi cultibus, isto
Ornatu, longùm Bembe nitere datum est,
Quandoquidem exacto lustri vix tempore, postquam
Hæc vltro dederat munera Paulus, obis.
Et te non pietas, eheu, tutata merentem,
Non & relligio casta fidesq; fuit,
Priscáue simplicitas, ac candor pectoris, ipsæ
Qualem Sythoniæ vix habuere niues,
Atq; æqui semper cultrix, & nescia fœdi
Criminis, à turpi & mens aliena probro.
Crudeles Parcæ, vestrûm si fila colusq;,
Tot dotes, tot non sueta mouere bona,
Quîs insignem atrox funus nescire decebat,
Vitare & rapidi tristia damna rogi.
Heu quid vana optem, tumulis quemq; occulit imis
Atra quies, omnes & sua fata manent.
Quanquam si tenebris aliqua sese eximit, alto
Nec penitus Lethes obrutus ille lacu est,
Cui decus ingenij quæsitum munere summum
Viuenti, & cultis gloria parta notis.

Scilicet haud totus morieris funere raptus
Bembe, tui & magna parte superstes eris:
Clarus & argutos inter celebrare olores,
Quos Arnus, quos & Mincius amnis habet:
Nec sera eripiet latis tua nomina terris,
Cuncta potest quamuis imminuisse dies.
At fama (hanc donec tollet sua penna) loquetur,
Ornabitq; magis laudibus, atq; magis,
Censentur quacunq; sacræ vocalia Cyrrhæ
Et studia, & lusus, Pieriusq; labor.
Sed iam cessandum questu, & lugubria plectra,
Lugubrem nobis fas posuisse lyram.
Sat fletum: atq; ipsum tumulum iam condere tempus,
Quem mandat Vati Musa parare suo,
Quà virides crescunt Luci, vada propter amœna
Cœlinæ, & summis lapsa fluenta iugis,
Hîc etiam extremo vt donetur honore, iacenti &
Structa quoq; in nostro stent monumenta solo,
Quîs violam indigenæ inspergant, & odora quotannis
Lilia, viuaci teq; amaranthe coma,
Atq; alios, quos dat flores, cùm vernat aperto
Terra sinu, & cultu iussa virere nouo est,

AD LEONARDVM FVSCVM
Augustinus Beatianus.

EXTINCTVM *Aonio defles dum carmine Bembum,*
Quòd toto doleas pectore Fusce doces.
Quippe, quod & ratio iubet, & syncera voluntas,
In similis similem funere flere decet.

Inuidiæ

Inuidiæ non flesse foret tot dotibus auctum,
Qua nemo est qui te labe carere neget.
Elicis ex oculis lachrymas, ex ore querelas,
Vt non flesse labor, sit tacuisse pudor.
Vitam igitur geminam viuet post funera, cantu
Ille suo, fletu viuet & ille tuo.

INCOLA *Cœlinæ dicat hæc tibi carmina* Bembe
Castalidum cultor Fuscus, & autor opum,
In quibus Aonios queritur perijsse lepores,
Et sueto penitus fonte carere lacus.
Teq; itidem egregium meruisse fatetur honorem,
Quo raras visa est cingere Musa comas.
Testaturq; simul veteres æquasse poetas,
Ac talem nullo tempore posse dari.

BEMBE *iaces, tecumq; iacet quæ prima canendi est*
Gloria, ad extremos non reticenda dies.
Bembe iaces, tecumq; iacent cœlestibus apti
Mores, quos posthac secula nulla ferant.
Bembe iaces, tecumq; iacet syncera voluntas,
Et qui nos prohibet dicere falsa pudor.
Bembe iaces, animiq; iacet laudabile tecum
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

NON *hic* Bembus *ea, qua cuncti lege tenemur,*
Est situs, ante data iussus obire die.
Sed somnum hoc nitido carpit sub marmore, tantum
Cernere in æthereo quo datur orbe Deos.

HIC ſitus eſt Bembus, cui natura omnia, poßit
Vnde animi fieri vir ſine labe, dedit.
Hoc ſitus in tumulo eſt Bembus, cui prima ſororum
Calliope canere hoc, quod canit ipſa, dedit.
Conſedit proceres inter, quibus inclyta ſacras
Purpureo cinxit lana colore comas.
Virtutes animi has habuit, quas credere in vno
Haud cuiquam facile eſt poſſe manere loco.
Inuida ni talem rapuiſſent numina Parcæ,
Succeſſuq; hominum triſtia, læta malis,
Ad ſumma extolli, poteratq; oſtendere, qualis
Cœleſtûm in terris æmula vita foret.

HIC ſitus eſt Bembus, de quo fas dicere ſolo eſt,
Laudato dici quicquid ab ore poteſt.

HIC Bembus iacet, Aonidum laus maxima, Phœbi,
Cum Sole & Luna vix periturus honor.
Hîc & fama iacet, ſpes & ſuprema galeri,
Quam non vlla queat reſtituiſſe dies.
Hîc iacet, exemplar vitæ omni labe carentis,
Summa iacet ſumma hîc cum pietate fides.

HIC ſitus eſt Bembus, quo ſeſe iactat alumno
Tam magis Aonijs Adria clarus aquis.
Hetruſcas celebri vicit modulamine Muſas,
Mæonida factus, Virgilioq; comes.

AD LEONARDVM FVSCVM.

NOVI ego quid noſtræ poſſunt in carmine vires,

Et

Et mea quàm modico Musa lepôre nitet.
Edere scripta ideo Bembi de morte verebar,
Ne fieret laudis causa pudoris amor.
Hunc mihi dixisti ratione vacare timorem,
Nec dignum impediat qui pietatis opus.
Est pietas quæsita tibi, non gloria, quando
Præcipit hæc iustus funera flere dolor.
Ecquis erit, Bembi qui flentem funera damnet,
Sit licet innumeris plena querela notis?
Omnia te Bembo totiens debere fateris,
Debitaq; hæc viuo non soluisse doles.
An vano errandi forsan terrore tenebis
Officiosa animi pignora clausa tui?
Vlla quibus si menda inerit, syncera voluntas,
Et meritò veniam mens generosa dabit.
Liuorem metuis? didicit cui parcere liuor?
Mendosum hîc etiam, est menda vbi nulla, facit.
Hortatu mutata tuo sententia nostra est:
Non parere tibi nam scelus esse reor.
Verùm quodcunq; hîc infamia laus úe sequatur,
Commune id nobis Fusce duobus erit.

HOC Petrus nitido tegitur sub marmore Bembus,
Cui natura, potest quæ dare, larga dedit.
Cuiq; decus partum ingenio, & virtutibus auxit
Addita laurigeræ purpura clara comæ.
Idem animi probitate omnes æquauit honores,
Vita quibus cœli scandere tecta facit.
Disce hinc quàm lachrymis est fas non parcere, cùm spes
Nulla sit huic posthac surgere posse parem.

Laudabunt alij dotes cœlestibus æquas,
Has, quibus haud vllis cernimus esse pares,
Et quòd Apollineo concinnans carmina torno,
Prompseris ætherio quicquid ab orbe venit,
Quodq; tibi oblato crines ornauerit Ostro,
Non prece, sed meritis, ære nec emptus honor:
Extollentq; tuum super æthera nomen, eritq;
Quod colat auditum Solis vtrunq; latus:
Ipse autem absumam sic lumina fletibus, vt non
Hora queat siccas vlla videre genas.
Dumq; fluent lachrymæ tristi de lumine, mecum
Incipiet posito Musa pudore queri.
Perpetuos videat fontes cùm arescere, lauros
Aut Iouis irati fulminis igne peti.
Te mecum Adriaci deflebunt numina ponti,
Viciniq; lacus, Nereidumq; chorus.
Et patriæ mecum proceres tua funera flebunt,
Quæ veniunt superis iurè dolenda Deis.
O nostri fletus vtinam adiutorq;, comesq;,
Maxima Parnaßi gloria fuscus eat,
Alter quo facta est Helicon Cœlina, minusq;
Pierius Vatum iam rigat ora lacus.
Nequaquam dabitur tantos æquare dolores,
Nec quæ perdidimus hoc Duce flere satis.
Saltem ea, quæ noui tibi me debere, fatebor,
Et mansura animi pignora certa dabo.
Debita certa animi dabo soluere signa volentis,
Vt me nec liuor corripere ipse queat.
Si tamen hic fletus, quem cœli è culmine cernis,
Tot tua non æquat præstita dona mihi,

Sit tibi pro facto, factum quodcunq; voluntas,
Id quanquam nondum fecerit, esse cupit.

ERGO *etiam nostræ ne desint commoda vitæ,*
Curasti moriens? monumentum & pignus amoris
Scilicet illius, quo tot voluentibus annis
Resq; tuas, nomenq; tuum me pectore nosti
Constanti gestare, nec vlla in parte vereri
Ponere pro te animam, & certis offerre periclis.
Non satis hæc, mihi quæ dederas prius, esse putasti,
Signa animi vnde tui cunctis manifesta paterent,
Quàm me diligeres, imoq; in corde repostum,
Cuiq; fides præstanda foret quamplurima, ferres.
Carmine quo dignas potero tibi reddere grates?
Quo laudes celebrare tuas? quibus Adria sese
Iactat, Apollineos per te sortitus honores,
Quales Smyrna tulit, quales & Mantua, cygnum
Sueta audire suum, tollentem ad sydera voces,
Cuius adhuc lætis resonat concentibus æther.
Non ideo tua dextra mihi tot contulit olim,
Nunc autem dedit, vt canerem velut ære coemptus
Quas tribuit Natura tibi largißima dotes
Mentis & ingenij, non vt tua facta referrem,
Nunc tantum conspecta, Deûm testantia mores.
Talia mendicet, meritò quem nulla tueri
Virtus nota potest, vel si laudarier optet.
Empta opus est laudes vt per mendacia quærat.
Te verò quisquis pleno cantauerit ore,
Inq; vno, quæcunq; homini sint danda, locarit,
Parcius ille tamen poterit dixisse videri,

Crede-

Credere de te vno quicquid laudabile fas est.
Cur ego te laudare velim? si mane recentes
Quà sol iungit equos, quà vespere soluit anhelos,
Omnia plena tuis visuntur honoribus, omnes
Spirantes strepitant Bembeo *nomine venti:*
Sic paßim audita est meritorum summa tuorum.
Si noui tenuis quàm sit mea Musa, timet quæ
Aerias tentare vias, sine remige penna,
Virtutisq; tuæ campum exercere canendo,
Vtq; decet, pictum seclo mandare sequenti.
Hinc dolet, hinc animus curis agitatur amaris,
Quòd re non potis est, puris nec soluere verbis,
Quantum vni tibi, verè vni, debere fatetur,
Tu certè (fateor) tribuisti plurima viuens,
Defunctusq; mihi, memori quæ mente tuebor,
Spiritus hos donec moribundos rexerit artus,
Et post fata leueis abiens vanescat in auras,
Hîc nisi & ætheriam capiant obliuia mentem.
Soluere si posset soluendi prona voluntas
Debita, magna licet fuerint, soluisse viderer,
Implessemq; animi iandudum munera grati.
Cætera si desunt, lachrymæ fundantur, & vnà
Splendida multiplici feriantur sydera questu.
Testibus his pateat iustus, qui pectora versat
Nostra dolor, somnosq; admit noctesq; diesq;
Tristibus alta furens suspiria fletibus addit,
Flere iuuat, quia posse puto sic debita solui.
Nec non velle dabit, quod re præstare nequimus,
Te penes ô cœli factus nunc hospes & hæres
Bembe hominum decus, exemplum probitatis, et ingens

Gloria Pieridum, Parnaßi fama perennis,
Adriaciq; ſinus. Mecum vos flete ſorores,
Gorgonei quibus eſt cuſtodia credita fontis:
Veſter honos cecidit, veſtri periere lepôres,
Ingenuiq; ioci, & nunquam reparabile carmen.
Tam bene cui poſthac vario de flore corollas,
Contextas manibus veſtris geſtare licebit?
Tam bene cui poſthac conferre ea dona poteſtis,
Vnde datur celebri poſt funera viuere verſu,
Atq; rogi flammas, & ſpernere iura ſepulchri?
Sed tantùm in noſtro ſi pectore vulnus adactum eſt,
Reſpuat vt curantis opem, ſolatia præbet
Id mihi magna ſatis, quòd me quicunq; videbit
Gratum adeò vixiſſe tibi, & meruiſſe putabit,
Eq; tuo immeritum veniet mihi nomine nomen.

AD MAGNIFICVM ET doctiſsimum equitem Auratum Dominicum Maurocenum, Veronæ Prætorem,

ELEGIA.

DVM *regis egregiam totis conatibus vrbem:*
Vrbem, Atheſis rapida quam ſecat amnis aqua,
Et paris inde tibi, quos virtus præbet honores,
Ingenio probitas eſt vbi facta comes:
Interea noctem atq; diem nos flere neceſſe eſt,
Fœdare & fletus imbre cadente genas.
Sic iubet id vulnus, quo mens infracta laborat:
Quiq; animæ penetrat iuſtus ad alta dolor.

Nec fletus causam potis est æquare doloris,
Et lachrymæ ingentis fluminis instar eunt.
Ille perit, perit ille, Deûm iustißima cura,
Adriaci Bembus fama, decusq; maris.
Cui secreta magis dedit antra inuisere Phœbus,
Et bibere ex ipso, quo bibit ille, lacu.
Ille perit, cuius pectus virtute nitebat;
Exemplum fidei, relligionis amor.
Qui nusquam intumuit, quanquam splenderet in Ostro
Inter eos, quorum est gloria prima, Patres.
Quàm facilis, nulli quàm noxius, omnibus æquus
Semper erat, suetus nil nisi dulce loqui.
Suetus erat quenquam nec re, nec lædere verbo,
Huius & arbitrium est visus habere pudor.
Ille habuit demum quicquid laudabile fertur,
Perfectò & deceat quicquid inesse viro.
Quem non ad lachrymas tanta hæc iactura mouebit?
Ferreus est, fata hæc qui fera flere neget.
Fama tuas tanti cùm funeris attigit aures,
Non secus ac natum, te doluisse reor.
Noui quàm natura tui est mitißima cordis,
Quodq; homine indignum est, quàm iubet ire procul.
An quia composita (ipsa vt res docet) omnia solui
Serius, aut citius tempore iusta solent,
Te ratio lugere vetet, cùm cedere amicum
Debita vbi illius venerit hora vides?
Forsitan & reputes, nobis nil esse dolendum,
Hinc quia discedens sydera celsa petat.
Censenda hæc, minus vt doleat solatia leti,
Vt leuius poßit vita dolenda pati.

Absq; dolore datur superis agere otia, quando
 Nulla his materies, quæ patiantur, adest:
At natura dedit miserari incommoda, nilq;
 Nos docet alterius turpe dolere malis.
Quin potius, pudor est non flere, fleamus vterq;,
 Ex oculisq; fluens impleat vnda sinus.
Si metuis parce lachrymas nos fundere (flendi
 Sæpe etenim nimio clausa dolore via est)
Innumeros habuit semper Verona Catullos,
 Nulli vrbs omnigena nobilitate minor.
Vel sponte auxilio venient, fletumq; iuuabunt,
 Atq; ita sunt finem vota habitura suum.
Notus & occiduis & Fracastorus Eois
 Est ibi, fama humeris quem super astra vehit.
Hic est cui medicas artes concessit Apollo,
 Corpora vt eripiat semicremata rogis.
Dicere & ad citharam dedit haud imitabile carmen,
 Quo vinci merito secula prisca timent.
Id facile ostendit, cùm diram auertere pestem,
 Gallica quam nostris bella tulere, docet.
Diuino ore canit, quod miserit India lignum,
 Largus vbi gemina messe renidet ager.
Si poterit nullum his animus reperire leuamen
 Fletibus, atq; dolor, qui fuit antè, manet.
Maurocene vnum tamen est quod mitiget hæc, quæ
 Altius in medio vulnera corde gero,
Quòd tu, quæ patriam Bembo pereunte dolemus
 Amisisse, eadem restituisse potes.

PAVLO

PAVLO TERTIO PONTIFICI Maximo optimoq;.

QVAM Bembum cecidisse grauis iactura putetur,
Ceu gnatum Aoniæ quem coluere Deæ:
Hinc tibi nosse datur, cui rerum summa potestas,
Tergemino sacrum cinxit honore caput,
Paule, per aerios tractus quem fama volantem
Insequitur, nullo fessa futura die,
Quòd tanto è populo nemo est, qui criminis vmbra
Illum vel minimi non caruisse neget:
Quòd nemo est, illum qui non dilexerit, & nunc
Non fleat, & riguis fletibus ora lauet.
At multò id melius potis es cognoscere, quòd tu,
Qui res vt se habeant, lumine, mente vides.
Aspicias quacunq; licet Sol aureus exit,
Oceaniue iubar qua sibi demit aquis,
Haudquaquam inuenias, qualem secernere possis,
Huius qui capiat, sustineatq; vices.

AD CARDINALEM DE CARPO.

QVANTVM perdiderit Bembo pereunte Senatus
Ille sacer, quo stant relligionis opes,
Quàm tibi, non vlli melius patet inclyte Præsul,
Cui meritò roseus tempora vestit honor.
Nanq; tuo insedit prudentia pectore, & inde
Ingenij currunt flumina larga tui.
Ditauit Latias Danaum splendore Camœnas,
Huicq; dedit longè Tuscia victa manus.

Ostendit nostro non visos tempore mores,
Nec referet similes vlla futura dies.
Nota per hunc nobis est facta modestia, qualem
Orbe in sydereo remur habere Deos.
Vera loqui didicit tantùm, & quæ corde gerebat,
Nescius ingenua mente fouere dolos.
Hæc ego flere velim, flenda hæc sine fine: sed hæc me
Debilis ingenij vena silere velim.
Sat reputans manifesta animi si iure dolentis,
Qualicunq; tibi carmina signa darem.

AD CHRISTOPHORVM MADRVCcium Episcopum Tridentinum, ac S.R.E. Cardinalem meritissimum.

ILLE *decus Latij, Musarum gloria Bembus,*
Adria quo extulerat lætus ad astra caput,
Occidit, & claro liquit sine lumine terras,
Assueto ingenijs lumine ferre diem.
Ingenti vestra hinc affecta est curia damno,
Qua stans relligio nullius arma timet.
Arma hinc atq; illinc iam totum sparsa per orbem
Impia, & immensi causa futura mali.
O Princeps, Præses simul, & tutela Tridenti,
Cuiq́; etiam roseus tempora velat apex.
Nota tua est quoniam pietas, notissima virtus,
Quam tu animo, pauci quod potuêre, geris.
Te meritò indoluisse virum tot laudibus auctum,
Inq́; vno dotes tot perijsse reor.
Tecum igitur me flere iuuat, talemq́; peremptam
Virtutem gemino lumine flere decet.

Flere

Flere iuuat, crebris implere & questibus auras
Pignora quo Bembi morte dolore premar.
Non aliter corde atq; oculis mea funera flerem,
Flere ego post obitum si mea fata queam.
O vtinam lachrymæ sanctißima numina flectant,
Hucq; redire animas, vnde abiere, sinant:
Detrectem haudquaquam, remeet dum ad munia vitæ,
Vertier in fletus hoc ego corpus aquam.
Et postquam hos primùm rapit inclementia fati,
Quos præstare aliqua nobilitate videt,
Est opifex rerum verbis & mente rogandus
(Vlla mouent mixta si prece vota Deos)
Te, similesq; tui vt diuturna in tempora seruet,
Permittatq; prius qui meruere mori.
Nam dum tu, similesq; tui data sceptra regetis,
Nulla aderunt terris, nulla pericla mari.

REVERENDISSIMO CARdinali Sadoleto,

PLVRIMVS *ingenio, dicendi clarus ab arte,*
Dignior his quorum carmina Phœbus amet,
Cùm sis & sacri decus immortale galeri,
Quo pietas vno sospite tuta manet:
Fleuisse an dubitem chari te funus amici,
Par tibi qui studijs, par & honore fuit?
Concordes memini vos tot vixisse per annos,
Mansit & ex omni candida parte fides.
Si Bembum tu ferre sinu, si mente solebas,
Illius in medio pectore fixus eras,

Nullo vt amicitiæ fuerit tibi fœdere iunctus,
Te deceat madidis non minus ire genis.
Moribus his, tantaq; virum probitate cadentem
Flere, & multiplici lumine flere, decet.
Quis fuit omnigenæ tantus virtutis amator,
Ex animo id faciens, ambitione procul?
Non aliter virtus vana ambitione paratur,
Quàm si de picto flore petatur odor.
Sed quid ego hæc memorem, si plenius omnia nosti,
Vtq; tua, illius facta referre potes?
Ius vtinam ablatum Parcæ foret antè secandi
Stamina, vita quibus longa, breuisq; datur.
Non poterant adigi grauiora huic vulnera seclo,
Vnde irent tristes, & sine luce dies.
Ipse vides quàm mœsta Remi sint mœnia, quamq;
Turbidus, & mœsto flumine Tybris eat.
Quinetiam inde vias cursu mutare retorto
Fertur, ab inuisa vt longius vrbe fluat.
Aßiduis meritò hîc tumet Adria fletibus auctus,
Et repetit Bembi nomina sæpe dolor.
Amisit decus egregium, quod labile tempus
Solibus inuectum restituisse nequit.
Si quæras, nequeat cùm tantum æquare dolorem,
Humano quæuis Musa cienda sono,
Cur ego flere velim, non famæ hinc murmura venor,
Sed tantùm vt, vetitum est quòd mihi flere, fleam.
Si lachrymæ fieri quanta est mea vita valeret,
Eq; oculis veluti flumina bina cadant,
Quæ scio me debere illi, nec debita soluam,
Quicquid agam multò his & minus esse putem.

Abstu-

Abstulit officium sors dira pedisq; manusq;,
Et segnis iaceo crimen onusq; tori:
Non tamen hæc, animus poscit quæ munera gratus,
Abstulit, & mentem qua velit ire sinit.
Nec cessere meo benefacta è pectore, quæ te
Iam conferre mihi plurima iußit amor,
Quorum ego non refero præsenti carmine grates,
Est quoniam has verbis reddere velle pudor.
Quod superest Sadolete, lege hæc, nostriq; memento
Vt prius: id tua si mens generosa facit,
In Sadoleto etiam credam nunc viuere Bembum,
Et mihi tu Bembus & Sadoletus eris.

AD VINCENTIVM RICCIVM,
Reipublicæ à secretis.

EXTINCTVS *nostræ est vrbis decus, optime Ricci,*
Plurimus ingenio Bembus, & arte pari.
Hinc mea vesano rumpuntur pectora questu,
Et meritò aßiduis fletibus ora madent.
Quæro etiam quod casus poscit flebile carmen,
Sed meditata vetat promere verba dolor.
Sum velut is, remo qui cymbam impellit, agitq;
Gnauiter & retro ventus & vnda refert.
Noui quàm malè Musa potest æquare, quòd altè
Mentem agitat, quæ iam nescia facta sui est.
Flere tamen iuuat, & vanum exercere laborem:
Nunc flebo, maneat dum mihi vita, virum.
Huius enim magis est funus tacuisse pudori,
Quàm flesse, innumeras & meruisse notas.

ARVA *quibus transire datum est* Neptunia *venti,*
Aequoris & sicco tangere summa pede,
Qua sua cuiq; est, latum differre per orbem
Hunc, *nulla tolli qui valet arte dolor.*
Delitiæ perijt Phœbiq; *nouemq; sororum*
Bembus, *in* Adriacis *cretus & altus aquis.*
Nullus erit feriat simul ac is nuncius aures,
Cui tristem fletus non lauet vnda sinum.

AD IACOBVM VONICAM, MEDIcum excellentiss.

EST *Vonica datum* Phœbi *tibi munus vtrunq;,*
Et *meritum gemino cingis honore caput.*
Cur cessas? tollenda mora est: nam funera Bembi,
Inuidiosa *Deis funera, flere decet.*
Vel deflendus is est, vel pòst quicunq; peribit,
Infletus pereat, fletibus ora vacent.
Egregium certè est, cùm morbo vrgetur acuto,
Aegrotum è medijs cripuisse rogis.
Nobilius tamen est, vitæ iam luce carentem,
Viuum ad supremos posse tenere dies.

SI *fleuisse vnquam decuit, nunc flere licebit,*
Et fletus madidas flumina ferre genas.
Ac licet in lachrymas absumas lumina, nullo
Aequari poterit tantus ab imbre dolor,
Qui magis assueto vexat mœrentia, quiq;
Ipsa non leuius pectora morte premit.
Si causam quæras, Parnaßi *gloria* Bembus,
Notus & Eois, *occiduisq; perit.*

Tuscum

Tuſcum audire potes crudelia fata vocantem
Carmine, quo Muſæ triſtia flere ſolent.
Te quoq; flere velim, cur non imitere Varage
Illum, naturæ eſt ars vbi facta comes?
Si cantu iucunda tuo ſunt ſecla, facisq;
Vt Silis arguto carmine lætus eat,
Hinc tibi nulla tamen ſperanda eſt gloria, qualem
Flenda adeò Bembi funera fleſſe dabit.

GERARDO VELTVVYC, SE-
renisſimi Imperatoris con-
ſiliario.

NOVIT *vbi ingenium, quo tu præſtare videris,*
Ex omniq; tuam parte nitere fidem,
Carolus ad Regem eſt auſus te mittere, cuius
Cætera ab audito nomine terra tremit.
Dumq; placere ſtudes domino, nec te ulla fatigat
Curarum moles, aſſiduusq; labor,
Interea Bembum ſors improba ſuſtulit, in quo
Id poſitum eſt, nulli Muſa quod ante dedit.
Bembus is eſt, quem ferre oculis, quem corde ſolebas,
Dignus ſupremo viſus honore coli.
Hinc dolor, hinc me cogit Amor deflere, meisq;
Non vllo lachrymis tempore finis erit.
Te quoq; flere decet: pudor eſt non flere cadentem,
Quo virtus viguit ſtante, cadente perit.
Teq; ire in lachrymas Cæſar, Gerarde, probabit,
Perq; oculos fluido ſpargere rore genas.
Flebit & ipſe hominum Cæſar mitiſſimus, omnis

In cuius pietas viuere sueta sinu est.
Nos Bembum postquã haud licitum est decorare, fleamus,
Fletus is eximij pondus honoris habet.

AD FRANCISCVM BADVArium, literis & moribus apprimè ornantissimum.

QVIS *nobis flendum esse neget? Permeßidos vndæ*
Et simul Adriacæ splendida fama perit.
Te quoq; flere decet patriæ spes maxima, quam tu
Iure patrocinij, consilioq́; iuues.
Hactenus innumeros poscit celebrata per annos
Hoc tua nobilitas, Palladiumq́; decus.
Nec tantum tibi flere opus est, pereuntis oportet
Ipse vt suscipias, sustineasq́; vicem.

VOS *quibus æterna est custodia tradita Cyrrhæ*
Pierides, Vatum numina sancta Deæ,
Aspirate precor, pariterq́; aßistite, Bembi
Dum fera morti etiam fata dolenda fleo:
Scitis enim quantum hoc pereunte amisimus vno,
Et quod nulla potest restituisse dies.
Quin & vos non flere nefas: nam maximus ille
Vester honos perijt, nec redijsse potest.
Lumina sint lachrymis vestra hinc rorantia: iustus
Discite quàm poßit cogere flere dolor.
Quodq́; magis miserum est, si tempore flebitis omni,
Sit multum licet, id non erit omne satis.

SAN-

SANSOVINE,*decus secli memorabile nostri,*
Vrbis & Adriacæ gloria Bembus obit.
Bembus obit,Bembus cui quicquid splendida virtus
Hactenus est vlli non dare visa,dedit.
Hinc audire licet suspiria crebra dolentum,
Perq́; oculos lachrymæ fluminis instar eunt.
Ipse ego,qua possum,queror irreparabile damnum,
Nec tamen audita est nostra querela procul.
Optarem cum Sole olim durare dolores,
Quos me defuncti promere cogit amor.
Irrita sed ferri video meditata,velut cùm
Exiguus sterilem diluit imber humum.
At tu,qui ducis viuos de marmore vultus,
Et veteres prima laude carere facis,
Nitere vt illius veniens mittatur in æuum
Effigies,vni quod tibi posse datum est.
Magna laboris erit merces,nam vestra manebit
Gloria iuncta,vllo non soluenda die.

AD IACOBVM ANTONIVM
Benalium,Medicum & Poetam
excellentissimum.

BENALI *Phœbus cùm te hac ætate canendi*
Et medicis clarum dotibus esse velit,
Cur tamen aßiduè muta exerceris in arte?
An solùm à tanto lucra labore petis?
Quid faciat medicina,nisi releuare iacentem,
Cùm tenet in pigro languida membra toro?
Sæpe medere etiam,si fas est dicere,quorum est

Dis penè inuitis restituenda salus.
Quàm melius Bembum diuino carmine fleres,
Quòd tibi post funus viuere posse dedit,
Quis neget hoc? ambo fletu viuetis eodem,
Alter & hoc viuus munere, & alter erit.
Maxima ab ægrotis res est depellere morbos,
Et fati medica vi prohibere minas:
Gloria sed maior paßim est audire fatentes,
Quòd tua defunctos viuere Musa facit.
Castalidum Bembus perijt spes prima sororum,
Et simul Adriacæ concidit vrbis honor:
Hinc pietas, & relligio, probitasq́;, pudorq́;
Fœda nimis iustis fletibus ora gerunt.
An ne prius perijsse decet, diademate frontem
Quàm cinctus triplici conspiciendus eat?
Iam iam spes abeat Saturnia regna videndi,
Et sperasse olim somnia pura forent.
Parcite cœlestes, fieri cùm talia cernam,
Omnia, quæ facitis, casu ego facta puto.
Vlla etenim si vos terrarum cura teneret,
Tam fera quî possem credere monstra dari?
Pauper Aristides, & sunt data sceptra Neroni:
Ille adeò iustus, sæuus hic absq; pari.
Nec mirum est, quando esse ferunt duo dolia sortes,
Vitam ingressuro Iuppiter vnde trahit.
Nec iubet hoc ratio, facit hoc non vlla voluntas:
Copia & inde boni prouenit, inde mali,
Si veri exortem fabellam credere mauis,
At res (mens nisi sit cæca) docere potest.

AD AVRELIVM ARBORſanum, Iureconſultum probatiſsimum.

TALEM *operam legum ſtudio impendiſſe videris,*
Primus vt in Veneto nunc habeare foro.
Pangere Apollineo memini te carmina torno,
Qualia ſint priſco tempore ſueta legi:
Manſurum hinc poteras extendere nomen in æuum,
Irritaq́; indomitæ reddere tela necis.
Arborſane tamen ſequeris, quòd lumina poſtquam
Clauſimus, vmbra velut ſole abeunte fugit.
Fortè putes latis palatia condere campis,
Hoc eſſe, vnde hominis fama ſuperſtes eat:
An dites pauci vixere, obliuio quorum
Nomina, quo pacto corpora terra tegat?
Emendare moram potis es, ſi funera quæ non
Flere deos pudeat, tu quoq; flere velis.
Ille perit Bembus, quem noctes flere diesq́;
Non ſatis, & cuiquam eſt æquiparaſſe pudor.
Quæ fletus merces fuerit, ſi noſſe laboras,
Semper erit Bembi gloria iuncta tuæ.

BEMBVS *in hoc tumulo ſitus eſt, cui fronde perenni*
Supremo Phœbi munere cincta coma eſt:
Purpura pòſt ſuperimpoſita hunc geminauit honorem,
Non æquus meritis creditus ille prior.
Hîc quodcunq; poteſt verum fictumúe probari, eſt:
Quicquid virtutem ſpernit, & odit, abeſt.
Hunc igitur verbis, tacito cole pectore, quamuis
Et videare tamen non coluiſſe ſatis.

AD ILLVSTRISSIMVM ET excellentiſsimum Coſmum Medicem, Reipublicæ Florentinæ Ducem.

NON *ego te laudare velim* Dux *maxime,quòd tu*
Præclaro Medicûm *es genitus de ſemine,quorum*
Inclyta tam latum penna trepidante per orbem
Fama volat,linquens radios virtutis vbiq;,
Vita quibus diſcat quod ſydera celſa petuntur:
Et dum ſpirat adhuc ſeſe ſpoliare caduco
Si referam oſtendit domus hæc:quòd lumina terris
Irritus omnis eat labor,& fruſtrata voluntas,
Tale mihi nil Muſa dedit,conceßit Apollo.
An ne magis deceat laudes celebrare parentis,
Qui dum bella manu gereret Martemq; cieret,
Abſtabant illi comites letumq; timorq;,
Hectoris Aeacidæq; minas vt ſperneret vnus?
Ipſum ego crediderim Martem inuidiſſe videret
Horrendum,poſita penitus formidine ferro
Exerto,exultans iuuenis per tela,per hoſtes
Quòd rueret,nulloq; foret violabilis ictu,
Tam procul ire iubet pugnantum cognita virtus.
Hoc ne etiam memorem quàm diues Hetruria gaudet
Imperijs parere tuis? ceu ſubdita patri:
Abs te nil metuens,bona ſperans omnia,vidit,
Neſtoreosq; tibi votis petit omnibus annos.
Non laudo hæc,per ſe quoniam laudata videntur
Ipſa ſatis,laudanda tuæ ſunt grandia mentis
Munera,ſunt animi dotes: quando omnia laudum

Te ge-

Te genera hucusq; inuenta, hinc meritum esse putarim,
Quicquid & ingenij valent nunc viribus addi,
Immensos auri non tu meditaris aceruos
Colligere, & seruare animæ in penetralibus, vnde
Nulla dies, & vix veniens mors eximat, vt mos
Illius est cui terra placet, cui viuere dulce est,
Vt pecora hinc atq; hinc lætum tondentia campum:
Tu, si quem virtute audis florere, vocari
Et prece, vel precio, tecum facis esse, fouesq;,
Nec digito pateris discedere longius abs te:
Hoc signum est animi virtutum semina nascens,
Qui secum attulerit, veluti lapis ille, propinquat
Ferrum vbi, natura id suadente trahitq;, tenetq;,
Nec, nisi vi, pacto finit hoc auellier vllo.
Ac nec priuatim, aut illa virtute moueris.
Sed desiderium cunctarum in pectore gestas,
Quotquot vel studium parit, aut natura ministrat,
Quodq; ego vera loquar, testis manifesta voluntas
Illa tua est, qua te Bembi ossa ornare sepulchro
Decreuisse ferunt, ne tanti nomina votis
Nescire vlla queat lustris labentibus ætas.
Macte animi virtute, deûm tibi Numina præstent
Perficere id, quodcunq; pares, quodcunq; mineris
Egregium famamq; simul, quæ terminet astris,
Regna dari decet & sceptra imperialia, tanta est
Cura quibus virtutis, & irreuocabile votum
Cosine: sed his ego pro meritis quæ reddere possum
Præmia? quas grates? dabit hæc tibi gloria facti,
Atq; animus secum meditans quid fecerit, & quàm
Supra alios veræ mercatur murmura famæ:

Quoue vel immanes potuisset flectere sensus,
Vultumq; alloquiumq;:senis non dulcior ore
Sermo,olim Pylij redolens manare solebat
Hybleos flores,his te Torquate dolere
Arbitror,& quis non doluit?quis funera magni
Non cecinit vatum Bembi?te maxime Paule
Pontificum Bembo lachrymas fudisse sepulto
Commemorant,adeò patrum interijsse putabas
Summorum lumen,quorum caput infula sacrum
Ostro imbuta tegit,tibi quos pater optime magnô
Iudicio cunctis quæsitos vndiq; terris
Legisti,nostri & venturi(vt creditur)æui
Ornamenta. Quis ex animo non lugeat imo,
Ingenti & longo virtus vbi parta labore
Occidit?humanis donum rarum ab Ioue rebus.
Talia deploras(mittam vt quamplurima)tecum
Fortaßis Torquate,tuamq; hoc flore iuuentam
Orbatam,& multis tali sine patre relictam
Casibus.hos tantos chari genitoris amores
Laudarem,iustosq; pio sub pectore questus,
Si redeat sanguis casso iam luce parenti,
Aut hominum si quis Stygias non iret ad vndas.
Nunc verò cùm Mæonides,quem dulcibus ipsæ
Ambrosiæ succis,& largi nectaris vndis
Musæ aluere sibi,clarum cùm Mantua nomen
Ille tuum vates,opus immortale sororum
Occiderint:comes his cum Thuscæ gloria linguæ
Cuius in ore,nouo dum carmine cantat amorem,
Ipse insedit amor dulci face molliter ignes

Inspirans, dulcesq; ferens in pectora curas.
Interdum rapitur sublimis in æthera pennis
Ingenij, caput & fulgentibus intulit astris.
Et tamen is cùm olim vitali excesserit aura,
Non Torquate decet te nunc lugere parentem,
Mors etenim nulli parcit, nec flenda senecta
Debita, quæ vitæ sæuis irrepserit annis,
Perpetuo vitæ post commoda multa tenore,
Vt Bembo Torquate patri euenisse videmus:
Cui natura dedit patriam, qua Phœbus vtrunq;
Oceanum aspiciens, seu cùm se flectit ad Vrsas,
Seu redit à nobis fugiens nil pulchrius vsquam
Aut maius circùm videt, aut illustrius orbe,
In toto egregio Bembæ de sanguine gentis.
Hic patris primùm studio, curaq; fideli,
Et Thuscæ & Latiæ prima incunabula linguæ,
Mox tenerum effingens docuit Ferraria pectus
Omnia, quæ quondam doctis celebrauit Athenis
Integer, impatiens sceleris, virtutis amator,
Et dulcis morum & vitæ emendator acerbus,
Et diuûm cultor sanctissimus: omnibus vnus
Ex Græcis ipso sapiens ab Apolline dictus.
Inde animo ardenti Siculas traiecit in oras,
Græcorum liquidos cupiens haurire liquores.
Nec mora, cùm subitò Græcè audiuere loquentem
Musurusq; senex, simul & studiosa iuuentus,
Aetnæi vidit rediens incendia montis,
Eruptosq; ignes, exesaq; saxa vomentis,
Descripsitq;, suo iuueniliter ordine totum.

Quo

Quo decus Europæ docti cecinere futurum,
Et mirata senem primas Europa ferentem est.
Multa tibi in medio consultò nota relinquo,
Cunctis vt charus, cunctis iucundus amicis,
Principibusq; viris placuit, dulcisq; iuuentæ,
Aetatem extremos vitæ vt perduxit ad annos,
Inualidus nunquam, semper virtute verendus,
Numina quæ rarò concedunt munera nobis.
Vtq; esset nihil in terris accidere, quod iam
Posse videretur magnus, quo tempore Paulus
Tertius amissos Romæ instaurabat honores,
Delectus numerum in Patrum. Te sancte vocabat
Te Deus in cœlum confectum ætate, beatum
Inter cœlicolas quondam æternumq; futurum.
Salue Bembe, valeq;, Deumq; precare benignus
Ille tuo vt Torquato adsit, mentemq; animumq;
Dirigat in melius, virtutis præmia quærat,
Ad laudem egregiam tua per vestigia currat,
Deponat lachrymas, ingrataq; funera: nam tu
Viuis, in æternum & viues: suprema tulisti
Omnia: quin etiam vera & germana propago
Ille Heros Medicum Cosmus Dux maximus, huius
Dux secli, Italiæ iustißimus vnus, & vnus,
Vnus qui priscæ solo virtutis honore,
Ante alios cupiat virtutem extollere in altum,
Marmoreo vt decoret curat te Bembe sepulchro,
Solenni elatum pompa, exequijsq; solutis,
Et lapide ex Pario priscos æquantis honores
Artificis cùm docta manus te duxerit, inter

Apparat, vt ponat Thuscæ tria lumina linguæ
Visendum, celebriq; loco celebriq; decore
Artis, qua Michael sese super euehit astra
Angelus, & vultus, spirantiaq; ora figurat.
Vt faciat quoties iter hac, te Bembe salutet,
Ingenijs gens clara fluit quà vitreus Arnus,
Florentem & mediam studijs intersecat vrbem.
Optari an poterat quicquam felicius vlli,
Aut mirabilius post secula longa priorum,
Quàm talia tali donari principe laude?
Nil (mihi crede) tuo poterat Torquate parenti
In vita melius, nihil hic contingere maius
Post mortem, poterant versis incurrere fatis
Multa tamen longæ quæ sunt incommoda vitæ,
Qualia multa tulit fortunæ cæca potestas,
Vt patrem hac liceat quoq; dicere parte beatum
Cuius tu rerum, tanti tu nominis hæres,
Et famæ ingentis, quam si virtute tueri
Aut augere velis, meritò nihil amplius optes.
Pelle agedum procul hinc à te lugubria, nosq;
Laudemus, tu verò etiam hunc imitare parentem,
Vt clarus viuas, longumq; extentus in æuum
Dignus vt hoc viuas, dignus moriare parente.

NICO-

NICOLAI STOPII IN FVNERE REVERENDISS. CARDINALIS Bembi Epicedion.

FVNERA Thespiadum Bembi pia turba sororum
Plangite, nam numen quod peramastis abit.
Si modò naturæ fas est indicere bellum,
Bella nec immeritò suscipienda manent:
Omnibus ornastis præclaris dotibus vnum,
Quem constat Charitas excoluisse simul.
Effera mors miseræ hunc naturæ cedere iußit,
Ah sine delectu est imperiosa nimis:
Læuia tres sæuæ si truncant stamina Parcæ,
Gaudia tres Charites non peritura parant.
Nam pia quum tetricæ spernunt consortia Parcæ,
Est Charitum constans atq; perennis amor.
Felix qui Charitum fuerit delectus alumnus,
Hic bonus & prudens atq; beatus erit.
A teneris Bembus fuit ijs gratißimus annis,
Naturæ cunctos dotibus exuperans.
Maximus euasit, Romanæ gloria linguæ,
Dulcius haud Tulli fluxit ab ore melos.
Purpureo tandem merito decoratur honore,
Cingeret vt triplex ritè tiara caput.
Ast hunc humanis rebus dira insidiatrix
Mors damnosa rapit, quid modò plura feram?
Mortem obijt secli ornamentum, heu tristia fata,
Gaudia quid nobis inuida Parca rapis?

Inuida Parca rapis (nihil est) vaga gaudia mundi,
Non peritura manent atq; beata pijs.
Mors fœcunda bonis, hanc vitam mutat acerbam
In dulcem, hoc Christi mors tulit vna suis.
Hunc ergo ad superûm traxit consortia, cœlo
Nam mens quàm terra dignior ipsa fuit.
Sed lachrymæ cessent, cessent suspiria Musæ,
Iam superest virtus cuncta per ora volans,
Illius exemplo studia & componere vitam,
Hac decet vt norma nobiliore frui.

CARMINVM LIBRI
FINIS.

OPERVM BEMBI INDEX. PRIOR NVMERVS TOMVM, POSTERIOR paginam indicat,

T

V

Vero-

FINIS.

OPERVM BEMBI
chartarum series.

PRIMI TOMI.

A B. *a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t v x y z.*

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.

SECVNDI.

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz.

A*a* B*b* C*c* D*d* E*e* F*f* G*g* H*h* I*i* K*k* L*l* M*m* N*n* O*o* P*p* Q*q* R*r* S*s* T*t* V*v* X*x* Y*y* Z*z*. AA.

TERTII.

A*aa* B*bb* C*cc* D*dd* E*ee* F*ff* G*gg* H*hh* I*ii* K*kk* L*ll* M*mm* N*nn* O*oo* P*pp* Q*qq*.